EXPOSITIO REGULAE FRATRUM MINORUM

AUCTORE

FR. ANGELO CLARENO

QUAM NUNC PRIMUM EDIDIT

NOTISQUE ILLUSTRAVIT

P. LIVARIUS OLIGER O. F. M.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

prope Florentiam

TYPIS COLLEGII S. BONAVENTURAE

1912.

EXPOSITIO REGULAE
FRATRUM MINORUM

AUCTORE

Fr. ANGELO CLARENO.

EXPOSITIO REGULAE FRATRUM MINORUM

AUCTORE

FR. ANGELO CLARENO

QUAM NUNC PRIMUM EDIDIT

NOTISQUE ILLUSTRAVIT

P. LIVARIUS OLIGER O. F. M.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

prope Florentiam

TYPIS COLLEGII S. BONAVENTURAE

1912.

Lectori benevolo,

Quanti S. Pater Franciscus, illustrissimus ille Trium Ordinum Patriarcha, primi sui Instituti Regulam aestimaverit, omnibus compertum est. Hanc enim suis dicebat librum vitae, spem salutis, medullam ęvangelii, viam perfectionis, clavem paradisi, pactum aeterni foederis *(2 Cel. 2,* 158*). Codicis seraphici laudes in innumeris Fratribus, ac per ipsos in aliis quamplurimis cuiuslibet regionis et climatis hominibus, iuxta S. Legislatoris intima vota, veritate completas esse, meum non est hic per singula percontari. Sane, Regula ista muniti, edocti, evecti maiores nostri terras mariaque peragrarunt verbum Dei et pacis quocumque gentium ferentes, late seminantes exindeque uberrimos aeternae vitae fructus recolligentes.*

Regula vero seraphici viri S. Francisci, dum eximiorum illorum operum causa et mater est, controversiis etiam, nec paucis nec levibus, quandoque praebuit occa-

sionem. Neque eas quaestiones futiles, " monachorum iurgia " dicas; iniuriae enim esset sapientissimis illis viris, qui ad eas dirimendas ingenii aciem animique virtutem strenue impenderunt. Quid? quod ipsi summi Pontifices in eiusdem Regulae sensu definiendo proprias investigationes supremamque auctoritatem studiose pluries adhibuerunt? Ipsorum declarationes authenticae non paucae in Corpus Iuris Canonici *sunt receptae, quod profecto nulli alii accidit Regulae. — Tolle denique Regulam Fratrum Minorum, Medii Aevi trium saeculorum ecclesiasticam historiam iam non intelliges.*

Quapropter scripta omnia, quae novam lucem afferre valeant de origine vel sensu vel ipsis demum controversiis huius Regulae, laeto sunt animo accipienda. En tibi, amicissime Lector, ex multis unum, non parvi, ut opinor, ponderis. Non quidem me latet omnia, quae Fr. Angeli liber exhibet, purum aurum non esse, at nemo eius auctorem amore altissimo Regulae, cuius gratia labores et exsilia passus est — merito vel demerito iam ipse iudicaverit Deus — expertem fuisse asseverabit. Accipe ergo, benevole Lector, huius Fr. Angeli Clareni operis editionem principem, cui curandae me nec tempori nec labori pepercisse ipsius voluminis studio tibi patebit. Quare indulgeas, si qua melius fieri potuisse agnoscas, dum tibi ex hoc opere omnimodum profectum ego exopto.

EDITOR.

TABULA RERUM

INTRODUCTIO

Caput I.

De auctorum circa Expositionem Regulae testimoniis et de fragmentis editis.

Inter antiquiores rerum franciscalium scriptores, qui Angelo Clareno *Expositionem Regulae Fratrum Minorum* attribuerunt, Gonzaga noster recensendus est, qui, *De origine seraphicae Religionis,* Romae 1587, p. 4, Clarenum dicit zelantissimum « suae Regulae, quam et fidelissime acutissimeque exposuit ». Haec verba Arturus de Monasterio, *Martyrologium Franciscanum,* Parisiis 1638, ad diem 26 Aprilis, p. 162, (in ed. 2, Paris. 1653, p. 182) fere repetiit. Subinde Waddingus, qui iam in *Annalibus Minorum* ad a. 1289, n. 34, (ed. 2, V, 217) scripserat penes se habere varia Angeli scripta, in notissimo illo volumine *Scriptores Ordinis Minorum,* Romae 1650, 22, (ed. Romae 1806, 15; ed. Nardecchia, Romae 1906, 19) inter opera *Angeli de Cingulo* expressis verbis « Commentarios in Regulam S. Francisci » enumerat, affirmatque apud se habere opusculum mss. Eosdem Commentarios Angeli etiam Flaminius Annibali de Latera, *Ad Bullarium Franciscanum Supplementum,* Romae 1780, Animadversio VIII, p. 174, paucis verbis describit et in archivo S. Isidori de Urbe refert asservari.

Saeculo XIX omnium, uti videtur, primus Clareni Expositionem iterum in memoriam revocavit satisque accurate descripsit Hilarius Parisiensis, in opere scil.: *Regula Fratrum Minorum iuxta Romanorum Pontificum decreta et documenta Ordinis.... explanata,* Lugduni-Parisiis 1870, p. 789-90: « Quatuor, inquit, invenimus expositiones, quarum auctores nomen habent inter ipsos Patres Ordinis: 1° B. Angeli Clareni Expositio latina reperitur inter

manuscripta Wadingi, in istius archivo, apud S. Isidorum, Romae. Haec expositio est fere eiusdem voluminis ac expositio Hugonis contemporanei. Sed dum Hugo theologice Regulam exponit; B. Angelus illam potius exornat exemplis dictisque SS. Patrum et B. Francisci ».

Waddingus, Annibali de Latera, Hilarius Parisiensis archivi S. Isidori codicem prae manibus habebant, qui postea numero $^{1}/_{92}$ distinctus est a P. Eusebio Fermendzin, Ordinis annalista et Waddingi continuatore, qui totum archivum S. Isidori c. a. 1888 reordinavit. Transeo minoris momenti testimonia vetera et recentiora, uti I. A. Fabricii, *Bibliotheca latina,* ed. Mansi, I, Patavii 1754, p. 100; Antonii Ceruti, *La Scala del Paradiso di S. Giovanni Climaco* (*Collezione di opere inedite o rare*) Bologna 1874, p. XX[1]; N. Mattioli, O. S. A., *Il Beato Simone Fidati da Cascia* (*Antologia Agostiniana,* vol. II) Roma 1898, p. 59; L. Fumi apud *Bollettino della regia deputazione di storia patria per l'Umbria,* V, Perugia 1899, p. 219, qui obiter, extraneis tantum testimoniis innixi, eumdem Clareni tractatum commemorant.

Recenti tempore accurate, addito distinctionis numero $^{1}/_{92}$, codicem S. Isidori, primus indicavit P. Ioannes Maria Santarelli, O. F. M., († die 24 Sept. 1908 ut Archiepiscopus Urbinas) in opere anonyme edito: *La Tradizione francescana ed i due luoghi ove furono nascosti il Corpo ed il Cuore del serafico Padre S. Francesco di Assisi,* Roma 1901, p. 383, nota 1. Eodem anno pariter Leonardus Lemmens, O. F. M., eiusdem opusculi alio codice mutilo, $^{1}/_{65}$ signato, archivi S. Isidori usus est apud *Documenta antiqua franciscana,* I, *Scripta Fratris Leonis,* Ad Cl. Aquas 1901, p. 81. Utrumque demum codicem citavit in fine anni sequentis apud *Analecta Bollandiana,* XXI, 1902, p. 442. P. Fr. Van Ortroy, S. I., qui etiam editionem textus curaturus esse dicebatur; cf. *Opuscules de critique historique,* I, 395; II, 123[1].

Sicut duo codices in archivo S. Isidori asservati a Fratribus nostris in memoriam revocati sunt, ita et tres reliqui noti, Ottob. 666; Ottob. 522; Reg. Bibl. Monacensis 23648, ab ipsis indicantur in editione scil. *Opusculorum S. Francisci,* Ad Claras Aquas 1904, p. 161, nota 1.

Alii deinceps auctores dictis codicibus usi sunt vel etiam pauca ex eis fragmenta ediderunt. Inter eos recensemus H. Boehmer, *Analekten zur Geschichte des Franciscus von Assisi,* Tübingen-Leipzig 1904, p. 86, n. 9 = cap. X, p. 205-06 nostrae edi-

tionis; cf. ib. p. 85, n. 8 (ubi tamen auctor textum *Speculi Perfectionis,* ed. Sabatier, Paris 1898, c. 68, p. 131-32, transcripsit) = cap. VI, p. 128-29 nostrae editionis; G. Golubovich, O. F. M., *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa,* I, Quaracchi 1906, p. 57 = Prooemium, p. 7-8; 9; F. Tocco, *Le due prime tribolazioni dell' Ordine Francescano,* (Estratto dei Rendiconti della R. Accademia dei Lincei, Classe di scienze morali, storiche e filologiche, vol. XVII, serie V, fasc. 1-4), Roma 1908, p. 86 = 1-2; 87 = 44-45; 87-88 = 46-47; 96-97, = 203-205; 99-100 = 206; 100, nota 1 = 206-07 nostri textus; A. Fierens, *La Question Franciscaine,* Louvain 1909, p. 55 = p. 3-5 editionis nostrae.

Ut demum de hac nostra editione aliquid dicamus, sequentia tantum addere liceat. Cum anno 1907 *Archivum Franciscanum Historicum* fundaretur, consilium editorum statim in eo erat, ut Clareni opera in *Archivi* fasciculis proderent, mihique huius Expositionis editio est assignata. Quamvis iam mense Decembri a. 1907, rem alacri mente aggressus sim, editio, aliis saepe urgentibus laboribus atque officiis, usque nunc dilata est. De qua tamen mora minime censeo dolendum, cum interea tum aliorum tum propriis lucubrationibus ac studiis editio ipsa melior et perfectior evadere potuerit. Verum cum interim studia et textus in *Archivo Franciscano Historico* edendi undique congererentur, atque ipse textus huius Regulae Declarationis sat prolixior esset, visum est, separato volumine totum librum simul edere, quo commodior ac uno quasi oculi ictu totus pateret.

Caput II.

Codicum descriptio.

Quinque noti sunt codices qui Angeli Clareni Expositionem continent Regulae, quorum tamen duo mutili. Eo ordine illos hic describemus quo examini subiecimus. Sunt vero sequentes:

1. Codex S. Isidori de Urbe $^{1}/_{92}$ = A.

Codex $^{1}/_{92}$, mm. 134×95, folia habet 80, e quibus 1-78 priora membranacea, 79-80 vero chartacea tribus manibus conscriptus. Ligatur tabulis ligneis membrana contectis, olim clausura aenea coniunctis.

Dorsum membranaceum parum dilaceratum est in eoque legitur *Ang^i. Clareni expositio in reg. A.* 2. et signatura recens $^1/_{92}$. In cooperimento priore *r* legitur scriptura saec. XVII: *Ar.* 5. *A.* 165, *Expositio regulę B. A. C.* In cooperimento posteriore *v* haec leguntur scriptura, uti videtur, saec. XVI: *Ad usum R^di pris fris Antonij de stronconio.* Tum ob scripturam, tum quia sacerdos non fuit, non videtur haec nota referri posse ad B. Antonium de Stronconio, laicum (1381-1461). Agitur verosimilius de P. Antonio de Stronconio (1520-1611), Provinciali Ministro Umbriae 1585-1588, de quo cf. P. Agostino da Stroncone, *L'Umbria Serafica* ad a. 1585, ap. *Misc. Franc.* IX, 197 et passim; Fil. Montio, *Vita del beato Antonio Vici da Stroncone*, Spoleto 1688, p. 32-40; Costanzi degli Angelelli, *Vita del miracoloso Beato Antonio Vici da Stroncone*, Perugia 1826, Appendice, num. II. Montio expressis verbis inculcat hunc alterum Antonium fuisse « zelantissimo della sua Santa Regola, e massime della serafica povertà... ». Stronconii autem praeter Conventum S. Francisci, ab Observantibus inde ab anno 1388 habitatum, conventus etiam Clarenorum exsistebat, S. Simeonis vel Simonis, qui solum versus finem saec. XVI ad Observantes transiit. Cf. Gonzaga, *De origine seraphicae Religionis*, Romae 1587, p. 168: Petrus Rodulphius Tossinianensis, *Historiarum seraphicae Religionis libri tres*, Venetiis 1586, f. 303 v; *Misc. Franc.* IX, 197. Coniicere licet ergo codicem $^1/_{92}$ S. Isidori ex hoc Clarenorum conventu provenisse.

Fasciculorum dispositionem et ordinem in hoc codice sequens exhibet schema:

Fasc.	1.	sexternus	fol.	1-12.
	2.	sexternus	»	13-24.
	3.	quaternus	»	25-32.
	4.	sexternus	»	33-44.
	5.	sexternus	»	45-56.
	6.	sexternus	»	57-68.
	7.	quinternus	»	69-78.
	8.	duo folia insiticia		79-80.

Adiunguntur duo folia custodiae initio et fine codicis, non numerata. Singuli fasciculi lemmate *(richiamo)* coniunguntur.

Codex primitus non continuit nisi Expositionem Regulae Angeli Clareni fol. 1r-78r. Deinde adiectus est tractatulus de praeceptis regulae f. 78r-80v.

Expositio Clareni duabus manibus est conscriptus. Prioris manus sunt fol. 1r-32v, alterius vero manus fol. 33r-76r, demum fol. 76v-78r iterum manus prioris. Prior manus adhibuit gothicam minusculam ordinariam angulosam cum quadam propensione in scripturam cursivam. Altera manus nitidior, densior characterem exhibet in rotundum tendentem cum propensione, quamvis levi, in scripturam humanisticam.

In orthographia utraque manus praesertim differt in eo quod prior constanter scribit v. gr. *profexio, profexor,* altera vero *professio* etc. Item manus I scribit X^s, manus II ordinarie *XPS;* I punctum ponit in i, II omittit, nisi duae insimul ponuntur. Paragraphorum quoque distinctio rarior in II quam in I.

Utramque scripturam magna cura et regularitate confectam saec. XIV exeuntis esse iudico.

Initia singulorum capitulorum Regulae minio signata sunt; litterae initiales singularum phrasium, item ordinarie nominum propriorum puncta rubea habent. Divisiones in textus fere nullae habentur; deerant imo capitulorum inscriptiones, quae postea saec. XVI-XVII in margine additae sunt. Spatium nonnisi maius interlineare et littera initialis parumper ornatior separat capitula. Paragraphi sive subdivisiones, absque lineae interruptione, solito MSS. signo ¶ rubeo indicantur.

In marginibus rarius additiones vel correctiones synchronae habentur, quae ad ipsum textum pertineant. Hos, ut consentaneum est, in textum recepi. Neglexi vero glossas posteriores, ut plurimum saec. XVI-XVII, quae nunc argumentum indicant, nunc attentionem specialem provocare nituntur, iis praesertim in locis, in quibus indoles « spiritualis » Expositionis Regulae magis videtur inculcari, quod de caetero optime convenit cum iis quae de loco originis huius codicis diximus.

Textum quod attinet, codex A caeteris est completior, sine ullis fere lacunis, et ordinarie correctior. Orthographia multum italicum sapit amanuensem; cf. *artare, ammonet, Agustinus* etc. sed quasdam huiusmodi formas in omnibus fere Angeli scriptis observare licet, ex gr. *artare, ammonet* et similes italicismos, quare suspicor tales formas in ipsis originalibus iam adfuisse.

Codex A typus est prioris classis duplicis familiae Codicum hanc Declarationem continentium, et inter omnes codices completos antiquissimus. Textum eius ut fundamentum praesentis adhibui editionis, eo modo, quem postea, p. LXXVI ss., largius expositurus sum.

Tertia demum manus f. 78r-80v, saec. XV addidit sine ullo titulo vel inscriptione tractatum de praeceptis Regulae. Scriptura fere cursiva, scatenti compendiis, et lineis condensis utitur hic tertius amanuensis. Incipit: [R]*Egula nostra, sotie prekarissime, ne videatur tibi confusa pro eo quod precepta et consilia et ea que sunt in ea hinc inde sint dispersa. Ideo non abreviando regule litteram, set mutando de loco ad locum illam, precepta ad precepta* etc.

Explicit: *Et ut* [neg]*ligentibus seu transgressoribus sit directorium seu potius repercussorium ad penitendum in conscientia. Vale in X° Y^u, sotie prekarissime, et ora pro me. Expliciunt hec regule puncta reducta.*

Est tractatus de praeceptis Regulae Gundisalvi a Vallebona, Ministri Generalis a. 1304-1313, editus apud *Monumenta Ordinis Minorum,* Salmanticae 1506, III, 98v-100v; ed. ib. 1511, II, 100v-103r; *Speculum Minorum,* Rothomagi 1509, III, 86v-88r; *Firmamenta trium Ordinum,* Parisiis 1512, IV, 73r-74r; ed. Venetiis 1513, III, 70vb-72 (editio falso 71)ra. Ut cuique patet inspicienti, textus Gundisalvi in codice $^1/_{92}$ discrepat initio et fine ab illo edito, et formam originalem forsan exhibet.

2. Codex Vat. Ottobonianus lat. 666 = B.

Cod. Ottob. lat. 666, mm. 160×120, membranaceus, saec. XV, folia habet 108, quorum numeratio duplex habetur, antiquior et recentior. Illa numeris romanis exprimitur et in prioribus foliis recisus videtur. Nam incipit a numero XV (fol. 19); deinde prosequitur usque ad LXX (fol. 74); tunc vero immediate sequuntur LXXX (fol. 75), LXXXX (fol. 76), C (fol. 77) et regulariter procedit usque CX (fol. 87); postea usque finem vacat haec antiquior numeratio. Recentior vero numeratio plumbo exarata, siglis arabis procedit ab initio usque fol. 106, dum duo folia extrema, quae vacant, numeratione carent. Ligatus est codex membrana tempore Pii IX, cuius stemma in dorso adest. Folia 1-4 vacant textu. In fol. vero 4r manu eleganti saec. XVII scriptum est: *Ex codicibus Ill^mi et Excell^mi Dni Ioannis Angeli Ducis ab Altaemps,* et paulo inferius eadem manu: *Regula B. Francisci divinitus sibi tradita.* Textus incipit f. 5r, in cuius margine inferiore sicut et f. 106v habetur signum Bibliothecae Vaticanae.

Fasciculorum ordo est sequens:

Fasc. 1.	semiquaternus	fol.	1-4
2.	sexternus	»	5-16
3.	»	»	17-28
4.	»	»	29-40
5.	»	»	41-52
6.	»	»	53-64
7.	septernus	»	65-78
8.	sexternus	»	79-90
9.	»	»	91-102
10.	semisexternus	»	103-108.

Coniunguntur fasciculi lemmate ornato in medio margine inferiore.

Conservatio codicis mediocris est; ubi vero est refectus, ut f. 63 et 79, hoc absque textus detrimento factum est.

Codex duabus manibus conscriptus est, quarum prioris ductus, ab initio usque ad fol. 35 r, grassior et rotundior, alterius subtilior et compactior: fol. 35 v-41 r; deinde saepe utraque manus alternatim et atramentum variant. Tituli capitulorum rubre conscripti sunt, sicut etiam litterae initiales et paragraphorum signa; textus etiam Regulae minio subductae sunt, vel saltem prima linea, quando sunt longiores. Saepissime correctiones et additiones ad textum pertinentes in margine exhibentur, imo in ipso quoque textu correctiones aliquando inveniuntur, quae omnes correctiones alia manu sunt conscriptae, quae in fine fol. 106 r adiecit: *correcta est.* Rarius glossae marginales inveniuntur uti: *nota; Scriptura.*

Codex solam Angeli Clareni Expositionem continet. In fine vero additur quaedam oratio (cf. infra, p. 236, nota *h*), quae forsitan ab ipso Clareno adiecta, certo autem non composita est, nam est oratio finalis Epistolae II S. Francisci; cf. *Opuscula S. P. Francisci,* Ad Claras Aquas 1904, 107. Textus vero Expositionis pertinet ad alteram familiam codicum, et aliquando minus correctus apparet, cui addas crebras, quas indicavimus correctiones, intra et praesertim extra textum adiectas.

3. Codex S. Isidori de Urbe $^{1}/_{65}$ = C.

Cod. $^{1}/_{65}$ archivi S. Isidori de Urbe, mm. 160×115, chartaceus, saec. XVI exeuntis, folia exhibet 106, quorum 57 numerata,

incipiendo a folio secundo, quod signatur 1; reliqua vero folia numeris non signantur, imo duo ultimi fasciculi ne dissecti quidem sunt. Ligatus est codex membrana tenui descripta, folio scil. avulso ex tractatu quodam canonistico, teguminaque duobus filis corio confectis ligantur invicem. In tegumine anteriori legitur: Ar. 5, $\frac{\text{N. }172}{\text{N. }177}$ Dorso voluminis applicata est fascia membranea, quam in pluribus aliis codicibus archivi S. Isidori observare licet, et e tempore Waddingi provenire videtur; in ea autem scriptum est *Ang.*[i] *Clareni in Reg.*[am] *minor*(*um*), *Ar.* 5, *N.* 177. Verbo minor*um* superposita est numeratio recens $^1/_{65}$.

Ecce fasciculorum dispositio:

Fasc. 1.	bis sexternus	fol. (I) 1-23	
2.	» »	» 24-47	
3.	» »	» 48-57 (+ 14 non numerata)	
4.	bis quinternus		non numerata
5.	sexternus + duo folia insiticia		non numerata

Fasciculi nullo signo inter se coniunguntur, sed in singulis paginis ponitur primum vocabulum paginae sequentis.

Codex aliquantum detritus est ex atramento quod chartam corrosit, praesertim in prioribus foliis. — Scriptura est sic dicta cursiva italica, nitida, cum paucissimis compendiis.

In recto primi folii, non numerati, legitur: *Incipit expositio et declaratio regule sa*[nctis]*simi confessoris chri Francisci, edita a ven*[erabili] *sene patre fre. Angelo clarino. Honorius Episcopus servus servorum Dei etc. Sanctus F*[ran]*ciscus a patre misericordiarum electus et vocatus....*; sequuntur nomina 12 priorum discipulorum S. Francisci, deinde pauca alia verba, quae omnia non sunt nisi pars Prologi, in nostra editione p. 3 ss., quae deinde loco suo in ipso codice fol. 1 v repetuntur. Cur autem haec particula ab eodem amanuensi bis scripta sit, non liquet. In eodem folio primo, non numerato, v, legitur, *Ad usum fris. Lamberti de S. Trudone Minorite.* Scriptura, qua haec nota antiqui possessoris scripta est, quamdam similitudinem habet cum scriptura ipsius textus. Certum autem fit eadem nota codicem ante expletum saec. XVI conscriptum esse; nam Lambertus de S. Trudone (S. Trond in Belgio) mortuus est in Italia a. 1600, ut refert S. Dirks, O. F. M., *Histoire littéraire et bibliographique des Frères Mineurs de l'Observance de St. François en Belgique et dans les Pays-Bas,* Anvers s. a. [1885], p. 126.

Textus Prologi incipit f. 1 (numerato) r, cum titulo: *Expositio beati fris. Angeli Clarini super regulam Sancti Francisci. Postulasti* etc.

Explicit f. 57 v: *Illos patientia atque districtio, qua sic devote in hac, quam semel arripuerint, professione perdurant, ut nunquam suas expleant voluntates,* qui textus correspondet cap. VI, p. 161, nostrae editionis. Textus ergo mutilus est, forsan ob mortem scribentis, si is est dictus Fr. Lambertus. In ipso textu, quem exhibet codex, plures longiores lacunae habentur, praesertim ubi sensus obscurior atque abstrusior est, ex. gr. p. 84, lin. 14 usque p. 88, lin. 15 nostrae editionis — quae lacunae in variantibus indicabuntur.

Codex $^1/_{65}$ non est exscriptus ex codice $^1/_{92}$ in eodem archivo exsistente (cf. supra A), imo ne ad eamdem quidem familiam pertinet, sed ad eam, cuius est codex Ottob. 666 (B), a quo tamen directe non promanavit, cum correctiones synchronas eiusdem non exhibeat. Praeter lacunas, studio omissas, C proprias habet certas quasdam falsas lectiones, quae tardum revelant amanuensem, ex gr. *deus* ubi caeteri codices omnes legunt *dominus,* quae lectiones manifeste ex eo proveniunt, quod amanuensis compendia iam non intellexit.

4. Codex Vat. Ottobonianus lat. 522 = D.

Alibi de codice Ottob. lat. 522 longius locuturus, hic pauca tantum adnotabo. Est codex membranaceus mm. 158×110, saec. XIV, vere miscellaneus, pluribus manibus conscriptus. Ligatus membrana, continet folia 321. Textus Clareni fol. 76 r-87 r exhibetur. Non est textus totius Expositionis, sed ipsius potius excerpta quaedam. Semel tantum ordo textus invertitur, cum scilicet transponit narrationem de conditione Regulae in Monte Columbo ex capite sexto huius Expositionis, cf. p. 127, et infra inter cap. X, cf. p. 215, et fragmentum cap. XII refert, cf. 227.

Incipit sicut A, idest sine ullo titulo et desinit versus finem cap. XII, in nostra editione p. 228, lin. 10. Textus magis accedit ad textum Codicis A, pertinet igitur ad familiam priorem; sed sat independens est, et versus finem haud raro ad E accedit.

5. Codex lat. Bibl. Reg. Monacensis 23648 = E.

Codex lat. Bibl. Reg. Monacensis 23648, (quem auspice administratione Bibliothecae Reg. Monac. plures menses initio anni 1909 Romae, in Bibl. Nat. Vict. Em. examinare potui, pro qua re gratias

refero debitas), mm. 153×110, membranaceus, saec. XV, una manu conscriptus, folia habet 100 numerata, revera autem 101. Numeratio est duplex, antiquior et recentior. Illa facta est siglis romanis usque ad fol. VI, deinde in paucis aliis foliis sparsis invenitur. Haec est plumbo facta singulis quinis foliis. Numerator vero in fasc. VIII commisit errorem inter numerum 60 et 65 sex folia comprehendens, qui error protrahitur deinde usque in finem. Fol. 1 (custodiae) et 98-100 (revera 99-101) vacant. Ligatur codex tabulis chartaceis membrana obductis atque in dorso legitur *Declaratio Regulae S. Francisci. Cod. Memb. sec. XV.*

Fasciculorum ordo et series est ea quae sequitur:

Fasc.	1.	quaternus (+ 1 fol. insiticium)	(fol. 1-9)
	2	»	(» 10-17)
	3.	»	(» 18-25)
	4.	»	(» 26-33)
	5.	»	(» 34-41)
	6.	»	(» 42-49)
	7.	sexternus	(» 50-61)
	8.	»	(» 62-73)
	9.	»	(» 74-85)
	10.	quaternus	(» 86-93)
	11.	»	(» 94-101)

Omnes fasciculi lemmate sunt coniuncti.

Codex est conscriptus in membrana tenui una manu nitida et regulari, quae medium tenet inter scripturam gothicam et humanisticam. Compendia adeo non abundant. Littera diphtonga *e* scribitur ę et ae. Phrases incidentes saepissime in clausulis rotundis intercluduntur, quod in omnibus aliis codicibus desideratur. Rarius occurrit et quidem tunc per signum :||: paragraphorum distinctio. Signum ¶ initio tantum capitulorum ponitur. Rubricae atramento rubeo, prima capitulorum et aliquando rubricarum littera minio ducta est. Notae marginales aliquando habentur, sive ut attentio excitetur ex. gr. *B'a* ubi S. Basilius citatur, sive etiam ut textus explicetur vel lectio varians adducatur. Ubi ex. gr. occurrit verbum *xenodochium* in margine adicitur *forestaria;* uti *nosocomium* in margine: *infirmaria.* Lectiones variantes in margine aliquando notantur eadem manu, et verbis *aliter* vel *sive* introducuntur, et eae lectiones ut plurimum conveniunt cum codicibus AD, dum ipse textus codicis E convenit cum codicibus BC.

Textus est quoad formam latinam optimus et rarius in textu italicismi inveniuntur; hoc vero forsan humanismo attribuendum est, potius quam lectioni originali. Eodem modo crebras verborum explicandas esse censeo inversiones. Plures tamen lacunae habentur quae ex inadvertentia amanuensis ortae sunt.

Codex qui in Catalogo Bibl. Reg. Monacensis ut incertae originis designatur, certo certius ex Italia provenit, ut ex praedictis sat patet. Id enim tum scriptura, tum praesertim glossae illae clare manifestant.

Quinque ergo codices Angeli Clareni Expositionem Regulae continent, quorum tamen unus mutilus est, alter excerpta tantum continet. Duplicem familiam constituunt scil. ex una parte codices A et D, ambo saec. XIV, ex altera codices B C E saec. XV-XVI. Differentia in eo praesertim consistit quod A D, prior familia, inscriptionibus caetero textui synchronis tum initio, tum ante capitula carent, quae habentur in codicibus B C D alterius familiae, qui econtra lacunas non paucas (originaliter) continent, utique ex parte (postea) expletas. Accedunt lectiones variantes, quae clare utramque familiam distinguunt. Quae quidem discrepantiae tanti faciendae non videntur, cum bonas lectiones utraque familia contineat. In textu nostro secuti sumus versionem prioris familiae scil. cod. A D, qui aetate etiam sunt antiquiores, non omittentes tamen aliquando etiam in textum, semper vero in notas, recipere lectiones alterius familiae.

6. Codices deperditi.

Praeter codices enumeratos alios exstitisse certum est. Imprimis codex originalis, idest archetypus, uti e manibus Angeli Clareni prodiit, absque dubio ignotus est et vero similiter deperditus. Sed vestigia saltem aliorum codicum persequi possumus. Codex C ex. gr., qui saec. XVI scriptus est, typum alterius familiae secutus est absque correctionibus illis, quas in eiusdem familiae codicibus B et E saec. XV, adhuc superstitibus, observare licet.

Codices etiam in Hispania exstitisse, vel etiam nunc in quadam latere bibliotheca, pariter videtur admittendum. Nam in versione quadam hispanica de s. Francisco et eius sociis narrationum, quae plurimum accedit ad collectionem *Speculi Vitae*, Venetiis 1504; Metis

1509, aliasque consimiles compilationes (cf. P. Mich. Bihl, O. F. M., ap. *Archivum Franciscanum Historicum,* I, 1908, 494), in libro, inquam, cui titulus *Floreto de sant Francisco,* Sevilla 1492 [1], Angeli Clareni Expositio Regulae totidem verbis indicatur.

Secundae enim partis, quae complectitur *Espejo de perfeción del estado delos Frayles Menores,* capitulum 82 inscribitur: *Dela grand tribulación que ha de venir ala Orden, segúnd que Sant Francisco muchas vezes dezía, e sus compañeros publicaron lo después. E son escriptas las siguientes palabras enla Exposición dela Regla que fizó fray Angel.* Sequitur deinde textus ex cap. I Angeli *Expositionis,* p. 44, lin. 26 — p. 48, lin. 9 nostrae editionis. Textus huius collatio cum textu codicum supra descriptorum nobis ostendit traductorem hispanicum prae manibus habuisse textum latinum dictae Expositionis, qui ordinarie convenit cum A D, rarius cum B C E, aliquando etiam ab utraque familia recedit. De relatione aliorum textuum huius *Floreti* ad hanc Angeli Expositionem cf. infra in capite VI, p. LXV, ubi de fontibus agemus.

Sed antequam procedamus in quaestionibus Expositionem Regulae attingentibus, opus est pauca de vita et caeteris Angeli operibus inserere.

Caput III.

De vita Fr. Angeli Clareni.

Angelus Clarenus de Cingulo *(Cingoli),* qui et Petrus de Forosempronio *(Fossombrone),* imo aliquando a posteris Iohannes (-Angelus) vel Gentilis de Cingulo dicebatur, e Marchia Anconitana oriundus est sive Cingulo sive, uti communius et forsan rectius nunc retinetur, Forosempronii. Nominis haec discrepantia atque inde de patria ortum dubium nunc demum optime explicantur ex eo, quod Spirituales, quibus Angelus adhaesit, ut adversariorum facilius

---

[1] De eo libro, cuius exemplaria reperiuntur in Bibliothecis Nat. Matriti et Ulyssipone, cf. C. Haebler, *Bibliografía Ibérica del siglo XV,* La Haya-Leipzig 1904, p. 124; Escudero y Perosso, *Tipografía Hispalense. Anales bibliográficas de la Ciudad de Sevilla,* Madrid 1894, n. 33, p. 82-83; Hain, n. 7331. Excerpta quaedam ex eo libro humanissime mecum communicavit R. P. Iosephus Maria de Elizondo, O. M. Cap., Barcinone, cui propterea gratias ago maximas, sperans fore ut ipse mox editionem novam, quam promisit, feliciter perficiat.

effugerent insidias, haud raro nomina mutare solebant, ut clarissime et definite cl. P. Fr. Ehrle, S. I., comprobavit [1].

Communior quidem denominatio est Angelus Clarenus, seu de Clareno, de Clarino, quo designatur nomine etiam ab amicis intimis [2] et propriis discipulis [3]; derivatur vero iuxta antiquiores rerum scriptores Marcum Ulyssiponensem [4], Petrum Rodolphium [5], Gon-

---

[1] Apud *Archiv für Litteratur- und Kirchengeschichte* (ALKG), III, Berlin 1887, 406-8. De nominis mutatione explicitum adest testimonium Paulini Veneti, O. Min., Episcopi Puteolani (1324-1344), qui in *Chronica* ad annum 1294 modo suo scribit: *Petrus de Macerata et Petrus de Forosinfronio apostate fuerunt Ordinis Minorum et heretici.... Et mutaverunt illi duo sibi nomina, primus vocavit se Liberatum, secundus Angelum, quia angelicas se fingebat revelationes habere;* ap. Golubovich, *Biblioteca bio-bibliogr. d. T. S.*, II, 80, et (iuxta alium codicem) 96. Eumdem textum iam cognovit Raynaldus ad a. 1331, n. 7, et deinde edidit (sub falso auctoris nomine Iordani) Muratori, *Antiquitates Italicae,* IV, Mediolani 1741, 1020. Alium textum eamdem nominis mutationem attestantem edidit citatus Ehrle, ALKG, IV, Freib. i. B. 1888, 9, ubi quidam Fraticellus in processu a. 1334 facto: *Interrogatus, quis est generalis eorum, respondit, quod est frater Angelus Clarani de Fossabruno, qui alias fuit vocatus frater Petrus de Fossabruno.* Caeterum in eodem processu *Angelus de Marchia* (l. c. IV, 11) vel *Angelus Clareni de Marchia* (IV, 12; 13) Angelus noster nominatur. Eosdem textus edidit etiam L. Fumi, *Eretici e ribelli nell'Umbria dal 1320 al 1330,* ap. *Bollettino della regia Deputazione di storia patria per l'Umbria* (BSPU), V, Perugia 1899, 413; 415; 417; 419. In Actuum collectione Raymundi de Fronciacho (c. a. 1318) ter sermo est de Clareno, solo nomine Angelo adhibito, ALKG, III, 12; 27; 28.

[2] Cf. infra, inscriptionem epistolae lugubris B. Simonis de Cassia et textum ipsius epistolae: *Et vere Angelus nomine, sed verior re;* et infra citandum cod. Magliabecchi XXXIX, 75, f. 214r: *Liber epistolarum beati Angeli de clarino ordinis minorum explicit;* cf. ibidem f. 214v.

[3] Cf. in hac nostra editione *Expos. Reg.* p. 3, lectiones variantes sub d; Tocco, *Studii Francescani,* Napoli 1909, 515:... *la cronicha di frate Angniolo di Chiarino;* cf. ib. 520. Ipse Clarenus in *Chronica septem Tribulationum* se vocat prius, 1289-90, *Petrum* [scl. de Forosempronio], ALKG, II, 306; IV, 407; cf. I, 524; deinde vero semper *Angelum,* ALKG, II, 143; 144; sicut etiam in litteris ad familiares. Demum in cod. Magl. XXXIX, 75, f. 68v habetur Oratio ad *beatum Angelum.*

[4] *Delle Croniche de' Frati Minori,* ed. ital. Diola, Venetia 1590, pars II, lib. VII, cap. 23, p. 412: *Si chiamò l' Ordine de i Chiareni, per rispetto del Monte dove habitavano nel principio.* (Clarenus hic vocatur *Giovanni da Cingoli,* dum antea l. c. lib. V, cap. 18, p. 295 recte: *Angelo da Cingoli*).

[5] *Erat tunc temporis familia quaedam Eremitarum Sancti Francisci sub Fratre Angelo Clareno, Cingulano, qui una cum aliis obtinuit a praedicto Pontifice* [Coelestino V] *facultatem vivendi seorsum. Dicebantur autem Clareni a Claro monte, a quo tum ipse, tum eius sectatores Clareni appellati sunt; Hist. Seraph. Rel.* Venetiis 1586, lib. II, fol. 155r. Cf. ib. f. 256v; lib. III, f. 307 r.

zagam a quodam monte *Claro (Chiaro),* vel rectius, praeeunte Waddingo [1], a quodam Marchiae Anconitanae inter Asculum et Nurciae alpes decurrente fluvio, nomine *Claro (Chiaro)* [2] vel alio quodam, nomine *Clareno* (*Chiarino*) [3], prope quem Angelus incerto tempore sedem fixisset.

Ordini Minorum adscriptus dicitur circa, vel parum post a. 1260 [4], vero similius in conventu Cinguli exsistente [5]. Verum cum mortuus sit a. 1337, hinc ipse regulam Fratrum Minorum 77 annos professus esset, quod, quamquam ex alia parte pluries venerabilis *senex* dicitur, vix admitti posse mihi videtur. Testimonia vero, quae ad annum 1260 eruendum adducuntur, tempus paulo posterius potius assignare suadent. In epistola enim quadam [6] scribit se ante pontificatum Clementis V (1305-14) « annis pene triginta pro solius regule confessione et amore variis persecutionibus oppressum » fuisse, quod coincidit cum initio repressionis Spiritualium in Marchia Anconitana 1275. Circa annum vero 1330 in aliis litteris [7] ita de se loquitur: « Et quia Christo docente cognovi, iam fere sunt anni XL elapsi, [quod Deus in P. I. Olivi posuerat spiritum Fundatoris et ideo ei conformis esse amat Clarenus]. Sed post annos quasi LX cum contradictionibus et pressuris, in quibus ferventer concupivi videre reformationis Christi

---

[1] Ad a. 1302, n. 8, ed. 2, p. 12. Waddingus ad annum 1302, idest post reditum e Graecia (qui tamen revera tantum initio anni 1305 effectus est) moram apud fluvium Clarenum determinat.

[2] Ehrle, qui prius hoc in dubium revocaverat, ALKG, I, 518[3], deinde l. c. II, 255[2] ad sententiam Waddingi accessit.

[3] Sic Tocco, *Studii Franc.* 265[2], quae forma illi apud Waddingum l. c.: *Clarenus,* melius correspondet.

[4] Ehrle, ALKG, I, 518; Sabatier, *Speculum perfectionis,* p. LXXIX et CXXXVII; Golubovich, *Biblioteca bio-bibl. d. T. S.* I, 51.

[5] Omnes fere Ordinis scriptores Clarenum de hoc conventu fuisse referunt; cf. auctores in notis praecedentibus citatos et infra, p. XXXVI s. citandos. Vocaretur igitur *de Cingulo,* quia hic Religionem seraphicam amplexus esset. Hoc sentire videtur etiam Tocco, *Studii Franc.* 289: *Fra Pietro, nato a Fossombrone e vestito l'abito a Cingoli...* Ita fere etiam A. Vernarecci, *I Frati Minori a Fossombrone,* ap. *Le Marche,* a. VIII, N. S., vol. III, Sinigaglia 1908, p. 186-87 (quod studium, 185-212, est capitulum ex mox ab eodem auctore edendo volumine II operis: *Fossombrone dai tempi antichissimi ai nostri* [vol. I, Fossombrone 1907].

[6] ALKG, I, 548.

[7] ALKG, I, 554; cf. ib. 518[2].

vite principia, Beniamin ortum cum doloribus et morte matris conspicio ». Hic, ni fallor, Clarenus de suo loquitur in Ordinem ingressu (Beniamin ortus), qui igitur hoc e textu circa a. 1270 adsignandus esset. De caetero initio persecutionis (1274-75) Angelum, quamquam ex supra relatis sui ipsius verbis et ex *Epistola excusatoria* [1] iam tum zelantibus adhaeserat, inter horum duces ab initio numerandum esse [2] nullo comprobatur testimonio, nec ad persecutiones subeundas certe necessarium. Revera in *Chronica septem Tribulationum* inter principaliores Spirituales primum explicite suum nomen commemorat a. 1289-90 [3]. Contra praedicta testimonia minoris valoris sunt locutiones eiusdem Clareni generales, quibus se adhuc S. Francisci socios vidisse vel audisse narrat [4]. Nam imprimis minime ibi semper intelligendi necessario sunt *primi* socii, fr. Leo vero nonnisi a. 1271 mortuus est [5], et procul dubio a. 1270 etiam alii, qui sanctum Patriarcham viderant, fratres supervivebant, quibuscum Clarenus conversari potuit. Illa verba de relatione cum sociis S. Francisci non necessario semper ad experientiam personalem auctoris, sed aliquando ad scripta eorum referenda esse ipse Clarenus alio loco ostendit scribens [6]:

---

[1] Annibali, *Suppl.* 155; ALKG, I, 523.

[2] Ut censuit P. Ehrle, ALKG, I, 518[2]: *Er* (Angelus) *gehörte also schon c. 1275 zu den hervorragenderen Mitgliedern der in seiner Heimatsprovinz besonders starken spiritualistischen Partei.*

[3] Trib. 5, ALKG, II, 306; cf. ALKG, I, 524; Annibali, *Suppl.* 156.

[4] *Vidi ego fratrem, qui audivit eum* [S. Franciscum] *Bononie predicantem, et qui hoc videbant, referebant...* Trib. 1, Tocco, *Le due prime Trib.* p. 42. — *Supererant* [tempore fratris Eliae Ministri Gen.] *adhuc multi de sociis beati Francisci, inter quos frater Bernardus prefatus, et frater Cesarius de Alamania..., frater Ricerius, frater Simon* [Tocco falso: *Sermo!*] *de Comitissa..., frater Angelus et Masseus et alii non pauci, de quibus aliquos ego vidi et ab ipsis audivi, que narro...* Trib. 2, Tocco, p. 72. — *...Et qui passi sunt eam* [tribulationem sub Crescentio ab Aesio 1244-47] *socii fundatoris Egidius et Angelus, qui supererant, me audiente, referebant....* Trib. 2, Tocco, p. 81. Quod si haec ultima verba premerentur, Angelus ante 23. April. 1261, quo tempore B. Aegidius Assisiensis Perusiae mortuus est, Ordinem ingressus esset, quod tamen minus vero conforme ex testimoniis claris eiusdem Clareni supra allatis duco. Addas rem ipsam parum vero similem videri; nam difficile intellectu est Angelum puerulum vix novitium in Marchia Anconitana relationem directam habuisse cum B. Aegidio, quem constat tempore morti immediate praecedenti Perusiae moratum esse.

[5] Scil. iuxta Wadd. ad 1271, n. 7, ed. 2, IV, 334, die 14. vel 15. nov.

[6] Tocco, *Studii Franc.* 304; ALKG, I, 566.

«..S. Franciscus.. multa predixit et *a suis sotiis scripta* ad utilitatem et illuminationem sequentium, *sicut ego ipse legi,* fuerunt, et ab eisdem tempore meo viventibus relata...». Ex praedictis igitur Angelum Clarenum Ordini Minorum nomen dedisse versus a. 1270 rite concludimus, quem annum ut terminum *ante quem* admittit etiam cl. P. Con. Eubel [1].

Sacerdotio numquam auctus est. In causa enim propria a. 1317 Iohanni XXII interroganti, utrum confessiones audisset, respondit: « Pater sancte, non sum sacerdos; et una de rationibus, quare nolui esse sacerdos, est quia nolebam audire confessiones [2] ». Nec tamen simplex frater laicus fuit, sed clericus [3], eo modo, quo primi Fratres Minores, uti Iohannes Parens, Fr. Elias aliique. Nec utrum praedicaverit populo, liquet, quamvis Bartholomaeus Pisanus [4] eum praedicatorem insignem vocet, et « in praedicatione et aliis » magistrum fuisse Simonis de Cassia, O. S. A., dicat. Bartholomaeus enim ex infra, p. XXX, referenda epistola hausit lugubri eiusdem Simonis de morte Angeli, in qua Simon de se scribit: « Predicabam cathetiçatus ab ipso, et sua securitate populos arguere non verebar », quibus tamen e verbis inferre non licet ipsum Angelum populo praedicasse. In missionibus vero, quibus, ut statim dicetur, est destinatus, ipsum aliquando praedicationis officium exercuisse non negarem.

---

[1] *Bull. Franc.* V, 135[1]: Angelus « inter annos 1260-1270 vili S. Francisci habitu indutus ».

[2] ALKG, II, 143-44. Quare non sensu proprio sumenda sunt verba Ademarii de Mossetto relata in eiusdem processu facto a. 1332-1334, edito a J. M. Vidal, *Procès d'Inquisition contre Adhémar de Mosset, noble Roussillonnais, inculpé de Béguinisme 1332-1334,* ap. *Analecta Gallicana, Revue d'Histoire de l'Eglise de France,* I, fasc. 5, Paris 1910, 555-89; fasc. 6, ib. 682-99; 711-24, scil.: *quod fr. Angelus sibi semel dixerat, cum sibi confiteretur de hac materia...* l. c. 716. Ademarius Angelo solum casum conscientiae proposuit, quem Angelus utique solvit. Sic etiam editor illius textus, J. M. Vidal intellexit: *Adhémar de Mosset... prétend avoir connu Clareno, et lui avoir posé un cas de conscience, à une époque certainement postérieure à 1325;* ap. *Revue des Questions historiques,* 45[e] année, vol. 88, 1[er] Oct. 1910, 372. (Cf. similem (vel eumdem?) casum conscientiae in litteris Angeli ad Philippum de Maioricis, ALKG, I, 565.

[3] Cf. infra, p. XXXV, Prologum ad *Scalam*. Vernarecci, *Le Marche,* an. VIII, vol. III, 1908, p. 187, Clarenum diaconum fuisse asseverat: *Pietro* [i. e. Angelus Clarenus], *ordinato diacono, così rimase.* Sed haec assertio nullo antiquorum comprobatur testimonio.

[4] *Anal. Franc.* IV, 513.

In litibus occasione Concilii II Lugdunensis (1274) in Provincia Marchiae exortis [1], Angelus a partibus eorum fratrum, qui primaevam Minorum Fratrum paupertatem etiam plus aequo defenderunt, stetit, indeque varias et duras sortes passus, in carceresque est detrusus, forsitan Anconae et Forani [2], donec a Gaufrido, Ministro Generali (1289-95), una cum sociis libertate est donatus c. a. 1289-90, et ut missionarius cum caeteris Marchiae Spiritualibus destinatus est in Armeniam. Hoc vero nomine non intelligenda est antiqua Armenia, sed regnum Armeniae in Cilicia a proceribus Armenis saec. XIII fundatum, cuius rex Ayton II, postea ipse Frater Minor [3], a Nicolao IV a. 1289 Fratres Minores missionarios petierat [4], et in cuius metropoli Sis, Iohannes a Monte Corvino conventum Fratrum Minorum c. a. 1289 fundaverat [5]. Hanc suam moram in Armenia (Cilicia) recolit Clarenus in *Expos. Reg.* c. I, infra, p. 27, ubi ita de spelunca S. Pauli Apostoli prope Tarsum sitam refert, ut testem ocularem auctorem fuisse facile dicas. Cum post operationem et conversationem tam laudabiles, ut Gaufridus in Capitulo Generali Parisiis 1292 habito litteras legere potuerit regis Aytonis, quibus rex illos fratres summe commendabat, Spirituales ob vexationes Fratrum Syriae (Terrae Sanctae) ex Armenia recessissent, Angelus in Italiam reversus est, circa initium a. 1294, sed in Provincia patria non est receptus.

Tunc consilio consensuque aliorum Fratrum Spiritualium, et auctoritate Ministri Generalis [6], Fr. Liberatus a Macerata, quem reliqui fratres ducem agnoverant, ad Coelestinum V Aquilae mo-

---

[1] Trib. 5 ap. ALKG, II, 301 ss. et Golubovich, *Bibl. bio-bibl. d. T. S.* I, 341 ss.; *Epistola excusatoria* ap. Annibali de Latera, *Suppl. ad Bull. Franc.* Animadv. VIII, 155; ALKG, I, 523. — Nostrum non est in sequentibus Spiritualium historiam texere, sed cum hic de solo Angelo agatur, caeterorum fata non tangemus, nisi ubi necessarium.

[2] Haec enim loca primo enumerat in longa serie carcerum, quam in epistola quadam ap. ALKG, I, 548, texit.

[3] Cf. *Anal. Franc.* III, 456; IV, 348; Golubovich, *Bibl. bio-bibl. d. T. S.*, I, 328-39.

[4] Cf. bullas Nic. IV ap. Sbaralea, *Bull. Franc.* IV, 86 s. et ap. Wadd. ad a. 1289, n. 8-9, ed. 2, V, 199 ss. Cf. etiam Trib. 5, ALKG, II, 306; Golubovich, *Bibl.*, I, 343; *Epist. excus.*, Annibali, *Suppl. ad Bull. Franc.* 156 s.; ALKG, I, 524.

[5] Golubovich, l. c. I, 339.

[6] Trib. 5, ALKG, II, 308 s; Golubovich., *Bibl.* I, 345; *Epist. excus.* Annibali, *Suppl.* 157; ALKG, I, 525.

rantem properavit unacum socio Angelo Clareno, ut divisionem ab Ordinis communitate peteret. Petitis obtentis atque Pauperum Eremitarum Coelestini nomine imposito, Spirituales in Italiam meridionalem secesserunt, protectioni Card. Neapoleonis Ursini ac benevolentiae cuiusdam abbatis Ordinis Coelestinorum a Pontifice commendati. Sed contra spem breve fuit pacis intervallum. Nam, Coelestini V privilegiis a Bonifacio VIII rescissis, ius exsistendi novae est sublatum Congregationi atque eousque iterum crevere tribulationes, ut Italiam relinquere et in Graeciam confugere statuerint zelantes. Transfretavit igitur c. a. 1295 Angelus cum sociis in Achaiam, ubi plures tunc supererant principatus latini, reliquiae Imperii graeco-latini 1204-1260. Summa pace vivebant biennio (1295-97) in parva quadam insula, cuius nomen et situs ignorantur, a P. Ehrle [1] vero argumentis non spernendis ut Trixonia in sinu Corinthi determinatur. Emissis litteris Bonifacii VIII, quarum tenor in rescripto quodam Caroli II, regis Neapolis, ad Isabellam Villeharduin, Achaiae principem conservatur [2], Spirituales in territoria Graecorum in regnum scil. Sevastocratorum (Thessalia meridionalis) transierunt c. 1298-99, ibique usque ad a. 1304-05 sedem fixerunt. Hic etiam ad a. 1300 gratiosa illa narratio, quomodo Angelus noster linguam graecam didicerit, ponitur, atque illa alia quomodo Spirituales ad mensam communem graece legerint Iustini Martyris *Expositionem in Apocalypsim,* quas narrationes infra, p. XXXV, XXXVIII, referemus. Postquam vero a fratre Hieronymo, qui deinceps Episcopus Caphensis renuntiatus est [3], visitati sunt, tentamen etiam ad Tartarorum proficiscendi missiones frustratum est [4] atque omnimodae difficultates, quas longum est enarrare, in dies creverunt,

---

[1] ALKG, II, 313, nota *a*. Angelum Clarenum prope Corinthum fuisse suadetur etiam textu quodam in *Exp. Reg.*, infra, p. 27.

[2] In Registro Andegavensium, Neapoli, vol. 97, fol. 153 v; editum est documentum ab Ehrle, ALKG, II, 334 s. Iuxta Raymundum Fronciacum, Ordinis Procuratorem, bulla Bonifacii VIII incipiebat: *Sepe sacram ecclesiam;* cf. Ehrle, ALKG, III, 12.

[3] De eo cf. Eubel, *Bull. Franc.* V, p. 74; 142; 143; 148; 213; *Epist. excus.*, Annibali, *Suppl.* 160; ALKG, I, 528. De parte quam habuit in quaestione paupertatis a. 1322 cf. Tocco, *La Quistione della Povertà nel sec. XIV,* Napoli 1910, 58; Fr. Zambrini, *Storia di Fra Michele Minorita* (Scelta di curiosità letterarie inedite o rare, vol. 50.) Bologna 1864, 66 ss.

[4] *Epist. excus.* Annibali, *Suppl.* 160-61; ALKG, I, 529-30; Trib. 5, ALKG, II, 312; 318; Ehrle, ib. III, 620; Golubovich, *Bibl.* I, 348-49.

nihil zelantibus illis superesse videbatur, nisi ut in patriam reverterentur atque auctoritati ecclesiasticae se constituerent [1]. Reapse omnes paulatim in Italiam remigraverunt, imprimis Fr. Liberatus a. 1304, deinde caeteri inter annos 1304 et 1305, omnium ultimus Angelus Clarenus [2].

Anno 1307 in eremitorio S. Angeli de Vena prope Viterbium mortuus est dux Spiritualium Liberatus a Macerata [3], qui aegritudine praepeditus erat, quominus ad Curiam Clementis V in Gallia se conferret. Ei successit in regimine fratrum Spiritualium Angelus noster, qui priore parte anni 1305 Perusiam venerat ad Card. Neapoleonem Ursini, quo in Galliam proficiscente, Angelus in partibus Romanis moratus est, donec consilio Isnardi, O. P., Vicarii Urbis in spiritualibus, qui eius innocentiam iudicio agnovisse videtur, se contulit Viennam ad Concilium generale, anno scil. 1311 [4] ibique in domo Cardinalis Iacobi Columnae habitabat [5], sequens cum eo Curiam papalem [6]. Hinc plurimas scripsit litteras ad suos in Italia exsistentes fratres, referens de omnibus quae ei cordi erant, spiritualiaque consilia impertiens.

Iohannes XXII cum diuturnam causam Spiritualium demum dirimere statuisset, Angelum Avenione c. a. 1317 in publico Consistorio

---

[1] *Misimus duos fratres ad dominum papam Bonifatium cum litteris nostris ex parte omnium, nos sue voluntati et obedientie offerentes; et alios duos, quos fratres capi et detineri fecerunt, ne se prefato domino possent presentare. Tunc frater Liberatus secretum assumpsit iter et venit usque Perusium ad dominum bone memorie Benedictum....*; *Epist. excus.*, Annibali, *Suppl.* 161; ALKG, I, 530.

[2] *Epist. excus.* l. c.

[3] Trib. 5, ALKG, II, 321; *Epist. excus.* Annibali, *Suppl.* 161; ALKG, I, 530. Locus Sancti Angeli della Vena supra Vetralla prope Viterbium hodiedum a Passionistis inhabitatur.

[4] *Epist. excus.* Annibali, *Suppl.* 162; ALKG, I, 531-32.

[5] De mutuis relationibus Angeli Clareni et Card. Iacobi de Columna cf. Ehrle, ALKG, IV, 32-33.

[6] Ex litteris quibus indicatio loci expeditionis adiungitur — quod quidem raro fit — videmus Angelum fuisse Avinione, Montepessulano, Carpentorati (1314), Valentiae (Valence) (1314-16). Cf. Ehrle, ALKG, I, 538. Initio anni 1313 Angelus se contulit in insulam Maiorcam ad visendum Philippum, filium regis Maioricae, atque apud hunc fidelem suum discipulum dies quinquaginta stetit. Cf. Angeli epistolam, ALKG, I, 543. De relationibus inter Angelum Clarenum et Philippum de Maiorica cf. J. M. Vidal, *Un ascète de sang royal, Philippe de Majorque*, ap. *Revue des Questions historiques*, 45e année, vol. 88, 1er Octobre 1910, 361-403, specialius 370-74; 392-94.

interrogavit et detineri iussit[1]. Is scripsit tunc *Epistolam excusatoriam,* in qua non mediocri eloquentia[2] se ita purgavit, ut a Iohanne dimitteretur. Mortuo Iacobo de Columna die 14 Aug. a. 1318, Angelus in Italiam reversus est, suosque rexit in regione Urbis, morans ut plurimum Sublaci, ubi monasterii Sacri Specus abbati Bartholomaeo II (1318-43)[3] amicitia erat coniunctus. Sigillo eo tempore utebatur in litteris, quod maximum eius paupertatis amorem ostendit; erat enim « ibi imago beati Francisci desponsantis paupertatem et ipsius paupertatis et in pede est ymago unius fratris genuflessi[4] ». Die 21 Feb.

---

[1] Trib. 6, ALKG, II, 143-44. — In citato processu contra nobilem virum Ademarium de Mosseto edito a J. M. Vidal, *Procès d'Inquisition* etc. ap. *Analecta Gallicana, Revue d'Histoire de l'Eglise de France,* I, n. 6, 1910, p. 713, Ademarius, iuxta testimonium Iacobi II regis Maioricarum, *narravit quod ab initio sui pontificatus ipse* [Iohannes XXII] *multum diligebat fr. Angelum* [Clarenum], *et quod erat bonus tunc et quod contigit quod papa dixit sibi* [Angelo] *quod rogaret Deum pro eo, ac etiam sciret, utrum status suus placebat Deo vel non, et tunc dictus frater se posuit in oratione et quod vidit magnam multitudinem diabolorum, qui portabant unum calicem, qui erat plenus veneno iniquitatis,* (quem papa bibit. Quam visionem cum Angelus papae retulisset, hic in eum iratus est et in alios Beguinos); *et secundum verba que predictus Ademarius post hoc dixit videbatur quod ipse firmiter credebat predicta.* Sed patet talem narrationem esse plane fictam, et in odium Iohannis XXII turpiter inventam.

[2] Cf. ex. gr. locum sequentem: *Nec apostatas nec hereticos nec excommunicatos nos esse aut fuisse cognoscimus, nisi forte sit heresis excommunicatione digna, credere, confiteri, diligere et operari cum humilitate et absque iudicio aliter sapientium, id quod sanctus Franciscus de sue regule observantia credidit et confessus est, docuit vivens et moriens amavit, et servari mandavit et operatus est: Hanc heresim me habuisse semper et me nunc habere confiteor, et de hoc iudicio vestro sto et promptus obedienterque sustineo.* Ehrle, ALKG, I, 522; Annibali de Latera, *Suppl.* 155.

[3] Sic indicatur tempus eius gubernii ap. Cherubino Mirzio da Treveri, O. S. B., *Cronaca Sublacense,* Roma 1885, Cap. XXIV, pp. 365-72, confirmaturque haec chronologia ex recenti studio, documentis innixo. P. Egidi enim apud *I Monasteri di Subiaco* a cura e spese del Ministero della Pubblica Istruzione, Roma 1904, I, 214, ut terminos gubernii Bartholomaei indicat: 2 Apr. 1318 — 11 Iun. 1343. Iuxta *Cronicon Sublacense* vero editum a Muratori, R. I. S. XXIV, Mediolani 1738, 964, Bartholomaeus gubernium suscepisset solum a. 1322 quod certo falsum est. — Fontes citati Bartholomaeum paulo liberius vixisse, deinde vero ad meliora se convertisse tradunt, de causa vero et tempore conversionis nihil indicant. Egidi, l. c. 122–24, emendationem ad a. 1327–1332 determinat, causam vero et ipse ignorat. Nonne forsan haec ex Angeli Clareni diuturna conversatione repetenda est? De relatione Angeli Clareni cum Bartholomaeo cf. ALKG, I, 553; IV, 10-11; 12; 14; BSPU, V, 415; 417; 420.

[4] ALKG, IV, 14-15; BSPU, V, 420.

1334 Iohannes XXII edidit bullam contra Angelum [1], mandans Guardiano conventus Aracoeli Romae, ut eum capi faciat. Sed Angelus eo tempore recessisse videtur in Italiam meridionalem, et quidem in Basilicatam, verosimiliter in eremitorium S. Michaelis de Basilicata [2], unde etiam litteras scripsit. Mortuus est in eremitorio S. Mariae de Aspro, in dioc. Marsico sito, die 15 Iunii 1337 [3].

Clarenum multis aequalibus tenerrima amicitia coniunctum fuisse crebro epistolarum commercio apparet. Eius amicis prae caeteris adnumerandus est celeberrimus ille concionator Simon Fidati de Cassia, O. S. A. († 1348), ab Ecclesia inter Beatos relatus [4]. Is, cum de Angeli, quem patrem spiritualem et magistrum coluerat [5], morte certior factus esset, ad consodalem Iohannem de Salerno utrique familiarem, litteras dedit, luctum quam vehementissimum mysticis verbis pandentes. Textus equidem harum litterarum cura P. Ehrle [6] et P. Mattioli [7] iam prodiit, sed ob magnum rei momentum hic denuo publici iuris facere iuvat, collatione duorum codicum, scil. lat. III, 107, fol. 30v-31v, et III, 108, fol. 9v-10v, Bibliothecae S. Marci Venetiis, eum exhibentium, instituta [8]. Textum edo iuxta codicem III, 107 (A), lectiones vero variantes codicis III, 108 (B) in notis referens.

---

[1] Ap. Eubel, *Bull. Franc.* V, 567, ad quod cf. ALKG, IV, 14; 16; et BSPU, V, 420. Utrum ad Angelum Clarenum referenda sit bulla eiusdem Pontificis data die 23 Nov. 1331: *Ad nostri apostolatus, Bull. Franc.* V, 513; Wadd. ad a. 1331, n. 2, ed. 2, VII, 116; Raynaldus ad a. 1331, n. 6, ubi *Fratres de paupere vita* dicuntur congregari sub ducatu *Angeli de Valle Spoletana, idiotae utique et quasi litterarum ignari, qui se caput et magistrum ipsorum nominat,* non liquet. Waddingus l. c. n. 1, nihil hac de identitate refert, editorque *Bullarii Franc.* P. Eubel dubitat. Ad eam vero assumendam propensus videtur Raynaldus l. c. n. 7, et eam sustinet F. Tocco, *Studii Franc.* 289, aliique.

[2] Nam inde dedit litteras; cf. Cod. Magliabecchi XXXIX, 75, fol. 138v (pars textus ap. ALKG, I, 554) et narratur factum quoddam ib. fol. 215v, qui textus ap. Annibali, *Suppl.* p. 166, et infra, p. XXXVIII, edetur, ubi de operibus Angeli agemus.

[3] Quod hoc anno Angelus mortuus sit, clarissime demonstravit P. Ehrle, ALKG, I, 520[3].

[4] Cf. N. Mattioli O. S. A, *Il Beato Simone Fidati da Cascia,* 45-47.

[5] Hoc etiam in decreto confirmationis cultus B. Simonis, 17 Aug. 1833, ap. Mattioli, l. c. expressis verbis dicitur: *qui* [b. Simon] *a teneris annis prima studiorum rudimenta a P. Angelo Clareni* [textus ap. Mattioli falso: *Claredi*] *de Cingulo Minorita accepit.*

[6] ALKG, I, 535-37.

[7] *Il Beato Simone,* 336-39.

[8] Id humanissime praestitit egregius vir Gregorius Rosolinus Gattinoni, Venetiis, cui grates refero maximas.

Cod. lat. III, 107 Bibl. S. Marci Venetiis.

[Fol. 30 v] Fr. Simon ad fratrem Iohannem predictum [1] de morte fratris Angeli de Clarino [2].

Nisi quia origo lucis manet immortalis et simpla, et vena doctrine invariabilis et divine siccitatem ignorat; et nisi fons eternus invisibiliter derivaretur in flumina et in secretissimos se rivulos partiretur ad irrigandum [f. 31 r] arrentia corda et universam animam sitientem, tanto ploratu dignos iudicarem ac vellem esse scientes, quousque oculi et cerebrum in lacrimas solverentur, ut non cessaretur a fletu priusquam, si qua sunt in corpore, humida siccarentur. Nam extinctum est hominum singulare [3] lumen, sed origo manet in Patre. Siccata est precipua vena doctrine, sed manet in Filio viva. Obturatus est in homine fons, sed Spiritus Sanctus intelligibiliter semper manet. Et si nichil ammisisse ceteri credant, mellis thesauros atque butyri penitus non viderunt, nec gustaverunt Dei celeste donum in homine supernaturaliter revelatum. Et inexpertes facti hominis super intellectum hominis elevati, quod non noverant, perdidisse non putant. Ego autem, qui novi, vidi, experimento probavi, audito transitu eius, non habui ulterius gaudium super terram, et consternatus mente, habito in caverna tristitie, ac velut privatus lumine solis incedo palpatim. Et euchari lingua sopita ut surdus audio munimina ceterorum. Et sapientes insipientes, doctos ignaros, scientes sciolos, spirituales carnales, pudicos impudicos, regulares sine lege, doctores sine vita, homines bestiales [4], illuminatos cecos extimo quos novi homines super terram, si comparatione utar ad hominem, ymmo ad [5] angelum, qui decessit. Et vere Angelus nomine, sed verior re, qui illorum vitam, quantum est possibile, imitabatur in omnibus super terram. Heu michi, quot qualiaque fulta ratione lamenta occurrunt. Nam orbatus patre, me cognosco pupillum, nec sub auctoribus [6] aut tutoribus derelictum. Lactens puer [f. 31 v] mamillam perdidit, quam suggebat, ut exalet animam suam in sinu noverce sensualitatis [7]. Fractorem panis perdidit parvulus, ut affectus fame intereat. Sitienti aqua defecit, baculus claudo, ceco dux, erranti via, naviganti proreta, bellanti arma, infirmo medicus, doctor discipulo, edentulo [8] alumpnus [9]. Nam in ipso post deum iactaveram totius mee fiducie fundamentum, et suis directionibus navigabam, sperans per ipsum portum quietis actingere. Nunc autem perdidi proprie anime scapham [10]. Et rectus ab ipso regebam alios, et dirigebam ab ipso directus. Sub eius obbedientia prelatis parebam, et in caritate subiectis securius consulebam, predicabam cathetiçatus

---

[1] Scil. de Salerno.

[2] B *Fratri Iohanni Fr. Simon salutem.*

[3] B repetit *hominum: hominum singulare hominum lumen.*

[4] B *bestias.*

[5] B om.

[6] Lege *actoribus.*

[7] B *spiritualitatis.*

[8] Qui sine dentibus est; hic = infans. Cf. Forcellini — De-Vitt, s. v.

[9] B *alunnus;* hic sensu activo = is qui alit.

[10] A *sapham* B *propriam anime scapham.*

ab ipso, et sua securitate populos arguere non verebar. Quid plura? Erant michi omnia bona pariter cum illo. Quo mortuo, cuncta in contrarium renovantur. Pono finem verbis. Nam plura dictat leti materia, quia vere currus Israelis populi spiritualis et auriga eius recessit in superioribus collocatus. Sed quia aliquarum epistolarum et dictorum eius est memoria super terram, quas ut potui, studui aggregare, tam aliis quam michi directas, nolens ut eius memoria totaliter [1] de seculo deperiret, tue benignitati transmicto quatenus, cum tibi vacaverit, non alio occupatus, paulatim scribas bona littera in carta edina aut pecorina, volumen bonum et honorificum faciendo, cum intendam, si qua de ipso invenire potero ac procurare, sempiterne mandare memorie.

Id quod B. Simon Fidati de Angelo Clareno sensit, multi et alii rerum scriptores, praesertim ex Ordine Minorum, senserunt uti Bartholomaeus Pisanus [2], Marianus Florentinus [3], Pet. Rodulphius Tossinianensis [4], Gonzàga [5], Hiquey [6], Waddingus [7], Arturus de Monasterio [8], De Gubernatis [9], Van den Haute [10], Annibali de Latera [11], Panfilo da Magliano [12] et alii sescenti, qui auctores calumniis attribuunt probra quae Spiritualibus, praesertim Angelo et suis, obiciebantur. Veteres Bollandistae Angeli nostri acta et miracula retulerunt inter *Acta Sanctorum* [13], re vera autem cultus eius numquam ab Ecclesia fuit approbatus. Negari non potest recentibus textuum editionibus memoriam Angeli Clareni, quamvis nullum haeresis vestigium ei obici possit, parumper obfuscari. Quidquid est, Spirituales paupertatem male anteponentes Ordinis et Ecclesiae oboedientiae, fines quos sibi praefixerant, attingere minime potuere, eorumque

---

[1] B *de seculo totaliter.*

[2] Cf. locum citandum, infra, p. XXXVI.

[3] Cf. infra, p. XXXVII.

[4] *Hist. Seraph. Rel.* f. 256v: *sanctitate praecipuus.*

[5] L. c. supra, p. IX.

[6] *Nitela Franciscanae religionis,* Lugduni 1627.

[7] *Annales Ord. Min.* passim. ad a. 1317, n. 15, ed. 2, VI, 271: *sanctissime audivit in religione.*

[8] L. c. supra, p. IX.

[9] *Orbis Seraphicus,* I, 606.

[10] *Brevis Historia Ordinis Minorum,* Romae 1777, 153ss.

[11] *Manuale de' Frati Minori,* Roma 1776, 176ss. Idem, *Suppl.,* Animadversio VIII, p. 138-174.

[12] *Storia compendiosa di S. Francesco e de' Francescani,* II, Roma 1876, 189 ss.

[13] Ad diem 15 Iunii, et in Appendice ad hanc diem, in ed. 1, tom. II Iunii, in ed. 3, tom. III Iunii.

sequaces non pauci in Fraticellorum errores ceciderunt[1]. Ideo acute scripsit B. Bernardinus Aquilanus[2] de nostro Angelo notissimum illud: *incidit in Scillam, cupiens vitare Charybdim;* concludendo vero subiungit[3]: « Veritatem tamen novit ille, qui nihil ignorat ».

Utrum Congregatio Clarenorum quae sub Episcoporum oboedientia vivens a Sixto IV a. 1472 Ordini Minorum subiecta est, directe ab Angelo Clareno originem habuerit, nondum omni ex parte constat[4], donec novae investigationes, quae magis ad historiam localem dirigendae sunt, instituantur.

Caput IV.

De Fr. Angeli Operibus.

Angelus Clarenus plura edidit opera, sive originalia, sive e Graeco in Latinum traducta. Dum autem auctores antiqui de eius versionibus a Graeco in Latinum disserunt, de eius operibus originalibus tacent, quod quidem cum eo cohaerere videtur, quod haec parum propagata sunt, sed intra coetum discipulorum custodita. Nostra vicissim aetate plurimum quidem de operibus Clareni disputatum est originalibus, translationes vero fuere pene neglectae; ideoque hisce inquirendis dilucidandisque paulo diutius iuvabit inhaerere.

1. Opera originalia.

Sunt sequentia:

a) Epistola excusatoria ad papam de falso impositis, et fratrum calumniis, scripta aestate a. 1317[5]. Conservatur in unico codice Magliabecchi cl. XXXIX, n. 75, fol. 138v-147r, Bibliothecae Nat. Florentiae; edita est a Flaminio Annibali de Latera, *Ad Bullarium Franciscanum Supplementum,* Romae 1780, Animadversiones, p. 153-164, et a F. Ehrle, S. J., ap. *Archiv für Litteratur- und Kirchengeschichte des M. A.*, I, Berlin 1885, 521-533.

---

[1] Indubium est bullam Iohannis XXII *Sancta Romana,* Avinione 30 Dec. 1317, Eubel, *Bull. Franc.* V, p. 134, qua Fraticellorum errores damnantur, contra Angeli Clareni asseclas latam esse. Cf. Ehrle, ALKG, IV, 64-180.

[2] *Chronica,* ed. Lemmens, p. 5.

[3] L. c. p. 6.

[4] Diplomata pontificia de Clarenorum Congregatione ap. De Gubernatis, *Orbis Seraphicus,* I, 607-14; cf. etiam *Archiv. Franc. Hist.* III, 1910, 254[1].

[5] Cf. Ehrle, ALKG, I, 521[2].

b) Expositio Regulae Ordinis Fratrum Minorum, quae hic editur.

c) Chronica septem Tribulationum Ordinis Minorum conservata paucis codicibus latinis scil. Florentiae, Bibl. Laurentiana, Plut. XX, cod. 7; cod. 1/67 Archivi S. Isidori de Urbe (cuius apocraphum ex fine saec. XVIII vel initio saec. XIX detexi in Bibliotheca Fratrum Minorum, Matelicae, cf. *Arch. Franc. Hist.*, IV, 1911, p. 8), et codex Verna-Quaracchi in Collegio S. Bonaventurae, Ad Claras Aquas, asservatus, qui descriptus est a P. Sat. Mencherini, O. F. M., ap. *La Verna,* IV, 1907, 480-83.

Versio italica habetur in cod. cl. XXXVII, n. 28, Bibl. Nationalis Florentiae; in cod. 1487 Bibl. Riccardianae, ib.; in cod. olim Conventus Frat. Min. Senis; quorum codicum descriptionem videas ap. G. Golubovich, *Biblioteca bio-bibliogr. d. T. S.*, I, 51-55. Cf. etiam Ehrle, ALKG, I, 154-56.

Nondum habetur editio integra, sed praeparatur pro serie *Analecta Franciscana.* Interea habentur editiones partiales notabiles scil. Ehrle, ap. ALKG, II, 1886, 125-155; 256-327; I. Döllinger, *Beiträge zur Sektengeschichte des Mittelalters,* II, München 1890, 417-526; F. Tocco, *Le due prime Tribolazioni dell'Ordine Francescano,* Roma 1908. (Estratto dai *Rendiconti della R. Accademia dei Lincei,* Classe di Scienze morali, storiche, e filologiche, vol. XVII, 1908, fasc. 1-4, pp. 3-32; 97-131; 221-236; 299-328); G. Golubovich, *Bibl. bio-bibliog. di T. S.*, I, 341-49.

d) Praeparantia Christi Iesu habitationem et mansionem ineffabilem et divinam in nobis secundum exterioris et interioris hominis mores in Codice III, 107, Bibl. S. Marci, Venetiis, fol. 80v-81v, edita a N. Mattioli, O. S. A., *Il beato Simone Fidati da Cascia* (Antologia Agostiniana, II) Roma 1898, 467-471.

e) Breviloquium super doctrina salutis ad parvulos Christi in eodem Veneto cod. III, 107, fol. 82r-88r editum a Mattioli, l. c. 471-487.

Praedicti duo tractatus ascetici iam commemorati sunt ab Annibali, *Suppl.*, Animadversiones, p. 171-72. Cf. etiam Valentinelli, *Bibliotheca manuscripta ad S. Marci Venetiarum,* II, Venet. 1869, 201; Ehrle, ALKG, I, 535[2]; F. Tocco, *Studii Francescani,* Napoli 1909, 294-296, ap. quem quaedam fragmenta textus ex Mattioli l. c.

f) Epistolae scriptae inter annos 1311 et 1336 collectae verosimiliter a B. Simone de Cassia et conservatae in unico cod. Ma-

gliabecchi XXXIX, 75, fol. 1 r-214 r, inter quas epistolas etiam *Epistola excusatoria,* supra memorata. Extracta ex illis ap. Ehrle, ALKG, I, 543-569; ap. Tocco, *Studii Francescani,* Napoli 1909, 296-310. Cf. etiam *Acta SS.* appendix ad diem 15 Iunii, ed. 1, tom. II Iunii; ed. 3, tom. III Iunii. Edentur ap. *Analecta Franciscana.*

Haec sunt ea opera originalia Angeli Clareni, quae nunc ab omnibus ei attribuuntur. Non multis abhinc annis eg. P. Golubovich catalogum operum Clareni augere studuit, opere scilicet cui male a primo editore titulus *La Leggenda antica* [1] appositus est. Bene meritus auctor haec scribit in docta dissertatione quam de hoc textu instituit [2]: « Il compilatore dunque della leggenda Capponiana non sarebbe altri che il troppo noto frate Angelo Clareno, l'autore stesso della ormai celebre Cronaca delle Tribolazioni! Questo indubbiamente ci sembra risulti dal confronto specialmente de' capp. 17, 28 e 29 della leggenda coi relativi brani della detta Cronaca, d'onde evidentemente appare uno e stesso esser l'autore delle due opere .... ». Negari quidem non potest multa communia inesse in utraque compilatione, et etiam talia quibus manifestum est unum eumdemque auctorem scribere. Sed hoc nihil mirum in litteratura franciscana, ubi compilatores haud raro fragmenta integra characterem personalem exhibentia absque scrupulo transcribunt. Quare, quoniam hoc in casu nihil certi pro communi auctore concludi potest, textus autem illi utrique communes, uti P. Golubovich recte observavit, stilum omnino produnt Clareni, in eis auctorem compilationis *Leggenda antica* potius a Clareno dependere, in aliis vero locis fontibus communibus utrumque auctorem usum esse rectius videtur retinendum [3].

2. Versiones e Graeco.

Angelum nostrum linguam graecam calluisse constat, sicut etiam notum est eum e graeco in latinum quosdam tractatus

---

[1] Edidit S. Minocchi, Firenze 1905. Partem eiusdem textus iuxta codicem Tudertinum Conventus Montis Sancti iam ediderat Faloci Pulignani ap. *Miscellanea Francescana,* VIII, 1901, 87 ss.

[2] *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa,* I, p. 46. Iam pridem similia scripserat idem Auctor: *Esame di alcune fonti storiche di S. Francesco del secolo XIV,* Firenze 1905, Estratto dal periodico *Luce e Amore,* II, 1905, 255-64.

[3] Cf. etiam U. Cosmo, ap. *Giornale storico della Letteratura italiana,* a. XXIV, vol. XLVIII, Torino 1906, p. 185-86; F. Tocco, *Le due prime Tribolazioni,* p. 4; idem, *Studii Franc.* 51-52; Van Ortroy, ap. *Analecta Bollandiana,* XXXI, 1912, 112.

SS. Patrum convertisse. Antiquissimum testimonium de utroque facto est Prologus traductoris italici *Scalae Paradisi* Ioh. Climaci, quo ex Prologo alii posteriores rerum scriptores mediate vel immediate hauserunt. Editus est ille Prologus a Ceruti, *La Scala del Paradiso,* Bologna 1874, 1-3, (reimpressio huius textus Ceruti ap. N. Mattioli, *Il b. Sim. da Cascia,* 57-58), et a F. Tocco, *Stud. Franc.* 293-94. Ob magnum huius textus momentum hic denuo illum edimus et quidem iuxta codicem doctis illis non notum, conservatum in privata quadam Bibliotheca, membranaceum, scriptum a. 1430. En textus:

Prolago come questo libro fu trasmutato di greco in latino.

Secondo la sententia di messer sancto Iacopo *Ogni dato ottimo et ogni dono perfetto è dato di sopra et discende dal padre de' lumi.* Et l'apostolo dice: *Per la gratia sono quello che sono.* Et poi sogiugne: *et la gratia sua non fu in me vota.* Considerando il venerabile religioso frate Agnolo de' frati minori et avendo per divino miracolo ricevuta notitia della lingua greca gratiosamente, così gratiosamente ci volle fare participi di quello dono.

Essendo frate Liberato capo et padre di tutti i fraticelli della povera vita nelle parti di Romania in uno romitorio et essendovi con gl'altri il predetto frate Agnolo, adivenne che nella nocte della pasqua di natale, frate Liberato et frate Agnolo et molti altri fraticelli andarono al mactutino al monistero predetto, et erano nel torno di ottanta fraticelli. Et cantandosi l'ufficio et dicendosi le lectioni de' frati greci, subitamente sentendosi frate Agnolo infondere nell'animo per divino miracolo la notitia del lingua greca, andò al padre suo frate Liberato et dimandòli licentia di dire una lettione in quella lingua et dicendo *benedicite.* Della qual cosa maravigliandosi frate Liberato, considerando la sanctità sua, li concedette che andasse a dire. Et così lesse quella lettione come se fusse nato et sempre nutricato in quella lingua greca, et da indi inançi seppe liberamente parlare in greco.

Onde non volendo che questa gratia fussi vota in lui, per utilità de' fedeli latini cercò tra i loro libri. Et vide che questi tre libri erano occulti alli Latini et traslatòlli. Il primo di sancto Basilio et è per modo di regola. Il secondo si chiama Climaco, il quale compose sancto Giovanni Scalastico [1] abate d'uno monasterio del monte Sinai. Sancto Giovanni predecto compose due libri, uno della vita activa, l'altro della contemplativa. Quello della vita contemplativa, trovò che era tanto profondo d'alteçça che non si mise a traslatarlo. Traslatò questo della vita activa. Il terço fu di sancto Machario. Ne' quali libri si truova perfectione d'ogni virtù et rimedio contro ad ogni vitio. Et questi libri traslatò pienamente et con grande sollecitudine di greco in latino, correnti gli anni Domini MCCC°. Al tempo di papa Bonifatio.

---

[1] Ordinarie *Scolastico,* codex vero noster clare *scalastico,* quod procul dubio, quamvis mendose, a *scala* derivatur. Cf. Matth. Raderum ap. Migne, P. G. 88, 611.

Antequam hunc textum expendamus, adiungimus quaedam alia antiquiorum auctorum testimonia atque imprimis ea quae scribit Barth. Pisanus, *Liber conform.* fructus XI, pars 2, *Anal. Franc.*, IV, Ad Cl. Aquas 1906, 513:

Custodia Anconitana... habet locum de Cingulo, de quo fuit ille praedicator insignis frater Angelus, sanctitate et paupertate praeclarus; qui divinitus linguam graecam accepit et grammaticam graecam, et Ioannem Climacum de graeco transtulit in latinum, dialogum beati Macarii pulcherrimum et quendam librum devotissimum beati Ioannis Chrysostomi, qui qualis fuerit, eorundem librorum stilus profundus evidenter declarat...

In alio loco, fructus VIII, pars 2, *Anal. Franc.*, IV, 340, idem Bartholomaeus iterum loquitur de Clareno nostro, sed sub alio nomine:

Frater Gentilis de Cingulo, etsi caruit magisterio, transferendo de graeco in latinum Ioannem Climacum, dialogum Macarii et quendam librum Ioannis Chrysostomi, apud doctos et Christi amicos in memoriale erit perenne.

Eumdem scriptorem esse, Gentilem et Angelum de Cingulo, iam notavit Waddingus, *Scriptores*, s. v. *Gentilis*, et Sbaralea, *Suppl. ad Script.* s. v. [1].

His testimoniis e saec. XIV duo alia adicere liceat saec. XV. B. Bernardinus de Aquila, *Chronica Fratrum Min. Observantiae*, ed. Lemmens, Romae 1902, p. 4, scribit:

Iste bonus homo [Angelus de Clareno] de Italia pulsus perrexit in Graeciam. Et cum esset nocte Nativitatis Domini in quadam ecclesia, in qua lingua graeca dicebatur officium divinum, in se gratiam sentiens et genuflectens coram praelato dixit: *Iube domne benedicere.* Praelatus, qui iam suam sanctitatem cognoverat, benedixit eum; ille vero ad librum accedens lectionem in lingua graeca perlegit ac si graecus natus esset, et in lingua illa diutius eruditus extitisset. Et ex tunc in posterum graecae linguae notitiam habuit, ita ut nonnullos libros de graeco in latinum transtulerit. Inter alios vero libros, secundum quod mihi relatum fuit, notabile volumen transtulit et maximae utilitatis, quod nos Ioannem Climacum vocamus a Climas, quod est scala, quae ad similitudinem scalae triginta gradus habet. Iste liber in nostra familia magnae reputationis habetur; docet enim spiritualem vitam, docet tentationes daemonum et vitia, ut vitentur, et virtutes, ut sequi valeamus, miro modo demonstrat, ut clarius viderunt, qui ipsius notitiam habent.

---

[1] Habetur alius *Gentilis de Cingulo*, sed ipse fuit saecularis Doctor Bononiensis saec. XIII, de quo cf. Chevalier, *Répertoire bio-bibl.* ed. 2, I, 1698; Bandini, *Catalogus Codicum lat. Bibl. Medic. Laurentianae*, IV, Florentiae 1777, 722.

Marianus Florentinus, *Compendium Chronicarum Ordinis FF. Minorum* ap. *Arch. Franc. Hist.*, II, 1909, 469-70, (editio separata, Ad Cl. Aquas 1911, p. 53-54) haec scribit:

Angelus de Cingulo sanctitate et zelo paupertatis his temporibus [a. 1289] clarebat, qui divinitus in nocte Nativitatis linguam et gramaticam grecam accepit, ex quo de greco in latinum dialogum Beati Macharii et librum Sancti Iohannis Climaci traduxit.

Testimonia relata ipse Clarenus scriptis suis confirmat. Nam linguae graecae gnarum se monstrat Clarenus etiam in *Expos. Reg.* quam edimus. Infra enim, p. 15, observationes acutas et iustas instituit de differentia inter ζωή (vita animalis) et βίος (virtuosa sanctorum conversatio, idest *Vita* (sanctorum) sensu technico sumpta) et alia similia. De Graecorum *completis historiis Sanctorum* p. 20, de eorum Psalterio p. 83, de auctoribus qui *multa Greco sermone scripta reliquerunt* p. 155, sermo fit. Imo ipsum alphabetum graecum, litteris singulis scriptura graeca scriptis, et nomine graeco litteris latinis repetito, nobis exhibet Clarenus in cap. III suae *Expos. Reg.*, p. 85-88.

His exemplis adici possunt ea quae Clarenus in *Chronica sept. Trib.*, Trib. 6 (7), ALKG, II, 137, exhibet, ubi mystice quasdam alphabeti graeci litteras explicat, ex. gr.:

Fi dicamus (digamma) est ex duobus gamis figuratum F, que senarium numerum important et est in alfabeto Grecorum XXI et precedit x grecum, quod quidem x apud Latinos XX primum est in alphabeto. Et post ipsum x sequitur y, quod apud Grecos est fy. Fy Franciscum dicit etc.

Deinde, ad quemdam Dominum Rubertum de Mileto, Dei et servorum eius amatorem, haec Clarenus inter alia dicit [1], Cod. Magl. XXXIX, 75, fol. 117 v:

Mittit vobis per latorem presencium fr. Franciscus de Falirone [2], qui fuit Neapoli, regulam sancti Basilii, et quia ipsam cum multo labore et contra meam voluntatem de greco [3] ut scivi transtuli in latinum et eius copia non habetur, habeatis sollicitudinem custodiendi eam ita quod non perdatur. Sed iterum veniat ad manus meas, quia sunt aliqui servi Dei in his partibus, qui ipsius copiam habere desiderant.

---

[1] Textus etiam ap. Ehrle, ALKG, I, 553.

[2] Sic correctum in codice ex *Falarono*.

[3] Codex add. *eam*, quod tamen expunctum est.

Demum inter Miracula in eodem codice fol. 215 v. sequens legitur factum, quod simul amorem quemdam librorum, sicut et praecedens textus, in sene Angelo revelat [1]:

Frater Petruccius de Roccha Montis Draconis, dum esset cum eo [scil. Ang. Clareno] una dierum in heremitorio sancti Michaelis, et vir sanctus vellet unum quaternum ligare in uno libro greco, qui ad manus eius pervenerat accomodatus, et acus quam [2] ipse habebat esset nimis subtilis, et dictus frater grossiorem haberet in suo acuario et cogitaret in mente sua ut eam accomodaret sibi et ex alio latere formidaret ne rumperetur in opere supradicto, in predicta dubitatione manente, vir sanctus subito dixit eidem: Non peniteat te, et dum ipse peteret de quo? respondit sibi: de accomodatione acus in qua formidas. Ego enim restituam tibi incontinenti quod perfecero opus istud.

Coronidis instar alium textum addam, quo Clareni linguae graecae cognitio, quamvis tacito nomine, meo iudicio directe, saltem autem indirecte probatur. Ubertinus enim Casalensis. *Arbor Vitae,* V, 8, Mediolani 1485, primo folio post F IIII ra, narrat factum quod evenit tempore Bonifacii VIII inter Spirituales, qui fugerant in Graeciam (cf. supra, p. XXVI), quodque factum Ubertinus audiverat « a duobus vere evangelicis viris », qui interfuerant, et « quorum unus optime scit graecum ». Valde suspicor hunc esse Angelum Clarenum. Ubertinus enim Opus praedictum complevit 28 Sept. 1305 in Monte Alverno, dum immediate antea, 1304-05 Perusiae morabatur [3]. Iam vero praecise priore medio a. 1305 Angelus Clarenus e Graecia Perusiam venit (cf. supra, p. XXVII). Cum insuper erant amici Angelus et Ubertinus [4], nihil mirum huic illud factum Angelum narrasse sive Perusiae, sive in Monte Alverno a Perusia non nimis dissito. Quidquid est, textus Ubertini demonstrat illos fugitivos, paupertatis asseclas, linguam graecam coluisse, non solum unum alterumve, sed integrum coetum, secus enim textus graecus ad communem mensam lectus non fuisset. En Ubertini verba:

Audi stupendum et iocundum beneficium spiritus sancti. Ego audivi a duobus vere evangelicis viris, quorum unus optime scit graecum, et alius aliquantulum, quod dum legeret ad mensam ille, qui me-

---

[1] Textus etiam ap. Annibali de Latera, *Supplementum,* Animadversio VIII, p. 166.

[2] Sic recte codex; Annibali male: *quem* et subinde: *eum.*

[3] Cf. Huck, *Ubertin von Casale,* Freib. i. B. 1903, 24.

[4] Clarenus de Ubertino in *Historia septem Trib.* et in epistolis semper summa cum laude loquitur, ipseque praecise pro hoc temporis spatio optimus est fons vitae Ubertini, cf. ALKG, II, 132 ss.; I, 544.

lius scit, librum Iustini martyris doctoris graeci super apo[calypsim][1] et venisset ad hunc locum, quod idem Iustinus computando litteras grecas componit ex litteris huius numeri apud grecos nomen istud *benedictos,* qui nominativus singularis huius nominis latini *benedictus* et dicit quod hoc est nomen futurum predicte bestie. Quid clarius ad propositum dici potest? Ille qui legit mihi dixit sic esse duo qui audierunt dum legeretur ad mensam illis pauperibus evangelicis, qui timore utriusque bestie predicte confugera[n]t ad grecos, ut ibi paupercule victitarent, dixerunt mihi quod tota illa congregatio pauperum spiritu, hoc audito, exultavit et risit, et qui legebat subrisit similiter dixit ad fratres: Si benedictus de anagnia[2], qui nunc regnat, sciret hoc, ipse miteret totis viribus suis ut haberet et combureret librum istum, qui sic aperte eius aperit falsitatem.

Clarenus igitur cum in Graecia moraretur, linguam graecam didicit et inde a Nativitate Domini a. 1300 libros graecos in commodum et spiritualem profectum Latinorum in latinum vertere coepit. Ille annus 1300 in omnibus fere codicibus italicis Scalae habetur, quare hic annus ut terminus *post quem* versionum est omnino retinendus, et inde corrigendi auctores antiqui et moderni qui annum assignant 1294, uti Raderus[3] et Ehrhard ap. Krumbacher[4]. Terminus *ante quem* versionum videtur esse a. 1305. Nam iterum in *Scalae* prologo dicto Clarenum inter libros illorum Monachorum graecorum — procul dubio Basilianorum — quaesivisse et inde codices graecos ad versionem exarandam deprompsisse narratur. Hoc autem certo evenit ante reditum in Italiam, qui uti diximus a. 1305 effectus est. Utique etiam in Italia meridionali in Basilicata scilicet, ubi inde ab anno 1334 usque ad mortem 1337 morabatur, libri graeci non deerant ob monasteria Basilianorum ibi exsistentium, et uti habemus testimonium explicitum in Angeli miraculis supra relatum. Sed nullo modo Angelum senem laborem non modicum traductionum suscepisse crediderim.

---

[1] Ios. Pohl, *Schrieb Justinus Martyr eine Erklärung der Apokalypse?,* ap. *Historisches Jahrbuch,* XXXI, 1910, 538-54, hoc testimonio usus est ad sententiam affirmandam Iustinum librum super Apocalypsim composuisse. Erravit vero cl. auctor, loquens « de monacis graecis » : Damals also lasen griechishe Mönche Justins Buch... l. c. p. 551; erant Spirituales nostri.

[2] Textus *anagria.* Benedictus de Anagnia est Papa Bonifacius VIII, vocatus antea Benedictus Gaetani, oriundus Anagnia.

[3] *Isagoge ad Scalam,* c. 4, ap. Migne, P. G. 88, 613.

[4] *Geschichte der byzantinischen Litteratur,* ed. 2, München 1897, p. 144

Ex praedictis testimoniis catalogum versionum latinarum ab Angelo Clareno e graeco perfectarum texere possumus aliisque fontibus illustrare.

a) Regula S. Basilii.

Clarenum traduxisse S. Basilii librum, qui formam habet regulae, testatur Prologus ad Scalam, et ipse Clarenus. Cf. supra p. 00.

Qualem vero regulam vertit S. Basilii, cum hic maiorem et minorem conscripserit et insuper sub eius nomine Constitutiones Monasticae circumferrentur?

Hic primum advertas Regulam S. Basilii ante Clarenum Latinis notam fuisse ex versione compendiata Rufini utriusque Regulae, quae habetur ap. L. Holstenium, *Codex Regularium*, ed. Brochie, I, Augustae Vindelicorum 1759, 67-108, et inde apud Migne[1], P. L. 103, 483-554.

S. Basilii vero Regula apud Clarenum nec solam breviorem, nec fusiorem solam regulam significat, sed utramque unacum *Constitutionibus Monasticis*, ab eruditis tamen viris S. Basilio abiudicatis, et *Sermone ascetico*. Hi enim omnes tractatus sub nomine Regulae S. Basilii in hac *Expos. Regul.* promiscue citantur. Cf. infra, pp. 116-18; 120-22: « Regula S. Basilii » = *Reg. fusius tractata* et *Const. Monast.*; p. 138-41: « Prologus Regulae » = *Constitutiones Monast.*; p. 186: « in alio capite Regulae » = *Sermo asceticus*; p. 201: Regula = *Reg. brevius tractata.* His adnumerandi forsan etiam alii Sancti tractatus citati a Clareno, Regulae vocabulo non adiecto, uti p. 220-21: *De renuntiatione saeculi,* et iuxta eiusdem Regulae descriptionem Clareni p. 154: *De fide*, qui tractatus etiam iuxta Photium[2] ad Regulam S. Basilii pertinet.

Clarenus igitur nomine Regulae S. Basilii intellexit et inde etiam latine reddidit illa Sancti scripta quae antiquitus iam *Ascetica* audiebantur, quo tamen nomine singuli auctores nunc plures nunc pauciores tractatus comprehendebant, quo de argumento cf. Garnier-Maran ap. Migne, P. G. 31, 63 ss. Excludenda videntur e Regula S. Basilii, quam Clarenus prae manibus habuit, *Moralia* quae pariter ad *Ascetica* pertinent, a Clareno vero numquam citantur.

Utrum codices Clareni versionis dictorum S. Basilii scriptorum exstant, nescio. Proxime accedere videtur Cod. 227 (CCXXIV)

---

[1] Bardenhewer, *Patrologie*, ed. 3, Freiburg. B. 1910, 245, igitur minus correcte dicit hanc Rufini versionem deesse ap. Migne.

[2] *Bibliotheca*, cod. 191, Migne, P. G. 103, 634 s.

saec. XIV, Bibliothecae Abbatiae Sublaci, qui tamen nonnisi ex descriptione L. Allodi, O. S. B., ap. Mazzatinti, *Inventari dei Manoscritti delle Biblioteche d'Italia,* I, Forlì 1890, p. 203, mihi innotescit. In hac *Expos. Reg.* plures habentur particulae, quae ad illam versionem spectant quasque supra indicavimus. Eis addas illas *Regulae fusius tractatae* pp. 113-14; 146-47; 184-85.

Hanc Clareni versionem forsan iam cognovit Ubertinus a Casali, qui de Regula S. Basilii magna laude loquitur[1]: *Fuit* [*Franciscus*] *etiam quartus inter ordinum patriarchas: Benedictum, Augustinum, Dominicum et Franciscum. Et hoc quo ad Latinos. Nam inter Grecos fuit primus regule institutor preclarus vir Basilius: cuius regula ad perfectionem evangelicam magis videtur accedere.*

b) Scala Paradisi Iohannis Climaci.

Hac de versione constans et uniformis auctorum (cf. supra) est testimonium. Nullus tamen hucusque qui sint codices eam continentes, quaenam editiones qualisque ad posteriores versiones relatio, systematice inquisivit. Quare paulo diutius huic rei incumbere nos oportet. Investigationum vero initium sumpsimus ab iis locis *Scalae,* qui huic *Expos. Reg.* inseruntur, qui sunt tres, scil. e gradu I et XXIII (alias XXII), infra, p. 31-32, et e gradu XXVI, infra, p. 83-84; quartus locus, e gradu IV, p. 60, est magis exiguus quam ut ex eo certi quid erui possit. Hos locos cum codicibus et editionibus comparantes facile statuere licet, quinam codices, quaenam editiones Clareni versionem contineant. Codices vero *Scalae* saec. XIV et initii saec. XV ob chronologicas rationes Clareni textum exhibere debent, cum eo tempore, praeter hanc, nulla alia versio exstaret[2], quod confirmatur etiam ex eo quod nullum codicem saec. XIV anteriorem invenerim. Sed et plures codices saec. XV, post exortam Traversarii versionem, Clareni textum

---

[1] *Arbor Vitae,* V, 3, primo folio post D IIII, va.

[2] L. Frati, *Indice dei Codici latini conservati nella R. Biblioteca Universitaria di Bologna,* Firenze 1909, p. 381 Codicem lat. 885 (1722) Bibl. Universitatis Bononiensis, Scalam Climaci continentem affirmat esse saec. XIV. Sed cum codex, ut mecum communicavit P. Theodosius Mezzetti, O. F. M., Lector generalis historiae ecclesiasticae, Bononiae, contineat versionem Ambrosii Traversarii (sicut etiam codex 798 (1561) eiusdem Bibliothecae, L. Frati, l. c. p. 353) necesse est eum codicem saec. XIV esse posteriorem, cum Traversarius solum a. 1400 Camaldulensium Ordinem ingressus sit, et post suum ingressum Scalam traduxerit.

continent. Animadvertas tamen, quaeso, non omnes codices huc spectantes, quorum numerus non est exiguus, hic recenseri, sed eos tantum, quibus magna Angeli versionis propagatio ostendatur, quam etiam Bernardinus Aquilanus, supra, p. XXXVI, testatur.

α) Cod. lat. 5882 (Ebersb. 82) saec. XV Bibliothecae Reg. Monacensis. Est ille codex, quem Raderus, S. J., in bibliotheca sui Conventus Ebersberg, Bavaria, asservari dicit[1], scriptus magna ex parte a quodam Leonardo Strauss, qui inter a. 1453 et 1485 in illo monasterio, tunc Ord. S. Benedicti, amanuensis munere fungebatur[2].

Continentur[3] in eo Codice f. 1 Litterae mutuae Iohannis abbatis Raythu et Iohannis Climaci; f. 2 ss. Scala; f. 68 Sermo ad pastorem; f. 79 commendatio Ioh. Climaci, et alia huc non pertinentia, de quibus cf. *Catalogus Codicum latinorum Bibliothecae Regiae Monacensis,* III, pars III, Monachii 1873, p. 50. Dispositio *Scalae* est parumper diversa ab illa edita apud Migne, P. G. 88, 631 ss. Gradus XVI in hoc codice correspondet Gradui XVI et XVII ap. Migne, dum econtra Gradus XXIII ap. Migne, in codice dividitur in Grad. XXII et XXIII, et deinceps correspondent. Loci collati e Gradu I, p. 31 nostrae editionis, et e Gradu XXII (alias XXIII) pag. 31-32 nostrae editionis, variantes exhibent, quae non excedunt modum ordinarium, et partim confirmant lectiones Codd. AD. (supra, p. XI; XVII).

β) Cod. 137, membr. saec. XIV Bibl. publ. Brugis in Belgio, qui videtur esse originis franciscanae; continet enim praeter *Scalam* et tractatum quemdam ibi S. Basilio adscriptum, *Itinerarium mentis in Deum* S. Bonaventurae, et Ioachim de Flore, *De semine scripturarum*[4]. P. J. Laude, *Catalogue... des Manuscrits de la Biblio-*

---

[1] « Interpretationem Angeli de Cingulo editam non vidi, sed existimo illam cuius exemplar habemus ms. in Ebersbergensi sede ». Ap. Migne, P. G. 88, 615. De transitione huius monasterii O. S. B. ad Jesuitas a. 1595, cf. B. Duhr, *Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge,* I, Freiburg i. B. 1907, 376-77.

[2] Ex benigna communicatione cl.mi Bibliothecarii Dr. Leidinger, Monachii.

[3] Collationem fraterne nobis instituit P. Dagobertus Stöckerl, O. F. M., Monachii, cui etiam ob alia auxilia in hac editione comparanda fraterne saepius lata gratias ago quam maximas.

[4] Auctor dicitur in codice *de Monte Cassino: Incipit liber abbatis joachimi de monte cassino.* Sed nullus Joachim abbas illius monasterii innotescit, ut interroganti mihi etiam confirmavit R. P. Bruno Albers, O. S. B. Indoles prophe-

thèque publique de Bruges, ib. 1859, p. 125, falso codicem saeculo XIII adscribit, revera est saec. XIV; cf. *S. Bonav. Opera omnia,* V, Ad Claras Aquas 1891, p. XXVIII. *Scala* caret Graduum divisione. E textu collato[1] e Gradu I, infra, p. 31, apparet exhiberi textum Angeli, cum paucis variantibus.

γ) Cod. lat. 1564, *Fondo antico* 81, membr. saec. XIV, Bibl. S. Marci, Venetiis. In eo continentur f. 5-7 contemplatio Scalae; Vita breviata Ioh. Climaci auctore Daniele monacho; f. 8-9 Litterae mutuae Iohannis abbatis Raythu et Ioh. Climaci; sequitur Scala; f. 90-94 Liber ad pastorem; f. 94-96 commendatio Ioh. Climaci et sermonis eius edita a Ioh. abbate Raythu. Cf. Valentinelli, *Bibliotheca manuscripta ad S. Marci Venetiarum,* II, Venetii 1869, p. 190-91. Ex ampliori descriptione et lectionum collatione[2] patet hunc codicem eamdem Graduum divisionem habere ac Codicem Monacensem (supra sub *α*) atque etiam in lectionibus plurimis cum eo convenire.

δ) Cod. 658 (1074) membr. anno scriptus 1411, Bibl. Mazarinae, Parisiis, scriptus ap. Claustrum *Septem Fontes* in Brabantia. Tum ob tempus transcriptionis, tum ex paucis, quae de eo tradit A. Molinier, *Catalogue des Manuscrits de la Bibl. Mazarine,* I, Paris 1885, p. 299, liquet esse Angeli Clareni versionem. Continentur in eo: Litterae mutuae Ioh. abb. Raythu et Ioh. Climaci; Scala; Sermo ad pastorem; Commendatio Ioh. Climaci et sermonis huius; Vita sub compendio sancti Ioh. Climaci edita a Daniele monacho.

ε) Cod. 482 (446 F. L.) membr. saec. XV Bibl. *de l'Arsenal,* Parisiis. Ex descriptione Henry Martin, *Catalogue de la Bibl. de l'Arsenal,* I, Paris 1885, p. 332, videtur solum tredecim priores Gradus unacum commentariis Dionysii Carthusiani continere.

---

tica tractatus revelat pariter auctorem, vel potius eius scholam. In catalogis operum Ioachimi abbatis a Denifle, ALKG, I, 90ss. et I. Ch. Huck, *Ubertin von Casale,* Freib. i. B. 1903, 72ss. textis, opusculum *De semine scripturarum* non invenitur, certo autem id c. a. 1292 iam cognovit Arnaldus a Villanova, qui Introductionem ad illud, conservatam in Cod. Vat. lat. 3824, f. 1-13, composuit; cf. H. Finke, *Aus den Tagen Bonifaz VIII,* Münster i. W. 1902, p. CXVIIs.; P. Diepgen, *Arnald von Villanova als Politiker und Laientheologe,* Berlin und Leipzig 1909, p. 16.

[1] Id humane praestitit Bibliothecarius De Poorter.

[2] Nobis benigne facta a Greg. Ros. Gattinoni.

ζ) Cod. lat. 2043 (2282) membr. saec. XIV Bibl. Reg. Bruxellensis. Habentur f. 2r-3r Litterae mutuae duorum abbatum Iohannis Raithu et Climaci; f. 3r-165v. Scala. Cf. Van den Gheyn, *Catalogue des Manuscrits de la Bibl. royale de Belgique,* III, Bruxelles 1903, p. 264.

η) Cod. lat. 1320 (8261-70) membr. saec. XV, Bibl. Reg. Bruxellis. Insunt f. 2r-66r Scala; f. 66r-67r Laus et commendatio Ioh. Climaci; f. 67r-68v Vita sub compendio sancti Iohannis Climaci edita a Daniele monacho; f. 68v-73 Sermo Iohannis Climaci ad pastorem. Cf. Van den Gheyn, l. c. II, Bruxelles 1902, p. 271-72.

ϑ) Cod. lat. 1319 (9320-24) membr. et chart. scriptus a. 1432 Leodii, Bibl. Reg. Bruxellis. Habentur praeter alia f. 2r-2v Epistola Iohannis ducis Raythu; f. 2v-50v Scala; f. 50v-51v Vita sub compendio Sancti Ioh. Climaci. Cf. Van den Gheyn, l. c. II, p. 271. Pro codicibus sub ζ, η, ϑ cf. insuper *Catalogue des Manuscrits de la Bibl. Royale des Ducs de Bourgogne,* I, Bruxelles et Leipzig 1842, 46; 166; 187, ubi etiam *initia,* in Catalogo moderno omissa, dantur, e quibus apparet de Angeli Clareni versione agi.

ι) Cod. 112 (CIX) membr. saec. XIV, Bibl. Abbatiae Sublaci (Subiaco). Continentur inter alia fol. 79 ss. Vita Ioh. Climaci auctore Daniele monacho; Scala; f. 132 ss. Sermo ad pastorem. Cf. L. Allodi, O. S. B., ap. Mazzatinti, *Inventari dei Manoscritti delle Biblioteche d'Italia,* I, Forlì 1890, p. 181.

κ) Cod. 213 (CCIX) membr. saec. XIV, Bibl. Abbatiae Sublaci. Insunt: Vita Ioh. Climaci; epistola abbatis Ioh. ducis Raythu (et responsum Ioh. Climaci?); Scala; Sermo ad pastorem. Cf. Allodi, ap. Mazzatinti, l. c. I, 201.

λ) Cod. 132 membr. saec. XIV Bibl. publicae Charleville, Gallia. In eo inter alia habentur Scala; Sermo ad pastorem; Commendatio Ioh. Climaci edita a Ioh. abbate Raythu; Vita sub compendio Ioh. Climaci auctore Daniele monacho. Cf. *Catalogue général des Manuscrits des Bibliothèques publiques des Départements,* V, Paris 1879, p. 608.

μ) Cod. Canonicianus lat. 333 membr. saec. XIV Bibl. Bodleianae, Oxoniae, in quo habentur inter alia: Litterae mutuae Ioh. abb. Raythu et Ioh. Climaci: Scala; Vita sub compendio Ioh. Climaci auctore Daniele monacho. Cf. H. O. Coxe, *Catalogi Codicum manuscriptorum Bibl. Bodleianae pars tertia Codices graecos et latinos Canonicianos complectens,* Oxonii 1854, p. 688.

ν) Extracta e Scala habentur in Cod. 486 chart. saec. XV, et in Cod. 487 membr. saec. XV Bibl. publ. Metis (Metz); in Cod. 487 etiam vita Ioh. Climaci auctore Daniele monacho; cf. *Catalogue général des Manuscrits des Bibl. publiques des Départements,* V, Paris 1879, p. 182. Extracta pariter habentur in Cod. 180 chart. saec. XV-XVI, f. 72-106 Bibl. publicae Gratianopoli, (Grenoble); cf. *Catalogue général des Manuscrits des Bibl. publiques de France,* VII, (Grenoble), Paris 1889, p. 67. Utrum haec extracta confecta sint ex Angeli versione vel illa Traversarii ex indicationibus Catalogorum non liquet; cum vero extra Italiam conscripta sint, prior sententia videtur vero similior. In codice lat. 1525 (2845) Bibliothecae Universitatis, Bononiae, fol. 407-505 habentur: *Extractus et dicta mirabilia beati Iohannis Crimaci.* Cf. L. Frati, *Indice* citat. 549-50. Revera autem tractatus sermone italico conscriptus est [1], nec liquet utrum iuxta Angeli Clareni vel Amb. Traversarii versionem confectus sit.

Series haec potest augeri [2], sed quosdam Codices indicasse, certo Angeli Clareni versionem continentes ad praesens sufficiat.

Editiones textus versionis Clareni habentur duae scilicet in editionibus Operum Dionysii Carthusiani. Is enim *Enarrationes in Scalam Paradisi S. Ioannis Climaci* conscribens versione latina Angeli nostri usus est. Prodierunt vero hae *Enarrationes,* seu Commentarii, primum, unacum aliis opusculis Carthusiani, Coloniae, *ex officina Melchioris Novesiani anno a Christo nato* 1540, et iterum, iuxta editionem Coloniensem, ap. *Doctoris ecstatici D. Dionysii Cartusiani Opera omnia,* Monstrolii 1896 ss., vol. XXVIII, Tornaci, typis Cartusiae S. M. de Pratis, 1905. In utraque editione praeter Ambrosii Traversarii versionem Scalae (in ed. Coloniensi, pars II, fol. 143 ss., in ed. noviss. p. 499 ss.), versio Angeli Clareni habetur, quae tamen in edit. Coloniensi in ipso textu *Enarrationum* sparsa est, dum editores novissimi singulorum Graduum textus collegerunt et relativis Commentariis Dionysii praemiserunt; vol. cit. pp. 13-497. Textus Scalae qui hic habetur plane correspondet fragmentis Angeli *Expositioni Regulae* insertis, dispositio vero Graduum eadem est ac in Codicibus olim Ebersbergensi et Veneto supra sub α et γ descriptis. Editores ergo novissimi Dionysii operum l. c. p. 12,

[1] Ex benigna communicatione P. Theodosii Mezzetti, O. F. M.

[2] H. Haenel, *Catalogi Librorum manuscriptorum,* Lipsiae 1830, p. 949, ex. gr. indicat duos codices, absque signatura, operum S. Iohannis Climaci, qui in Bibliotheca Scurialensi (Hispania) asservantur.

recte dicunt versionem Scalae a Dionysio adhibitam fuisse illam Angeli di Cingulo.

Exstat alia editio, quam Ceruti [1] Angeli Clareni versionem continere opinatur: *Ioannis Climaci doctoris spiritualis abbatis in monte synai triginta gradus scale celestis: noviter emendati: ac impressioni traditi.* In fine: *Finis triginta graduum huius coelestis scalae doctoris spiritualis Ioannis scolastici, Abbatis montis sinay: qui ab edito libro cognominatus est Clymachus: idest scalaris, ab infinitis erroribus (quibus scatebant) emendati. Venetiis a Philippo Pincio Mantuano impraessi. Anno domini MCCCCCXVIII. Die septimo Madii.* Continet haec editio praeter Scalam: Vitam Ioh. Climaci auctore Daniele monacho et Litteras mutuas duorum abbatum Iohannis Raithu et Climaci. In multis convenit hic Scalae textus cum Clareni versione, sed saepe etiam differt, praesertim verborum translatione aliisque, uti etiam Graduum divisione, qua magis congruit cum editione ap. Migne. Codex vero, iuxta quem comparata est editio, indubie videtur e coetu franciscano venire, vel forsan ipsa editio a quodam Fratre Minore curata est. Nam in fine editionis habetur: *Capitulum CXXIII Beati Iacoponi. Cur mundus militat sub vana gloria* etc., post quod canticum sequitur *Explicit* Scalae supra relatum. In epistola vero ad Lectores, initio editionis, commemoratur inter alia etiam « seraphicus ille franciscus ». Omnibus perpensis textus ed. 1518 non est textus purus Clarenianae versionis, sed in pluribus — non semper in melius — modificatus, fundamento retento, quod de caetero in ipso titulo editionis enuntiatur.

Quibus omnibus praemissis, hic idem in memoriam revocare lubet, quod ad Regulam S. Basilii monuimus, Clarenum nempe non solum illam *Scalam* XXX Graduum traduxisse, sed et alios tractatus, qui cum ista cohaerent et olim cum eadem ordinarie uniebantur [2] atque in pluribus supra citatis codicibus *Scalam* ex interpretatione Clareni continentibus habentur. Sunt vero hi tractatus:

---

[1] *La Scala del Paradiso,* p. XXII-XXIII; XLVIII.

[2] In codice graeco 511 (M 45 sup.) ex. gr. Bibl. Ambrosianae (saec. XI) post *Scalam* sequentes habentur tractatus: 1) *Liber ad Pastorem;* 2) Climaci vita auctore Daniele monacho; 3) Climaci epistola ad Iohannem praesidem Rhaythuni. Cf. Ae. Martini — D. Bassi, *Catalogus Codicum Graecorum Bibliothecae Ambrosianae,* II, Mediolani 1906, p. 616-17.

Liber ad Pastorem Iohannis Climaci, qui etiam aliquando *Sermo ad Pastorem* inscribitur, sicut in codicibus haud raro *Scala* sub nomine *Sermonum* occurrit, quique ex interpretatione Raderi habetur ap. Migne, P. G. 88, 1165ss.

Vita Ioh. Climaci auctore Daniele monacho cuius textus graecus et interpretatio Raderi in huius *Isagoge ad Scalam* l. c. 995 ss.

Litterae mutuae Iohannis abbatis Raithuni et Ioh. Climaci Scalam praecedentes, l. c. 623ss.

Quod Clarenus hos etiam tractatus latine verterit evidens evadit, praeterquam ex citatis codicibus Scalae, etiam ex interpretatione Gentilis a Fulgineo, qui ex professo ea vertit in linguam vulgarem italicam, quae Clarenus latine traduxerat [1]. Iam vero *Pastor* ibi habetur in editione Ceruti p. 491-515: *Questo è il Sermone di Santo Iovanni al Pastore,* sicut in multis codicibus versionem *Scalae* Gentilis continentibus videlicet in Bibl. Bodleiana, Oxoniae, codicibus Canonic. ital. 155 (saec. XIV) f. 121-27 [2]; 249 (saec. XV) f. 97 v [3]; 271 (saec. XV) f. 124 v-131 [4]; 295 (saec. XV) f. 95 v [5]. Insuper in cod. LXIX Gaddiano in Bibl. Laurentiana, Florentiae, f. 115 v [6]; Cod. It., I, 13. Bibl. S. Marci, Venetiis, (saec. XIV) f. 135 r-142 r [7]; in quodam codice olim exsistente in Bibliotheca PP. So-

---

[1] Fr. Gentilis de Fulgineo, O. S. A., Clareno amicitia coniunctus erat, ut testantur plures huius litterae ad eum datae. Pauca caeterum nota sunt de Fr. Gentile; quaedam congessit N. Mattioli in saepe laudato volumine *Il Beato Simone Fidati da Cascia,* p. 57-74. Fr. Gentilem Scalam italice traduxisse attestatur Cod. 1351 membr. Bibl. Riccardianae, Florentiae, scriptus a. 1397; cf. Ceruti, *La Scala,* p. XXXV.

[2] Al. Mortara, *Catalogo dei Manoscritti italiani che sotto la denominazione di Codici Canoniciani italici si conservano nella Biblioteca Bodleiana a Oxford,* Oxonii 1864, col. 163-64.

[3] Mortara, l. c. 231.

[4] Mortara, l. c. 244.

[5] Mortara l. c. 257.

[6] Cf. Bandini, *Bibliotheca Leopoldiana Laurentiana seu Catalogus manuscriptorum,* II, Florentiae 1792, col. 67-68.

[7] C. Frati — A. Segarizzi, *Catalogo dei Codici Marciani italiani,* I, Modena 1909, 114ss.; Berardelli, O. P., *Codicum omnium latinorum et italicorum qui manuscripti in Bibl. SS. Ioannis et Pauli Venetiarum apud PP. Praedicatores asservantur Catalogus,* ap. Calogerà, *Nuova Raccolta d' Opuscoli,* XXXII, Venezia 1778, pp. 80-81.

maschorum, Venetiis [1]; demum in codice de quo supra Prologum *Scalae* deprompsimus.

Vita vero *Iohannis Climaci, auctore Daniele monacho* et *Litterae* illae mutuae habentur in sequentibus e supracitatis editione et codicibus: ed. Ceruti, p. 3-14, *Vita;* p. 14-19, *Litterae;* Cod. Canonic. 155, f. 127, *Vita;* 249, *Litterae;* 270, f. 131 v, *Vita;* Cod. Gaddiano Laurentiano LXIX, *Vita;* Cod. It. I, 13. Bibl. S. Marci, Venetiis, f. 1r-4v, *Vita;* f. 4v-5b, *Litterae;* sola *Vita* Iohannis post *Scalam* in sequentibus eiusdem Bibl. S. Marc. codicibus saec. XV habetur: It. I, 63, f. 128 v b-130 v b [2]; It. I, 76, f. 114 r a-116 v b [3]; It. I, 77, f. 130 r-133 r [4]; *Vita* demum habebatur in codice PP. Somaschorum, Venetiis, et continetur in codice versionis *Scalae* Gentilis a Fulgineo XII. F, 32 Bibliothecae Nationalis Neapoli [5] et in codice saepius citato, quem ad editionem *Prologi* adhibuimus.

Ex quibus omnibus extra dubium ponitur Clarenum, praeter *Scalam* proprie dictam, illa quae enumeravimus opuscula cum *Scala* connexa latine reddidisse, quae postea Gentilis a Fulgineo italice vertit.

Quinam autem sit vel fuerit alius liber Iohannis Climaci, *de vita contemplativa,* quem Clarenus ad tenorem *Prologi* in latinum vertere ausus non est, prorsus nostro tempore ignoratur.

c) S. Macarii (Aegyptii) Dialogus.

Librum quemdam S. Macarii Angelum traduxisse in latinum refert Prologus ad Scalam; Barth. Pisanus et eum sequens Marianus hunc librum *Dialogum* fuisse tradunt. Cf. supra testimonia p. XXXVI-XXXVII.

Oritur vero quaestio quis sit ille S. Macarius et quis ille liber, seu Dialogus. Qua in quaestione iuvat verba Waddingi [6] referre: « Inter Macarii Aegyptii homilias quinquaginta a Ioanne Pico editas, et traductas, quae Tomo 4. Bibliothecae veterum Patrum

---

[1] Cf. Paitoni, *Biblioteca degli autori greci e latini volgarizzati,* ap. Calogerà, *Raccolta d'Opuscoli,* XXXIII, Venezia 1745, pp. 508-510 et in 2. ed. eiusdem Operis Paitonii, *Biblioteca degli autori antichi greci e latini volgarizzati,* II, Venezia 1766, p. 109-15.

[2] C. Frati — A. Segarizzi, l. c. 162-63.

[3] L. c. 176-77.

[4] L. c. 177-78.

[5] Ex communicatione R. P. Elpidii Rocchetti, O. F. M., S. Clarae Neapolis Guardiani.

[6] *Scriptores* s. v. *Ang. de Cing.*

editionis Coloniensis [1] leguntur, tres aut quattuor, videlicet 15. 26. 27. et 40. habentur per modum Dialogi, receduntque a forma homiliarum. Hi fortassis illi sunt dialogi ».

Quibus praeclari Annalistae verbis nihil valeo addere nisi quod in editione textus Pici in *Maxima Bibliotheca veterum Patrum,* IV, Lugduni 1677, 100 ss. et ap. Migne, P. G. 34, 449 ss. (Cf. ib. 283 ss.) praeter homilias a Waddingo indicatas etiam 6. 7. 8. 12. 38. formam dialogi exhibent. Cum vero res ibi expositae menti Clareni omnino correspondere mihi videantur, versionem harum homiliarum revera ab eo curatam esse putem. Nullibi tamen in hac *Expos. Reg.* citantur S. Macarii homiliae, sed p. 185-86 eius: *Epistola prima, de perfectione.*

Ceruti [2] vero, postquam Waddingi sententiam indicavit, *Verba sive sententiae s. Macharii. Quaestiones CL* in quodam codice Bibliothecae Ambrosianae exsistentia, opus opinatur a Clareno traductum, quae tamen *Verba sive Sententiae* vero similius sunt illa *Apophthegmata S. Macarii,* edita ap. Migne, P. G. 24, 231 ss. et ea, quae in Vitis Patrum sparsim inveniuntur, quae etiam in hac nostra *Expos. Reg.* editione semel saltem citantur, scil. p. 30 (cf. *Addenda et Corrigenda*), quorum tamen traductorem Clarenum vix esse reputo. Quare vero similior sententia Waddingi esse videtur.

Praedicta ea sunt Patrum graecorum opera, quae Clarenus antiquissimi testimonii fide latine reddidit. Bartholomaeus vero Pisanus loco Regulae S. Basilii, quam Clarenus ex sui ipsius verbis certissime interpretatus est, « quemdam librum Ioannis Crysostomi » ponit. Verum cum de terno numero versionum tum traductor italicus *Scalae* tum Pisanus concordent, huius potius mendum

---

[1] Coloniae Agrippinae 1618.

[2] *La Scala del Paradiso,* p. XXIV, nota 2: «Il san Macario tradotto dal Cingolano probabilmente è quello che si contiene in un codice ambrosiano intitolato: *Verba sive sententiae s. Macharii. Quaestiones CL,* e fa seguito ad un frammento della *Scala* del Climaco, di cui l'ammanuense non trascrisse che i primi quattro gradi colle due lettere scambiatesi fra gli abati del Sinai e di Raiti. Una vita di s. Onofrio è pure attribuita allo stesso s. autore, ma non sembra ch'egli la scrivesse mai. È stampata in seguito alla Scala nell'edizione di Venezia 1545 ».

assumendum esse censeo [1]. In *Expos. Reg.* Chrysostomus pluries nominatur pp. 69, 83, 196, et citatur, videlicet *in Matthaeum* homilia 10, p. 149 et bis (p. 149 50) ultima; locus vero hic citatus revera partim in ultima 91 (al. 92), partim in 32 (al. 33) habetur. Sed longe abest, ut Clarenus has Homilias in Matthaeum latine reddiderit, quin potius ipse in locis citatis p. 149-50 ex versione Burgundionis Pisani hausisse videtur [2]. Demum p. 196 forsan allusio habetur ad Chrysostomi opusculum *de Sacerdotio* [3].

Quibus omnibus luculenter patet Angelum Clarenum post Scotum Erigenam, Burgundionem Pisanum, Iohannem Saracenum, Robertum Grosseteste Lincolniensem inter potissimos Patrum graecorum Medii Aevi accensendum esse interpretes latinos, dignus proinde qui in historia Patrologiae commemoretur et quidem multum magis quam hucusque factum sit.

Opus vero est, ut quaedam addantur de valore versionum Angeli Clareni; nam graves ei movet accusationes doctissimus ille Ambrosius Traversari, qui ipse aliam *Scalae* versionem curans, vel potius, ut iudicat Ehrhard [4], revidens anteriorem, huius auctorem, suppresso quidem sed non minus clare indicato nomine, in Praefa-

---

[1] Chr. Baur, O. S. B., *S. Jean Chrysostôme et ses œuvres dans l'histoire littéraire* (18[e] fasc. Recueil de travaux de l'Université de Louvain), Louvain-Paris 1907, pp. 312, in-8°, nihil de tali versione Clareni innuit, nec huius nomen commemorat, quamquam *ex professo* p. 60 ss. tractat: *S. Chrysostôme dans l'Eglise latine.* A. *Moyen âge.*

[2] Confrater meus P. Hugo Dausend, O. F. M., Cod. Bibl. Laurentianae, Florentiae, Plut. XIV dext. cod. 4, saec. XIII Burgundionis versionem Homil. in Matthaeum exhibentem (cf. Bandini, *Catalogus codicum lat. Bibl. Med. Laurentianae,* IV, Flor. 1777, 448-51) cum textu uti iacet ap. Clarenum conferens, opinatur eumdem esse, demptis solitis lectionibus variantibus, cui tamen sententiae obesse videtur diversus ap. Angelum Homiliarum ordo, nisi forsan ipse e Florilegio quoddam, in quo confusio in citationibus facile oriri solet, hausit.

[3] Egregius P. G. Golubovich, *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa,* I, Quaracchi 1906, p. 429, Clarenum etiam *Grammaticam graecam* traduxisse scribit, citans ALKG, I, 518, ubi a P. Ehrle textus Barth. Pisani refertur, a nobis supra relatus. Sed « grammaticam graecam » ibi linguam graecam scriptam — pro modo loquendi Medio Aevo usitato — significare, quam etiam Clarenus accepisse narratur, haud est dubium, et sic recte interpretatus est Pisani verba Marianus Florentinus, cuius textum cf. supra, p. XXXVII. — De aliis fragmentis quae Angelus e graeco in latinum traduxit cf. infra, cap. VI, ubi de fontibus patristicis et cap. VII, ubi de valore *Exp. Reg.* agetur.

[4] Ap. Krumbacher, *Gesch. der byzant. Lit.* ed. 2, p. 144.

tione, scribens ad P. Matthaeum ipsius praesidem, his vituperat verbis [1]:

Aiebas priorem illam interpretationem tibi parum satisfacere, viderique ad intelligendum difficillimam: difficultatis ipsius causam prudentissime coniiciens. quod is scilicet qui prior transtulit, (quicumque tandem ille fuerit: nam temere id definire non audeo), nimium inhaesisset litterae, atque contra veterum eruditorum praecepta, de verbo ad verbum transtulisset. Exspectabasque a me ut sensum illius viri apertius atque lucidius promerem. Id ego negotium, etsi praeterquam erat laboriosum, plurimorum etiam patere morsibus non ignorabam (neque enim deerunt qui me superfluum quemdam, et quod gravius sonat, arrogantem et temerarium insimulent: qui post priorem illum interpretem, quem afflatum Spiritu Sancto id opus transtulisse [2], pertinacius fortasse quam consideratius asseverabunt, denuo transferre ausus sim); ne tamen... votis deessem... ipsum opus ex integro converti, prioris illius interpretis vestigia omnino deserens, sensum eius lucide... exprimere conatus.... Praeterea traductionem illam esse obscurissimam ne ipsi quidem negabunt: quod ergo crimen meum est, si quod ille obscurius transtulit, apertius ipse et aliquando etiam Latinius convertere conatus sum? Porro quam fuerit ille interpres eruditus, quid attinet dicere? Contendant isti peritissimum in utraque lingua exstitisse; ego ab illis longe dissentiens, in neutra satis peritum fuisse veraciter asseverabo: nam Graeca pleraque non recte intellexisse, cuilibet eius linguae vel mediocriter perito facile constabit; et Latina posuisse qui affirmat, sese imperitissimum esse haud obscure significat. Sanctissimum virum illum fuisse hi asserant: facile ac perlibenter consentiam. Non tamen quia sanctus fuerit, eruditum etiam fuisse sequitur, atque idoneum ad transferendum: aliud enim sanctitas est, atque aliud eruditio. Imo vero si sanctus fuit, ne id quidem tentare debuit quod commode implere non posset, neque id onus subire quod virium suarum excederet modum. Facit enim iniuriam doctissimo viro, qui illum imperite ac rustice loquentem reddit. Sed haec fortasse liberius quam verecundiae meae conveniebat, necessario tamen, ut reor, a me dicta sunt, ne sine causa me transtulisse homines existiment.

Clarenus vero apologetas invenit non paucos, etiam postquam Traversarius suam produxit versionem, imprimis Beatum Bernardinum Aquilanum [3], qui postquam retulit de Clareni Scalae interpretatione (cf. supra, p. XXXVI) ita prosequitur:

---

[1] In novissima editione ap. *Dionysii Cartusiani Opera omnia*, XXVIII, 499-500; cf. etiam Matth. Raderum, *Isagoge ad Scalam*, Migne, P. G. 88, 615.

[2] Quibus verbis alludit Traversarius ad illam narrationem miraculosam, supra, p. XXXV, relatam. Quo etiam patet Traversarium de Angeli Clareni versione *Scalae* loqui, errasseque Fabricium, *Bibl. Graeca*, ed. Harles, IX, 528, qui id negat, verba Traversarii referens ad textum editionis Pincii, Venetiis 1518, quae, quo sensu textum Clareni exhibeat, supra p. XLVI, dictum est.

[3] *Chronica* ed. cit. p. 4-5.

Sed vir quidam utique religiosus vitae monasticae, nomine Ambrosius, ut aiunt vir utique in scientia humanitatis, ut vocant, apprime doctus necnon et graecae linguae eruditus, illummet librum transtulit in latinum politiori sermone et elegantiori latino. Quod laudo; sed hoc mihi exosum est et nescio, ubi hunc eloquentiae modum didicerit servus Dei existens, quod in principio libri multas iniurias illi paupereulo dicit: et unde debuisset illum laudare quasi virum bonae vitae et rectae conscientiae, qui librum illum latinis dedit, et propter ipsum infinita bona, ut ita loquar, operati sunt, vituperare conatur. Si meruit vel demeruit, ex verbis suis summus arbiter iudicet. Fecit ille bonus homo, quod novit; certe si ille notitiam latinis non dedisset, forsitan adhuc ignorarent, et multis amicis Dei praestitit lumen et non minimam consolationem.

Modo non dissimili alius auctor Clarenum defendit, Gradenigo scil., qui in doctissimo illo libro cui titulus *Ragionamento istorico e critico intorno alla Letteratura greco-italiana* (Brescia 1759), cap. XII. § 12: *Angelo del Cingolo Francescano. A. MCCCXX*, pp. 121-25, diutius hac re immoratur. Scribit enim p. 124:

Ma il sentimento di Ambrogio Camaldolese quantunque di un uomo nel greco non meno, che nel latino linguaggio assai perito, levare non può al Clareno la gloria del greco sapere: mentre ancorchè si conceda che le traslazioni sue nè elegantissime sieno, nè chiare affatto, nulladimeno negargli non si può una cognizione del greco parlar più che mediocre, chè tale senza dubbio richiedesi per fare traslazioni, benchè oscure, di opere non più traslatate. Oltre di che dal medesimo Camaldolese nel Prologo alla sua Interpretazione di S. Giovanni Climaco imparasi che non mancavano a coteste fatiche del Clareno lodatori.

Negari non potest Clarenum in suis versionibus nimis litterae inhaesisse et inde longe distare a latino celeberrimi illius humanistae Ambrosii Traversarii. Hoc etiam melius nunc diiudicare possumus ex variis fragmentis graecis in latinum versis et huic *Expos. Regulae* insertis. Eo quandoque devenit servitus, ut etiam grammatica latina inde pateretur et sensus obscurus fieret. Id vero non attribuendum est ignorantiae linguae sive graecae sive latinae in Clareno, sed potius eius nimio scrupulo verbotenus vertendi, quem scrupulum caeterum cum omnibus Medii Aevi traductoribus e graeco in latinum communem habuit, cum Scoto Erigena [1], cum Iohanne

[1] De eo cf. disquisitiones J. Dräseke, *Iohannes Scotus Erigena und dessen Gewährsmänner in seinem Werke De divisione naturae libri V*, ap. *Studien zur Geschichte der Theologie und der Kirche*, IX, 2, Leipzig 1902; *Gregorius von Nyssa in den Ausführungen des Iohannes Scotus Erigena*, ap. *Theologische*

Saraceno [1], cum Burgundione Pisano [2], cum Roberto Grosseteste Lincolniensi [3]. Nonnisi tempore magnae illius artium et litterarum regenerationis liberius et magis ad sensum quam ad verborum tenorem coeptum est versiones exarare. Non pauci vero mallent forsan *Scalam* perlegere Interpretatione litterali et simplici Clareni quam in latino Ciceroniano Traversarii [4], qui insuper nimiae in vertendo libertatis aliquando merito accusatur [5]. Quidquid est, pro studio critico SS. Patrum opera illorum Medii Aevi traductorum litteralium longe utiliora sunt quam humanistarum elegantes quidem sed non semper fideles versiones.

Ut vero ipse indices, exemplum afferamus modi quo Clarenus latine reddiderit scripta graeca, trina columna infra ponetur initium cap. XVIII *Constitutionum monasticarum* olim S. Basilio adscriptarum, in media ponens textum graecum, in prima versionem Clareni, in tertia versionem Garnier.

Studien und Kritiken, a. 1909, (Gotha) 4, pp. 530-576; *Maximus Confessor und Iohannes Scotus Erigena*, ib. a. 1911, fasc. 1 et 2, pp. 20-60; 204-229, cf. specialius p. 24; 226-27.

[1] Cf. huius verba in epistola ad Iohannem de Saresberia data, Migne, P. L. 199, 143-44.

[2] Cf. iudicium, durius etiam quam illud Traversarii in Clarenum, Iohannis Cononis, O. P., ap. Migne, P. G. 94, 67; vide insuper K. I. Burkhard, *Die handschriftliche Ueberlieferung von Nemesius* Περὶ φύσεως ἀνθρώπου, ap. *Wiener Studien*, 10, 1888, 93-135, praesertim 132-35. Burgundio ipse methodum, quam secutus est, exponit in Praefatione ad versionem Homiliarum in Matthaeum S. Iohannis Chrysostomi: *...Id opus de Graeco in Latinum fideliter transtuli sermonem, tantique viri seriem qualitercumque mutare nequaquam dignum fore existimans, verbum de verbo reddidi, non sensum solum, sed et ordinem verborum, in quantum potui, sine alteritate conservans, ut non minus ex sententiarum lepore, quam ex characteris proprietate sancti huius Ioannis hoc esse opus incunctanter credatur....* Apud Bandini, *Catalogus codicum latinorum Bibl. Mediceae Laurentianae*, IV, Florentiae 1777, 449.

[3] Cf. I. Felten, *Robert Grosseteste Bishof von Lincoln*, Freiburg i. B. 1887, 86; Francis S. Stevenson, *Robert Grosseteste Bishop of Lincoln*, London 1899, 225.

[4] Ceruti, *La Scala del Paradiso*, p. XIX-XX, scribit: *Ma al sinistro suo* (del Traversari) *giudizio s'oppone la considerazione, che le versioni anche letterali dal greco in latino ed in italiano, attesa l'uniforme loro natura e sintassi, ben lungi dall'esser prive di chiarezza, sono migliori delle accademiche e delle parafrasi, le quali per la loro pomposità, l'amplificazione e l'artifizio travisano sovente il pensiero dell'autore.*

[5] Cf. Hurter, *Nomenclator literarius*, ed. 3, 2, Oeniponte 1906, 823.

Ang. Clareni, *Expos. Reg.*, infra, p. 158.

Quoniam vero plurimi exercitatorum in congregationibus exercitantur ad invicem inobliviscibiles eorum prudentias exacuentes cum directionum aditamento et inpetu, spiritu moventes seipsos ad boni profectum, iustum arbitrati sumus et istis per sermonem consolationem inferre. Oportet autem ipsos prius cognoscere ad quantum et quale transformati sunt bonum, ita super hoc exortationem suscipere, ut promtitudinem et festinantiam dignam directionis virtutis ostendant. Nam primum quidem ad bonum, quod est secundum naturam, redeunt communionem et unius vite mensam salutantes. Communionem enim vitam perfectissimam ego voco in qua possessionis quidem proprietas exulat, voluntatis vel arbitrii contrarietas expulsa est, conturbationes et litigationes extra fugate sunt. Communia vero sunt cuncta: anime, voluntates, arbitria, corpora et quecunque corpora nutriunt et fovent. Communis est Deus, communis est et pietatis que sunt, et communis salus, communia certamina, communes labores, communes corone. Unus multi, et unus non solus, set in pluribus.

Migne, P. G. 31, 1381.

Ἐπεὶ δὲ οἱ πλεῖστοι τῶν ἀσκητῶν κατὰ συστήματα πολιτεύονται, ἀλλήλοις τὰ φρονήματα πρὸς ἀρετὴν παραθήγοντες, καὶ τῇ τῶν κατορθωμάτων ἀντιπαραθέσει παρορμῶντες ἑαυτοὺς ἐπὶ τὴν τοῦ καλοῦ προκοπήν, δίκαιον φήθημεν, καὶ τούτοις τὴν διὰ τῶν λόγων παράκλησιν εἰσενέγκασθαι. Χρὴ δέ, πρότερον ἐγνωκότας αὐτούς, ὁπόσου καὶ πηλίκου μεταποιοῦνται καλοῦ, οὕτω τὴν ἐπὶ τοῦτο προτροπὴν ὑποδέξασθαι, ἵνα προθυμίαν καὶ σπουδὴν ἀξίαν τῆς τοῦ κατορθώματος ἀρετῆς ἐπιδείξωνται. Πρῶτον μὲν οὖν ἐπὶ τὸ κατὰ φύσιν καλὸν ἐπανέσχονται, τὴν κοινωνίαν καὶ τὴν συνδιαίτησιν ἀσπαζόμενοι. Κοινωνίαν γὰρ βίου τελεωτάτην ἐγὼ καλῶ, ἐν ᾗ κτήσεως μὲν ἰδιότης ἐξώρισται, γνώμης δὲ ἐναντίωσις ἀπελήλαται, ταραχὴ δὲ πᾶσα, καὶ φιλονεικία, καὶ ἔριδες ἐκ ποδῶν ἑστήκασι· κοινὰ δὲ τὰ σύμπαντα, ψυχαί, γνῶμαι, σώματα, καὶ ὅσοις τὰ σώματα τρέφεται καὶ θεραπεύεται· κοινὸς ὁ Θεός, κοινὸν τὸ τῆς εὐσεβείας ἐμπόρευμα, κοινὴ ἡ σωτηρία, κοινὰ τὰ ἀγωνίσματα, κοινοὶ οἱ πόνοι, κοινοὶ οἱ στέφανοι, εἷς οἱ πολλοί, καὶ ὁ εἷς οὐ μόνος, ἀλλ' ἐν πλείοσι.

Versio Garnier Migne, P. G. 31, 1382.

At quoniam versantur simul in communitate plurimi ascetarum, animum mutuo exacuentes ad virtutem, et recte factorum comparatione seipsos ad progressum in bono faciendum concitantes, aequum esse putavimus, hos etiam sermonibus nostris adhortari. Cum autem prius cognoverint, qualis ac quanti boni participes fiant, eos oportet sic adhortationem nostram ad hoc spectantem suscipere, ut animi promptitudinem ac studium huius boni praestantia dignum ostendant. Primum igitur ad id quod ex natura est bonum, revertuntur, amplectentes societatem ac victum communem. Nam perfectissimam vitae societatem appello ego eam a qua exclusa est omnis possessio propria, fugataque est animorum dissensio, et ex qua perturbatio omnis contentioque ac dissidia absunt: in qua vero omnia sunt communia, animae, sententiae, corpora et quaecunque alia, quibus corpora nutriuntur ac curantur, communis Deus, communis pietatis negotiatio, salus communis, communia certamina, communes labores, coronae communes, ubi multi unus, et unus non solus, sed in pluribus.

Patet Clarenum in paucis huius textus locis, in quibus a textu graeco, uti ap. Migne iacet, recedit, aliam eiusdem textus recensionem prae se habuisse. — Quae omnia longius forsan, sed, spero, non inutiliter dicta sunt, quippe quae Angelum nostrum nova luce splendentem nobis revelant.

Caput V.

De tempore compositionis Expositionis Regulae.

Disceptatione de vita et operibus Angeli Clareni instituta, ad reliquas res, quae hac *Expositionis Regulae* editione in quaestionem vocantur, tractandas accedere licet. Atque imprimis tempus, quo ipsa *Expositio* composita fuerit, nobis paulo accuratius est explorandum. Cum vero testimoniis extraneis, quae hac in re deficere videntur, id nancisci non valeamus, ex ipso edendo textu indicia potiora cogimur haurire; neque vero ea adeo deficiunt, ut intra triennii vel quadriennii certum spatium id opus exortum esse ferme asseverare non possimus.

Profecto, auctor Petri Iohannis Olivi († 1298) sepulchri violationem atque ossium combustionem in Epilogo, infra, p. 233–34, revocat in memoriam. Cum haec probra circa finem a. 1317 vel initium a. 1318 evenerint [1], id tempus terminum esse *post quem* compositus sit tractatus, vel, cum locus ipse prope *Expositionis* finem inveniatur, saltem terminum, *post quem* completus sit, patet.

Insuper in cap. 6, infra, p. 141 (cui addas dicta ibidem, p. 152) sibi proponit auctor Christum et Apostolos altissimam paupertatem professos esse Patrum testimonio ostendere. Quod si textum hunc cum alio valde simili eiusdem Clareni, cum epistola scil. data ad Philippum de Maiorcis [2] post diem 25 Aug. 1329, conferimus, ibi eadem de quaestione Christi et Apostolorum paupertatis sermonem fieri, et quidem manifesta relatione ad quaestionem motam inde ab anno 1321, conspicimus, ea vero cum discrepantia, quod, dum auctor in hoc altero textu et contextu contra Iohannem XXII — utique iniuste — declamat ob definitionem datam bulla *Cum inter nonnullos,* 12 Nov. 1323, nihil in nostro

---

[1] Ehrle, ALKG, III, 443.

[2] Ap. ALKG, I, 566 ss. et integre ap. Tocco, *Stud. Franc.* 297 ss.

textu de quaestionis solutione innuit. Concludi igitur potest inter quaestionis initium a. 1321 et resolutionem a. 1323 nostrum textum conscriptum esse, quamvis non omni ex parte negarem aliis de causis Clarenum hic declamationes contra Pontificem omittere praetulisse, idque eo minus negarem, ac idem auctor alio loco eiusdem *Expositionis Reg.*, cap. 1, infra, p. 45, prophetiam S. Francisco adscriptam iam referat, quam in epistola citata Iohanni XXII applicat. Quare alius terminus *ante quem* nobis exquirendus est. Certissimus hic, ni fallor, terminus *ante quem* assignari potest annus 1326. Etenim loco supracitato, p. 234, Clarenus Petrum Iohannis Olivi ter a fratribus in capitulis generalibus ut haereticum, contra Ecclesiae sententiam, damnatum esse refert, quod quidem dictum, quo sensu sit intelligendum, ibidem, nota 3, exponimus. Tali vero modo iam scribi non potuit, postquam *Expositio Apocalypsis* Olivi ab Ecclesia die 8 Feb. a. 1326 est reprobata [1]. Consequitur ex omnibus praedictis hanc *Expositionem Reg.* intra 1318 et 1326, vero similiter inter 1321 et 1323 exortam esse.

Sunt et alia momenta quae idem tempus suadere videntur, praesertim si caetera opera Clareni inspicias atque ad hanc *Expositionem* conferas.

In epistola quadam, ad discipulos inter a. 1312 et 1313 data, sequens occurrit locus [2], Cod. Magliabecchi XXXIX, 75 f. 64r:

> Quia vero multotiens sub specie spiritus et perfectionis observantie regule et testamenti inter vos questiones oriri solent, rogo vos in Domino quantum possum, quod, omni questione postposita, simpliciter et ad litteram studeatis servare promissa, sicut in testamento et regula continetur, preponentes orationem omnibus et devotionis studium, quia per operationem mens illuminatur et crescit per virtutes in Deum.

Quod si ea tempestate Clarenus Expositionem iam scripsisset vel etiam eam scribendi consilium iniisset, id suis cum discipulis hac occasione vix non communicasset.

Epistolis vere post terminum supra assignatum a. 1323 (1326) scriptis, Angelus est longe acerbior in rebus ac hominibus diiudicandis atque in ipso regulae conceptu eiusque institutis non parum differt ab hac *Expositione*. Qua in causa sequens textus sat clare

---

[1] Cf. Eubel, *Bull. Franc.* V, 297.

[2] Pars textus etiam ap. ALKG, I, 544.

loquitur, revelans nobis in auctore animi statum plane diversum ac in *Expositione* ipse manifestat [1].

Cod. Magl. XXXIX, 75, f. 43v:

Si enim statum nostrum nomina rerum et minister et cardinalis et ordo secundum legistas, decretistas vel sophystas solum salvant et in veritate manere faciunt et tribuunt integritatis necessarie firmitatem, qui audit intelligat, quia non fieret salva omnis caro; quoniam apud ipsos humilium facta si[n]t et scripta quasi mortua tacent et salus pauperum afflictorum est eis inanis et vacua.... Sane, ut ad regulam et non regula, minister, custos, generalis et protector. Et hoc regula ostendit, quoniam ipsis integratur et decoratur, sicut et suis pastoribus perficitur et ornatur ecclesia, set absque eis ecclesia manet et est, persecutionis scilicet tempore et vacationis, sicut in triduo illo ecclesia fuit sola virgo Maria, quando filius suus fuit in corde terre, sicut fuerat Ionas in ventre ceti.... [f. 44r] Quoniam sicut porte inferi non prevalebunt contra ecclesiam, ita nec contra regulam, tum quia in suis cultoribus et amatoribus suum substantiale esse, et non in nomine ordinis, vel in parietibus et tectis aut quibuscunque cerimoniis exterioribus superindu-[f. 44v]ctis habere dignoscitur. Quibus semper inest velle, querere et amare. Set non posse habere semper omne quod in regula, habet esse secundum suum completum esse, quia sufficit substantialia illa semper habere, in quibus persecutionis seu crucis tempore veritas regularis perfectionis salvatur et manet.

Demum si *Epistolae excusatoriae* conclusionem observaverimus [2], eam illico valde similem esse iis, quae Angelus in fine *Expositionis* scribit, videbimus; in utraque enim adumbrat *historiam septem tribulationum,* sed non eodem modo. Nam in *Expositione,* infra, p. 234-36, Clarenus clare loquitur de « temptationibus septemplicibus », quibus sathanas a principio concupivit agitare religionem istam; dum in fine *Epistolae excusatoriae* quinque solum tribulationes enumerat et quidem alio ordine ac in *Expositione* et in *Chronica septem Trib.,* vocans *primam* zelantium persecutiones sub Fr. Elia (Trib. 2), etc. usque ad Tribulationem *sextam* de Olivi, quam in *Epist. excus.* vocat *quintam.* Qua ex observatione colligitur *Expositionem* scriptam esse post *Epistolam excusato-*

---

[1] Ehrle partem textus edidit ap. ALKG, I, 563-64. Chronologicas indicationes haec epistola non exhibet. Ehrle, ALKG, I, 537, vero eam ponit inter eas, quas Angelus post reditum e Gallia, in partibus Romanis scripsit; et recte quidem; concordat enim ideis cum aliis auctoris litteris illo tempore certo conscriptis ex. gr. cum illis scriptis post 25 Aug. 1329 ap. ALKG, I, 566 ss. Tocco, *Studii Franc.* 297 ss.

[2] Annibali, *Suppl.* 163-64; ALKG, I, 532-33.

riam, seu eo tempore, quo auctor plenum argumentum *Chronicae septem Trib.* sibi iam efformaverat, quod circa a. 1323 incidit.

Quae diximus ad *Expositionis* tempus stabiliendum non ita intellecta vellemus, ac si Clarenus extra terminos assignatos, praesertim ante a. 1318, nullam partem istius operis conscripserit; imo plures rationes suadent contrarium. Nam crebros textus Patrum graecorum, quos directe in latinum vertit atque in hanc inserit *Expositionem,* inter annos 1318-1326 vix nancisci potuit, nisi dicas ipsum auctorem talem copiam librorum habuisse, qualem ipse etiam in hac *Expositione* saepe reprobat. Libri graeci utique in Basilicata, ubi 1334-37 morabatur auctor, non deerant ob monasteria Basilianorum ibi exsistentia; sed illud tempus excludendum esse iam diximus. Illae igitur versiones partiales e graeco in latinum attribuendae sunt eius in Graecia morae, ubi praeter illa opera S. Basilii, S. Macarii, S. Iohannis Climaci in latinum versa, multa e Patrum graecorum scriptis extracta fecisse videtur, quae quidem extracta deinde huic *Expositioni* inseruit.

Aliis libris, latinis, procul dubio in domo Cardinalis Iacobi Columnae uti potuit a. 1311-18, quo tempore etiam acquisivisse videtur accuratam illam traditionum localium de fundatione apostolica plurium Galliae ecclesiarum cognitionem, quam prodit in cap. 6, infra p. 155-57. Otio, quod Avinione habuit, Angelus forsan iam incepit tractatum de Regula conscribere, vel saltem materiam congerere, quam deinde rite disposuit, atque post reditum in Italiam « in partibus romanis », praesertim Sublaci, auxit atque absolvit.

Quae quidem omnia nobis ostendunt, quomodo dux Spiritualium, nulla praetermissa occasione, continuo cognitiones proprias auxerit, atque ita talem demum PP. praesertim graecorum notitiam nactus sit, qua nulli sui temporis Latino fuit secundus; quae quidem ex dicendis de fontibus magis ac magis patebunt.

Caput VI.

De fontibus Expositionis Regulae.

Fontes inquisituri, quibus Angelus Clarenus in hac *Expos. Reg.* conscribenda usus sit, prae caeteris ad eos attendemus, qui rem franciscalem respiciunt, subnectentes deinde quae de aliis fontibus, praesertim patristicis, dicenda erunt, dum fontes canonisticos, in sequenti cap. VII de methodo et valore, tractabimus.

1. De fontibus franciscalibus.

Gravissima sane quaestio est haec, cum intime cohaereat cum quaestione illa intricatissima de fontibus seu potius de valore fontium vitae S. Francisci. Hic ea proponemus, quae ex Angeli textu sponte scaturire videntur; in dubiis vero solutionem quaerere et innuere liceat, sperantes fore ut haec editio non parum contribuat ad finalem totius quaestionis solutionem. Procedamus chronologice et videamus quomodo Angelus ad singulos fontes Vitae S. Francisci se habuerit.

a) Opuscula S. Francisci. Praeter textus adeo non extentos e Reg. a. 1223, quos initio singulorum capitulorum et in ipsis capitulis affert, Clarenus in hac *Expos. Reg.* integram fere sic dictam Regulam primam inserit, eiusque (utique in forma primaeva) primam approbationem narrat, ea aperte enuntiata intentione, ut melius intelligatur Regula secunda; cf. infra, p. 12. Angeli textus Reg. 1. antiquissimus est qui conservetur et haud raro melior quam ille caeterorum codicum, ut iam notavit H. Boehmer[1]. Quibus locis Angelus inseruerit textum Reg. 1 sequenti exhibetur schemate:

Introductio		p. 12.
Cap. I	»	48, repetitur p. [123–24.
» II	»	48–49.
» III	»	79–80, particula [repetitur p. 208.
» IV	»	198–99.
» V	»	199–200.
» VI	»	200, particula [etiam p. 192.
» VII	»	112–13, 124.
» VIII	»	101–02, repetitur [particula p. 180.
» IX	»	124–25.
Cap. X	p.	176–77.
» XI		vacat.
» XII	»	218.
» XIII	»	180.
» XIV	»	125–26.
» XV		vacat.
» XVI	»	223–25.
» XVII	»	194–95.
» XVIII		vacat.
» XIX	»	181, 182.
» XX	»	182.
» XXI	»	236 pauca.
» XXII	»	236 pauca.
» XXIII	»	236 pauca finalia.

Variantes notabiles et discrepantiae habentur in pluribus locis huius textus Reg. I. ut suis locis innuimus. Conferatur etiam H. Boehmer, l. c. p. LIII-LIV.

---

[1] *Analekten zur Geschichte des Franciscus von Assisi,* p. LIII.

Alia S. Francisci opuscula citantur ab Angelo, videlicet *Admonitiones* p. 41; 42; cf. p. 131; 1; *Salutatio virtutum* p. 41; 42; *Testamentum* saepissime, cf. *Indicem*. Praeterea nominantur *Epistolae* p. 1; *Verba* p. 1; 132; *Responsiones* p. 2.

b) Thomae a Celano Vita 2 clare citatur p. 187-88 sub nomine *Primae Legendae*, (quo nomine videtur indicari etiam in Trib. 3, ALKG, II, 265-66), et p. 65-66 sub nomine *Fr. Iohannis a Celano. Vita 1* vero et *Tractatus miraculorum* eiusdem Thomae ab Angelo non adducuntur.

c) Legenda maior S. Bonaventurae citatur p. 66, 70, adiecto nomine S. Bonaventurae, dum saepius tacito nomine id fit. Cf. *Indicem*.

d) Scripta Fr. Leonis et Sociorum. Fratrem Leonem aliosque quosdam S. Francisci socios maximam in Clarenum habuisse auctoritatem ex aliis eiusdem Clareni scriptis iam inculcatum fuit ab Ehrle [1], a Sabatier [2], a Felder [3] aliisque. Revera parum adhuc Angelus noster cum Fr. Leone aliisque, qui S. Franciscum viderant, conversari potuit. Quod si in reliquis scriptis Clarenus ad horum sive scripta sive dicta appellat (cf. textus, supra, p. XXIII[4]), saepius id adhuc facit in hac *Expos. Reg.*, ubi *ex professo* ea tradere voluit, quae ut S. Francisci intentionem vel primitivam observantiam ex traditione scripta et orali scire ipse credidit [4].

Iam videamus quinam sint fontes Leonini e quibus Angelus hauserit. Imprimis quoad *Legendam* traditionalem *trium Sociorum* dicendum est eam a Clareno in hac *Reg. Expos.* nullibi claris verbis indicari, quamvis quidam loci paralleli assignari possint (cf. infra, p. 82[1], 97[2]). Quod autem nec in aliis suis scriptis Angelus eam Legendam citat iam notatum est [5]. Concludere licet ergo Clareno *Legendam* traditionalem *trium Sociorum* ignotam fuisse, quod igitur aliud argumentum, utique non absolutum, quia haustum ex solo silentio et quia praecesserat decretum Capituli gen. a. 1266 [6], est in nota illa quaestione, utrum dicta Legenda genuinum sit opus illorum FF. Leonis, Angeli, Rufini, quorum nominibus inscribitur.

---

[1] ALKG, I, 518-19.

[2] *Speculum perfectionis*, p. CXXXVII-CXL.

[3] *Die liturgischen Reimofficien auf die heiligen Franciscus und Antonius*, Freiburg (Schweiz) 1901, 173-74.

[4] Hic et in sequentibus referimus tantum, non autem eo ipso approbamus, sententias Angeli et generatim Spiritualium.

[5] Cf. Van Ortroy, *Anal. Boll.* XIX, 1900, 138; Sabatier, *Speculum perf.* p. CXXXIX.

[6] Cf. infra p. LXIII[5].

De scriptis notis et editis Fr. Leonis ab Angelo in hac *Exp. Reg.* citantur duo et quidem fere integra, scil. *Intentio Regulae,* ed. Lemmens, *Documenta antiqua franciscana,* I, Ad Claras Aquas, 1901, 83-99, et *Verba S. Francisci,* ed. Lemmens, l. c. 100-106. (Vide *Indicem* s. v. *Documenta ant. franc.*). Ambo opuscula Fr. Leonis ante Clarenum adhibebantur ab Ubertino Casalensi tum ap. *Arb. Vitae,* 1305, tum in scriptis polemicis 1310-12, qua de re cf. Lemmens in editione citata, et *Doc. ant. franc.,* III, 12-15. Imo iam Olivi († 1298) *Expositio Regulae,* c. X, *Firmamentum,* ed. Venetiis 1513, III, f. 123ra, cognovit opusculum *Intentionis Regulae;* nam citat locum ex eo, sub nomine *cedulorum fr. Leonis: Unde,* inquit, *et in cedulis fratris Leonis, quas de hiis que de patre nostro tanquam eius singularis socius viderat et audierat conscripsit, legitur....* narratur factum et verba S. Francisci in ed. Lemmens, n. 11, p. 92-93.

Ni fallor, ea est vis locorum citatorum ex *Intentione Regulae* et *Verbis S. Francisci* ap. Olivi, Ubertinum et Clarenum, ut eorumdem scriptorum *authenticitas* extra omne dubium ponatur [1], nec deinceps sufficiat ea dubia vel spuria declarare, quia quaedam contineant, quae uni alterive auctori *moderno,* subiectivo criterio ducto, S. Francisco non sat digna apparent [2]. Hoc caeterum in casu nostro eo minus valet, quod non pauca pars horum textuum habetur etiam apud 2 Cel., ut bene ostendit Lemmens [3]. Aliquid demum illae schedulae seu rotuli Leonis, quorum nemo sapiens exsistentiam negare audebit, continere debebant.

Longe intricatior quaestio de fontibus in iis apparet, quae Fr. Leoni et sociis attribuuntur, quin ut horum scripta aliunde directe probari possint. In his vero locis a limine Angelum Clarenum a crimine falsi absolvendum esse censeo. Nam si is accurate citat scripta Leonis, quae absque eius testimonio et ante eum certo habentur, non possumus sane assumere eum in paucis aliis locis, quos eodem modo citat, qui tamen alibi nondum inventi sunt, falsum propalare: Clarenus qui tanto scrupulo textus graecos in latinum vertit, ut etiam aliquando formam grammaticalem latinam violaret, qui innumeros paene auctores in hac *Expos. Reg.* accu-

---

[1] Contra sententiam W. Goetz, *Die Quellen zur Geschichte des hl. Franz von Assisi,* Gotha 1904, 115²; 153¹, aliorumque.

[2] Cf. *Analecta Bollandiana,* XXI, 1902, 114.

[3] *Doc. ant. franc.,* II, 12².

rate adducit, is, inquam, non *finxit* textus [1], quos Fr. Leoni et sociis attribuit. Sed statim addendum duco Clarenum hausisse e traditione scripta et *orali*. Traditionis scriptae maxima ex parte aliunde comprobare possumus attributionem Leoni et sociis factam, non vero ita facile id quoad traditionem oralem in singulis quibusque casibus praestare valemus.

Dixi Angelum Clarenum vidisse et audisse quosdam e sociis, utique non primis, S. Francisci [2], qui statum rerum viderant tempore S. Fundatoris. Sicut vero S. Franciscus iam tempore suo quosdam deflevit excessus [3], ita longe maiores deplorare debuerunt socii superstites Sancti, introductos praesertim tempore fratris Eliae. Notissimum est illud, quo B. Aegidius B. Iohannem a Parma recenter in Ministrum Generalem Ordinis electum salutavit; « Bene et opportune venisti, sed tarde venisti [4] ». Quod si iam a. 1247 socii conditionem Ordinis ita diiudicabant, quid de ulteriore, caeteroquin plane necessaria et maxima ex parte legitima progressione [5] cogitaverint, facile est intellectu. Fr. Leo, quo nullus S. Francisci intimior exstiterat, mortuus est nonnisi mense Novembri a. 1271. Ipse igitur viderat Mendicantium litem cum Doctoribus Universitatis Parisiensis, viderat renuntiationem et subsequentem causam actam contra B. Iohannem a Parma, testis fuerat florescentis in Ordine

---

[1] Ad similem conclusionem quoad aliud Angeli opus *Chronicam* scil. *septem Tribulationum*, venit doctissimus ille P. Ehrle, qui ap. ALKG, II, 122-123 ita scribit: *Vor Allem stellte sich mir der Charakter Angelos immer mehr und mehr in einem so günstigen Lichte dar, dass ich wohl bei seiner hochgradigen Erregtheit unbewusst in die Darstellung einfliessende Uebertreibungen, falsche Färbung durch Verschweigen der seinen Idealen widerstreitenden Thatsachen, grosse Leichtgläubigkeit für das seiner Partei Günstige, Vorurtheile bei Beurtheilung der Gegenpartei und ihrer Geschichte annehmen kann, nicht aber wissentliche Verläumdung und Lüge. Wir haben in Angelo einen tief religiösen Character vor uns, wenngleich sein von hohen Idealen getragener, flammender Eifer sich vielfach in falschen Geleisen bewegte. Mehr noch als diese Wahrnehmung mehrte meine Werthschätzung der historischen Treue Angelos die Beobachtung, dass ich gar manche seiner Angaben, welche ich anfangs mit Argwohn zur genaueren Prüfung in Quarantäne gesetzt hatte, bald durch anderweitige unwiderlegliche Beweise über alle Zweifel erhoben sah.* (Sequuntur exempla quaedam).

[2] Cf. supra, p. XXXIII[4].

[3] Cf. praesertim 2 Cel. 2, 84-85, p. 262; 2 Cel. 2, 106, p. 278-79; 2 Cel. 2, 113, p. 284-85 et alia.

[4] ALKG, II, 263.

[5] De ea luculenter disserit Ehrle, ALKG, III, 553ss.: *Die Spiritualen, ihr Verhältniss zum Franciscanerorden und zu den Fraticellen.*

studiorum cultus et magnorum in civitatibus erectorum aedificiorum, quae omnia ab Ordinis primordiis non parum discrepabant.

Longe maior pars Ordinis, Communitas, acquievit novae rerum conditioni, quam econtra homines illi indolis ingenuae a studiisque alieni, qui nullam normam, nullum exemplar prae se habebant nisi altissimam illam S. Fundatoris perfectionem [1], aut negligebant, ut B. Aegidius [2], aut impugnabant, ut Fr. Leo [3]. Is postquam Fr. Eliae frustra restiterat, flagellatus Assisio relegatus est. Anno 1246 Graecii morabatur ibique cum Angelo et Rufino scripsit notissimum illum Prologum, qui *Legendae* traditionali *trium Sociorum* praeponitur, de quo tamen dubitatur, utrum ad illam Legendam pertineat vel ad collectionem de S. Francisco narrationum, quae Fr. Thomae a Celano pro Leg. 2. inservierunt e quibusque postea a. 1318 *Speculum perfectionis* efformatum est [4]. Quidquid est, Fr. Leo in multis scriptis (*Rotuli, Schedulae*) in dies amarioribus [5] de S. Francisci tractavit intentione. Quae vero non scripsit, oretenus propalavit inter Fratres zelantes, qui procul dubio eum ut traditionis primaevae conservatorem habebant, et Assisii apud S. Mariam de Angelis morantem visitabant [6], inter quos videtur fuisse etiam Angelus Clarenus.

Fratrem Leonem cum pluribus oretenus quaedam de S. Francisco communicasse citra omne dubium est [7] et Angelus Clarenus

---

[1] Ea de causa collectioni, magna ex parte ex narrationibus anterioribus de vita S. Francisci a. 1318 compositae, impositus est titulus: *Speculum Perfectionis,* ut iam notavit Faloci Pulignani, *Misc. Franc.* VII, 186.

[2] Cf. *Anal. Franc.* III, 34; cf. tamen Ub. a Casali, *Arb. Vitae,* primo folio post D IIII, r b.

[3] Cf. *Anal. Franc.* III, 34; 72; 89.

[4] Cf. G. Schnürer, *Neuere Quellenforschungen über den hl. Franz von Assisi* ap. *Historisches Jahrbuch,* XXVIII, fasc. 1, 1907, pp. 9-43, praesertim pp. 21 et 26 ss.; cf. etiam *Arch. Franc. Hist.* I, 1908, 468-69.

[5] Hoc patet ex eo quod Leo scripta illa abscondere debuit, (cf. Ub. a Cas. *Arb. Vitae,* V, 5, fol. E IIIra), quod forsan accidit postquam in Capitulo generali Parisino a. 1266 omnes Legendae S. Francisci praeter *Leg. mai.* S. Bonaventurae proscriptae sunt. Cf. textum ap. ALKG, VI, 39; S. Bonav. *Op. om.* X, 58, et alibi. Huius decreti ad Legendas chorales restrictionem probare perperam tentavit V. Ortroy, *Anal. Boll.* XVIII, 1899, 174-76; Cod. Vat. Regin. 429 continet Martyrologium franciscanum, deinde decreta Capitulorum gen. Ista, et quidem non solum liturgica, legebantur certis temporibus post Martyrologium, quo de usu clarum testimonium adest pro Statutis generalibus Ord. Praedicatorum; cf. Denifle, ALKG, V, 1889, 530-33. — Cf. etiam ALKG, II, 265-66.

[6] Cf. *Anal. Franc.* III, 428.

[7] Cf. Eccleston, *De Adventu Fratrum Minorum in Angliam,* n. 13 (alias 12) ap. *Anal. Franc.* I, 245; ed. Little, Paris 1909, p. 93-94; cf. etiam *Anal. Franc.*

ipse id de se pluries edicit. Nihil mirum inter talia *Dicta* quaedam inveniri, quorum Fr. Leo, mitis ille S. Francisci socius, ac « pecorella Dei[1] » primo intuitu vix credi potest auctor, quae tamen melius intelliguntur prae oculis habita illa eius animi conditione, qua senex verba, quae a S. Francisco circa statum futurum Ordinis generali modo dicta audiverat, aliter diiudicavit, vehementius, quam S. Pater voluisset, intellexit et iam concreto et singulari sensu applicavit, cuius rei exemplum praesto est. Leo enim, cum sectae spiritus libertatis asseclas vidisset, territus obstupuit et dixit[2]: *Illi sunt illi sathane apostoli, quos pater noster s. Franciscus predixit esse venturos, qui seducti seducent multos* etc. Haec in Fr. Leone non erat falsificatio, sed lex psychologica, quam etiam apud alios viros observare licet, quaque neglecta, non est quomodo litteratura Spiritualium de S. Francisco intelligatur[3].

Post mortem Fr. Leonis narrationes de S. Francisco, successive auctae et etiam mutatae, inter Spirituales maxime propagatae sunt. Huc spectant praesertim prophetiae illae a S. Francisco repetitae et etiam ab Angelo nostro in hanc *Exposit. Reg.* receptae. Plene admittimus S. Franciscum hoc donum, sicut et alios plures Sanctos, habuisse, sed iniuria esset ei attribuere illas praedictiones, quae vergente saec. XIII ei attribuebantur, sicut ex alia parte omnes et singuli, qui eas propagabant, malae fidei accusandi mihi non videntur.

His prae oculis habitis alia luce apparent textus quidam, quos Sabatier[4] e codice 12 Ecclesiae SS. Petri et Pauli, Liegnitz, saec. XV, edidit, et cuidam *Legendae veteri* adscribi debere opinatus est, dum P. Van Ortroy[5] eosdem nihil aliud esse declaravit quam mera extracta ex Angeli Clareni *Exposit. Reg.* Uterque auctor minus recte sensisse videtur. Nam quae sit « Legenda vetus » nullus hucusque clare et omni ex parte definire potuit; sed textus illos e Clareno pure transcriptos esse, imprimis non correspondet facto, uti ex

---

III, 646. Salimbene, *Chronica* ad a. 1247, ed. Holder-Egger ap. M. G. H. SS. XXXII, 195, (cf. etiam ad a. 1284, p. 557); ed. Parmae 1857, p. 75 (cf. 323). B. Franciscus a Fabriano ap. Waddingum ad a. 1267, n. 5, ed. 2, p. 277. *Spec. perf.* p. 140-41, cf. *Actus S. Francisci,* cap. 65, p. 189.

[1] *Anal. Franc.* III, 66, 67; IV, 190.

[2] ALKG, II, 131.

[3] Unus ex erroribus fundamentalibus P. Sabatier in eo est quod valorem quasi absolutum fontibus Spiritualium adscribit, dum revera in eis non minor, imo ob dictum statum psychologicum maior critica adhibenda est.

[4] *Opuscules de critique historique,* I, Paris 1903, 87 ss.

[5] *Anal. Boll.* XXI, 1903, 441-42.

comparatione, quam in singulis casibus instituimus et summarie in notis indicavimus, constat, nec causa in hypothesi illa P. Van Ortroy esset acta sed solum procrastinata, cum quaestio de fontibus iterum ponenda esset, praesertim quia iidem textus inveniuntur ap. *Verba Conradi*[1], Clareni *Expositioni* anteriora, et ab ea non dependentia, uti ex comparatione textus et ex independente indicatione fontis, probabilius communis, scil. *Dicta sociorum beati Francisci,* elucet[2].

Nec obstat unum ex his textibus in collectione hispanica *Floreto* inscripta, expressis verbis uti ex Angeli (Clareni) *Expositione* haustum indicari; cf. supra, p. XIX-XX. Nam in eadem collectione varii textus multo magis ad textum « Legendae Veteris » accedunt quam ad textum Clareni. Ita parte II, caput 89, in nostra editione infra p. 203, lin. 17 – p. 206, lin. 22, non e Clareno, sed e « Leg. Vet. », *Opusc. de crit.,* I, 90-95, vel eius fonte desumptum est; inscriptio enim, et magis versio textus *Floreti* ad litteram cum ea correspondent, omissis amplificationibus Clareni. Idem dicendum est de cap. 90 *Floreti,* in nostra editione p. 206, lin. 27 – p. 207, lin. 17, quod correspondet « Leg. Vet. » *Opusc. de crit.* I, 96-97. Capita 89 et 90 *Floreti* sibi succedunt immediate eodem modo ac in « Leg. Vet. » absque glossa intermedia Angeli Clareni de Testamento p. 206, lin. 23-26. Cap. 81 *Floreti* = p. 214, lin. 3 – p. 214, lin. penultima nostrae editionis, correspondet « Leg. Vet. », *Opusc. de crit.* I, 97-98; cessat enim ubi desinit « Leg. Vet. », dum Clarenus prosequitur. Cap. 83 vero de visione Statuae magis ad cap. 25 *Actus S. Francisci,* ed. Sabatier, p. 83 ss. accedere videtur quam ad textum Clareni p. 73, lin. 5 – p. 76, lin. 6, et « Leg. Vet. », *Opusc. de crit.,* I, 99-102; sed cum integrum huius capitis *Floreti* textum prae manibus non habeam, iudicium adaequatum ferre non possum.

Sed ut redeamus ad *Dicta sociorum,* haec procul dubio, ut collectio orta sunt post mortem Fr. Leonis, in coetu Zelantium, et ex traditione orali non minus quam scripta hausta sunt et paulatim aucta. Ea iam cognovit P. I. Olivi, qui, uti infra, p. LXVII, dicemus, textu ex eisdem usus est in *Expositione Apocalypsis.*

---

[1] Faloci Pulignani, *Ricordi di San Francesco raccolti dal B. Corrado da Offida* ap. *Miscellanea Francescana,* VII, 1898, 131 ss. P. Sabatier, *Verba Fr. Conradi* ap. *Opusc. de critique,* I, 370 ss.

[2] Cf. infra p. 44[2]. Etiam Bartholi, *Tractatus de Indulgentia S. M. de Portiuncula* (c. a. 1335), ed. Sabatier, Paris 1900, p. 1, loquitur de *Dictis Sociorum*; dum Alv. Pelagius, *De planctu Eccl.* (c. a. 1330), II, 61, ed. Lugd. 1517, f. 203vb refert: *Sicut scripserunt socii sui* (S. Francisci) *vita et miraculis corusci.*

Pro singulis textibus vide infra notas ad nostram editionem. Uni soli textui, infra p. 44 ss., parum diutius exponendo inhaerere opus est, cum is deplorandas Spiritualium aberrationes melius ostendat, atque insuper usque ad a. 1904 inter *Opuscula* S. Francisci, quamvis ab eius mente quam maxime alienus, circumferreretur.

Apud 2 Cel. 2, 116 [1] generali modo S. Francisci refertur praevisio temporis, *quo malis exemplis dilecta Dei religio diffametur, ita ut pudeat exire in publicum* etc., quod deinde repetitur a *Spec. perf.*, c. 70 [2]. Similis versio simplicior initio saec. XIV circumferebatur in quadam collectione *Dictorum S. Francisci* [3], ut testatur Michael a Caesena, qui eam refert in litteris encyclicis ad Ordinem directis, Monachii die 24 Ian. 1331, pluries evulgatis [4], atque ita scribit:

Et ideo almus Christi confessor, et vitae ipsius praecipuus imitator Franciscus, ac eius stigmatibus notabiliter insignitus, Spiritu sancto dictante, praedixit regulam et religionem suam acerrime diffamandam, et quod super eam venirent tentationes immensae; et qui fuerint tunc probati, accipient coronam vitae. Vae autem illis, qui de sola specie religionis confisi tepescent nec resistent constanter tentationibus ad probationem electorum permissis: sed quantiscumque tentationibus fuerit dicta religio ipsius impulsa, salva tamen semper Christi munere permanebit, ut haec habentur in dictis ipsius sancti.

Sed huic textui iam versus finem saec. XIII novum elementum accesserat, scil. dictum quoddam Spiritualium de Nicolao III, quod est intermedium inter antiquiorem versionem et posteriorem, exortam tempore Bonifacii VIII. Dictum illud ex duplici fonte innotescit. In scripto enim quoddam polemico Communitatis (a. 1311) contra Spirituales et praesertim contra memoriam Petri Ioh. Olivi sequens occurrit textus [5]:

---

[1] Pag. 287-88. [2] Pag. 135-36.

[3] Non est tamen illa evulgata a Lemmens ap. *Doc. ant. franc.* I, 100-106: *Verba S. P. Francisci.* In Catalogo vero Bibliothecae Sacri Conventus Assisii a. 1381 confecto habetur *Liber dictorum beati Francisci;* cf. L. Alessandri, *Inventario dell' antica Biblioteca del S. Convento di S. Francesco in Assisi,* Assisi 1906, p. 82. In codice vero Coll. S. Antonii de Urbe, saec. XIV, f. 77vb-79va sub rubrica: *Incipiunt quedam dicta beati Patris nostri Francisci* habentur eiusdem Sancti *Admonitiones,* in ed. *Opusc.* Ad Cl. Aq. 1904, p. 1 ss.

[4] Ap. Goldast, *Monarchia,* II, Francofordiae 1614, p. 1338 (sub falso: 24 Ian. 1333); prophetia S. Francisci, p. 1339. Baluzius-Mansi, *Miscellanea,* III, Lucae 1762, 356 (sub falso: 4 Ian. 1331); prophetia, p. 356 b. et demum optime, iuxta cod. Vat. lat. 4010, f. 206-212, ap. Eubel, *Bull. Franc.* V, 427, nota; prophetia, p. 429, nota, quem textum nos hic sequimur.

[5] Ehrle, ALKG, II, 371.

Et nonnulli etiam mares et mulieres de diversis collegiis illicitis dicte doctrine sectatores dixerunt et docuerunt, quod a felicis recordationis domino Nicholao papa III angelus abstulerat auctoritatem pontificis propter suas iniquitates et tradiderat eam certis fratribus et sequacibus sequentibus spiritum paupertatis evangelii, et quod ex tunc nullus fuit papa in ecclesia de hiis, qui creati sunt vel creantur per cardinales et quod hii soli, qui secuntur et habent istum spiritum paupertatis et evangelii, sunt veri sacerdotes, de aliis vero nullus est verus sacerdos....

Alter textus est ille Paulini episcopi Puteolani, O. Min., qui in *Satyrica gestarum rerum historia* ad a. 1294 loquens de Liberato a Macerata et Angelo Clareno et de eorum sequacibus laicis scribit [1]:

Hii dogmatizabant, quod nullus summorum pontificum regulam b. Francisci declarare potuit [2]. Item quod angelus abstulit a Nicholao III papatus auctoritatem, et ab illo tempore nullus fuit papa in ecclesia, nec verus prelatus vel sacerdos, nisi inter eos solum.

Petrum Iohannis Olivi penes se habuisse textum prophetiae S. Francisco falso adscriptae et a Leone sociisque repetitae, uti fere iacet ap. Angelum in hac *Exp. Reg.*, constat ex extracto ex eius Commentario in Apocalypsim. Notabile est ibi hanc pseudoprophetiam coniungi cum ideis Ioachimiticis, quod nobis procul dubio revelat ambitum, quo efformata est. Scribit vero Olivi [3]:

Quidam ex pluribus, quae Ioachim de Frederico secundo et eius semine scribit et ex quibusdam, quae beatus Franciscus secrete fratri Leoni et quibusdam aliis sociis suis revelasse fertur, opinantur... Statuet (semen Friderici II) in Pseudopapam quendam falsum religiosum, qui contra regulam evangelicam excogitabit et faciet dispensationem dolosam, promovens in Episcopos professores regulae praefatae sibi consentientes... ac persequens [4] omnes, qui regulam praedictam ad purum et plene voluerint observare et defensare... Addunt etiam praedicti, quod tunc in parte implebitur illud Apostoli secunda ad Thessalonic. II, nisi venerit discessio primum. Dicunt enim quod tunc fere omnes discedent ab obedientia veri Papae et sequentur illum pseudopapam, qui quidem erit pseudo, quia haeretico modo errabit contra veritatem evangelicae paupertatis, et perfectionis, et quia forte ultra hoc non erit canonice electus, sed schismatice introductus [5].

---

[1] Golubovich, *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa,* II, 80. Idem repetitur a Paulino in *Chronologia magna*, Golubovich, l. c. 96.

[2] Haec est vera ratio totius textus: Nicolaus III, *Exiit,* Regulam Fratrum Minorum exposuerat. Quid de ea senserint Spirituales videri potest ap. Ubertinum a Casali, *Arb. Vitae,* V, 3, f. D IIII va.

[3] Baluzius-Mansi, *Miscellanea,* II, Lucae 1761, 267 a-b; Döllinger, *Beiträge zur Sektengeschichte,* II, München 1890, 572-73. Tractatus Olivi scriptus est c. a. 1297.

[4] Baluzius-Mansi falso: *per consequens*.

[5] Idea pseudoreligiosi qui erit ille pseudopapa deinde magis exculta est in *Verbis Conradi: Et exibit de Ordine tuo* [S. Francisci] *summus Ponti-*

Concretiores formas videtur accepisse textus ille tempore Bonifacii VIII, qui modo insolito, per renuntiationem praedecessoris, S. Coelestini V, ad thronum pontificium accesserat et insuper Spiritualibus propitius non fuerat [1]. Huic ergo verosimiliter applicatum est illud *canonice non electus* et *abbreviatio dierum,* quod ultimum non est nisi allusio ad scelus illud Anagninum et inde secutam mortem Pontificis. Sic enim consideratos esse illos eventus a malevolis quibusdam contemporaneis ostendit cl. Finke [2]. Expressio de *papa canonice non electo* ad Iohannem XXII referri in origine nequit, ut voluit P. Ehrle [3], cum ipse Clarenus hunc Pontificem unanimiter electum esse referat [4]. Spirituales econtra ab initio pontificatus Bonifacii VIII accusati sunt, quod hunc legitimum papam non agnovissent [5].

Hic textus conservatur ap. *Verba Conradi* [6], et in hac *Expos. Reg.* Angeli Clareni [7], et inde in collectione illa hispanica *Floreto* dicta [8], et a Waddingo inter opera S. Francisci relatus est [9] et inde in omnes posteriores transiit editiones et versiones [10], donec PP. ad Claras Aquas eam in editione critica a. 1904 merito eliminarent. Clarenus aliam etiam offert redactionem paulo liberiorem, quia forsan e memoria scriptam, in epistola scil. datam a. 1329 ad

fex etc. *Misc. Franc.* VII, 135; *Opusc. de critique,* I, 385, quae verba Sabatier, *Opusc.* cit. 385, nota 1, et ib. p. 368 applicat Antipapae Nicolao V (1328), sed uti ex textu Olivi apparet, idea iam anterior est, et forsan Nicolao IV applicabatur, qui primam bullam contra Spirituales edidit, quae tamen conservata non est. Cf. Eubel, *Bull. Franc.* V, 138; Ehrle, ALKG, III, 14-15; 434-35.

[1] Cf. supra, p. XXVI.

[2] *Aus den Tagen Bonifaz VIII,* Münster in W. 1902, p. 269ss; p. CLXXII. Cf. insuper *Speculum Vitae,* Venetiis 1504, f. 221 r; Metis 1509, f. 221 r; Barth. Pis. *Anal. Franc.* IV, 438.

[3] ALKG, IV, 6.

[4] Trib. 6, ALKG, II, 142.

[5] Cf. epist. Olivi ad Conradum de Offida ed. ab Ig. Jeiler, O. F. M., ap. *Historisches Jahrbuch,* III, 1882, 648-59.

[6] *Misc. Franc.* VII, 135; *Opusc. de crit.,* I, 387.

[7] Cf. infra, p. 44-46.

[8] Parte II, c. 82; cf. supra, p. XIX-XX; LXV.

[9] *B. P. Francisci Ass. Opuscula,* Antverpiae 1623, Prophetia XIV, 480-82.

[10] Cf. ex. gr. editionem Ioh. de la Haye, *Sancti Francisci... nec non S. Antonii Paduani Opera omnia,* Parisiis 1641, 82-83, et ultimam, quae iuxta Waddingum facta sit, versionem hispanicam, *Obras completas del B. P. Francisco de Asis... traducidas en Romance por algunos devotos del Santo,* Teruel 1902, 345-46.

Philippum de Maioricis [1], et eam Iohanni XXII videtur applicare. Simili modo applicatur, in forma tamen mitiori a Michaele a Caesena [2], et in forma ordinaria in quibusdam litteris olim Occam [3] vel Michaeli a Caesena [4] adscriptis, certo autem a quibusdam Fraticellis Italiae conscriptis [5].

Tempore demum Schismatis occidentalis idem textus huic applicatus est, et quidem ea circiter forma, qua apud Angelum et Conradum patet. Ita Telesphorus Cusentinus in tractatu, cui titulus *Liber de magnis tribulationibus*, scripto a. 1386 [6]. Scribit ibidem auctor [7]: *Item beatus Franciscus in sua revelatione, quam habuit a spiritu sancto de hoc scismate dicit sic: Socii beati Francisci referebant et frater Leo scribit quod per futuras tribulationes intelligebat per spiritum sanctum tempora appropinquare...* Sequitur prophetia usque *si fieri posset inducerentur in errorem etiam electi. Hec beatus Franciscus.*

De schismate textum intellexit a. 1385 etiam Bartholomaeus Pisanus [8], deinde Marcus Ulyssiponensis [9], dum dubitavit Waddingus [10].

Ex praedictis patet hunc textum successive crevisse ex dictis a Thoma de Celano, in forma vero maiore ortum esse vero similius inde a Pontificatu Nicolai III, versus finem autem saeculi XIII fere fuisse absolutum et fratri Leoni (falso) adscriptum, ut constat ex textu Olivi, deinde variis modis a zelantibus Spiritualibus applicatum in forma uti habetur ap. *Verba Conradi* et ap. Angeli

---

[1] Ehrle, ALKG, I, 566 ss.; Tocco, *Studii Franc.* Napoli 1909, 297 ss.

[2] Cf. supra, p. LXVI.

[3] *Firmament. trium Ord.*, Parisiis 1512, pars IV, f. CXLII ra; Venet. 1513, pars III, f. 87 rb; *Fasciculus rerum*, ed. Brown, Londini 1690, II, 436.

[4] Baluzius-Mansi, *Miscellanea*, III, Lucae 1762, 341.

[5] Cf. *Arch. Franc. Hist.* IV, 1911, 17 ss. — Elementa quaedam textus inveniuntur etiam in Vita S. Margaritae a Cortona, auctore Junta Bevegnati, cap. IX, §§ 19, 26, 48, in ultima editione, Siena 1897, pp. 243 ss, 248 ss, 271 ss.

[6] Hoc datum habetur in Codice Capistranensi XIX (saec. XIV-XV), f. 6v, ubi quaedam extracta eiusdem libri. Cf. etiam L. Pastor, *Geschichte der Päpste*, I, ed. 3 et 4, Freib. i. B. 1901, 153-56.

[7] Adhibeo librum collectaneum rarissimum, editum *Venetiis per Bernardinum Benalium* in 4°, s. a. [1524]; textus citatus ib. f. XVIIrb. In fine collectionis habetur liber quintus *Arboris Vitae* Ubertini Casalensis, sub eius nomine et cum titulo, f. LIVva: *Incipit tractatus de septem statibus ecclesiae* etc.

[8] *Anal. Franc.* V, 166-67.

[9] *Croniche*, pars I, lib. II, c. 27, ed. Venet. 1625, I, 208.

[10] In edit. cit. *Opusc. S. Franc.*, p. 482.

Expos. Reg. et demum de Schismate occidentali fuisse expositum. Quis primus formam longiorem in litteraturam franciscanam introduxerit non constat; antiquissimus autem eius testis est P. I. Olivi. Inde patet Clarenum nullo modo hunc textum sibi finxisse, cum saltem 20 annos antequam hanc *Reg. Expos.* conscripserit iam exstiterat. Eodem autem tempore, quo efformata est longior atque quasi sterotypica illa versio, habetur alia versio brevior atque mitior uti apparet ap. Michaelem de Caesena a. 1331, procul dubio vero pariter ad saec. XIII recedit, atque formae primitivae, quam Fr. Thomas a Celano adhibuit, magis accedere videtur. — Historiam aliorum textuum a Fr. Leone et sociis repetitorum non ita persequi possumus, sed nobis sufficit demonstrasse Angelum falsi non posse accusari [1].

2. De fontibus patristicis aliisque.

Mira sane cognitio quam Angelus Clarenus pro suo tempore SS. Patrum aliorumque scriptorum ecclesiasticorum antiquiorum habuerit, cuique hanc *Expositionem Regulae* inspicienti illico patebit. In nullo forsan alio illius temporis scripto tam exiguo tanta SS. Patrum textuum copia exhibetur, praesertim si etiam ad Patres graecos attendas, quanta in hac *Expos. Reg.* Integrum fere cap. VI, pp. 123-177 talibus locis conflatum est. Hoc, praeterquam insito cuidam legendi cognoscendique amori, Angeli cognitioni linguae graecae attribuendum est, qua ei scriptis suo tempore Latinis ignotis uti licuit.

Hoc loco non omnia nomina afferre possumus auctorum citatorum, aut, quin textus adducantur, inter scriptores commemoratorum, sed dum pro his ad *Indicem* remittimus et ad supra p. XXXIV ss. tractatas Angeli *Versiones*, quaedam notabiliora hic innuere iuvat.

---

[1] Male concordant quae P. Balthasar, O. F. M., *Geschichte des Armutsstreites im Franziskanerorden bis zum Konzil von Vienne*, Münster i. W. 1911, p. 143 scribit. Dum enim dictas prophetias ultimis decennis saec. XIII exortas esse concedit, Angelum Clarenum eorum fontem principalem opinatur! Clarenus ante a. 1300 nullum librum composuit, et tractatuum eius, quos cognoscimus, certo nullus ante medium alterum decennium saec. XIV conscriptus est. Quod autem textum litteris ad Philippum de Maioricis datis insertum, ALKG, I, 566; Tocco, *Stud. Franc.* 304, Angelus non sibi finxit, quamquam, uti diximus p. LXVIII, liberius tractavit, quia forsan ex memoria scriptum, innuitur verbis Angeli, *sicut ego ipse legi*. Patrem Balthasar insuper idem textus ap. *Exp. Reg.* et *Verba Conradi* fugit.

Plura scripta apocrypha apostolica adducit et quidem recensionibus divergentibus ab illis nobis notis; pp. 107-08; 152-54. S. Basilii affert litteras ad Amphilochium datas, pp. 36-40, quarum pars tantum hucusque nota erat, et haec quidem in forma absque destinatarii nomine; cf. p. 36[4] et 37[1]. S. Iohannis Chrysostomi affert homilias in Matthaeum, cf. p. 94; 150, alio ordine dispositas ac nunc cognoscimus [1]. Inter scriptores graecos citat p. 153 Iohannem Sparciatam auctoribus ignotum; cf. 153[2]. *Scalam paradisi* Iohannis Climaci Angelus noster in litteraturam occidentalem introduxisse videtur. Nam apud nullum scriptorem latinum saec. XIII citatum inveni. Citat pp. 136-37 S. Damasi Papae commentarios in epistolas S. Pauli doctis penitus ignotos, quos quidem commentarios relationem quamdam ad Ambrosiastrum, post quem exorti sunt, habere, ostendimus; cf. p. 136[1]. Vitae et Dictorum Patrum deserti magnam cognitionem exhibet Angelus. Notandum etiam ab Angelo nostro S. Hieronymo pluries attribui *Historiam monachorum,* quam Rufinus (q. v. in *Indice*) conscripsit, et p. 155 Iohannem Cassianum suas *Collationes* graeco et latino sermone dicit digessisse [2], quod a nullo alio rerum scriptore hucusque noto traditur, ac etiam recentem *Collationum* editorem [3] fugit.

Praedilectionem quamdam ostendit Auctor scriptorum quinque priorum saeculorum; e posterioribus paucos, praesertim si ad Latinos respicis, citat. Adducit vero Gregorium Magnum, Rabanum Maurum, Isidorem Mercatorem, Decretum Gratiani, Ioachim; v. *Indicem.* Nullum scriptum Scholasticorum adhibet, quod procul dubio cum eo cohaeret, quod Angelus scholas theologicas non frequentaverat, discrepans in hoc ab aliis Spiritualium ducibus Olivi et Ubertino.

Huc spectat etiam S. Petri Apostoli discipulorum catalogus quem pp. 155-57 texit, quemque e fonte quodam tardiori hausisse videtur; cf. p. 155[3].

---

[1] Cf. tamen supra p. L, nota 2.

[2] Photius, Cod. 192, Migne, P. G. 103, 662s. commemorat versiones graecas operum Ioh. Cassiani, imo eas iam saec. VI cognovit Ioh. Climacus, *Scala Paradisi,* Grad. IV, Migne, P. G. 88, 718. Cf. Ehrhard ap. Krumbacher, *Geschichte der byzantinischen Litteratur,* ed. 2, 100; 144.

[3] Petschenig, *Iohannis Cassiani opera,* (*Corpus Script. Eccl. Lat.* vol. XVII, pars 1.) Vindobonae 1888, p. XCVI-CIV.

Quasdam harum « auctoritatum » ex aliis auctoribus, praesertim ex *Expositione Regulae* P. I. Olivi hausisse videtur Clarenus, alias forsan e Florilegiis SS. Patrum, longe maiorem vero partem locorum citatorum immediate e fontibus desumpsisse videtur, quod certo certius pro Patribus graecis valet.

Quibus omnibus adiungas miram Angeli S. Scripturae cognitionem, qua ei saepissime verbis eius uti licuit.

Caput VII.

De methodo, valore, auctoritate Expositionis Regulae.

1. De methodo.

Dum P. I. Olivi Spiritualium est scriptor dogmaticus, Ubertinus Casalensis polemista, Angelus Clarenus eorumdem est rerum scriptor, mysticus, ac familiae traditionis velut ultimus conservator. Imago pauperis et humilis S. Francisci continue in eum influit, non pure et magnifice, sicut nobis apparet figura Sancti ex Vitis Thomae Celanensis et S. Bonaventurae, sed ut Spirituales versus finem saec. XIII eum depinxerunt. Si argumentum huius *Expositionis Reg.* inspicimus, facile videbimus in ea inculcari prae caeteris paupertatem summam, simplicitatem, omnimodam subiectionem, itaque omnis privilegii sive spiritualis sive temporalis reiectionem, vitam solitariam a mundi strepitu longinquam, sapientiae et scientiae humanae horrorem.

Has qualitates, quas Angelus in vero Fratre Minore inesse desiderat, continue ad Ordinis principia, ad ipsum S. Fundatorem reducit et per ipsum ad Christum et eius Apostolos eorumque sequaces, quorum vitam ex voluntate Christi S. Franciscus renovavit. Quare sicut saepissime affert textus Regulae non bullatae et scripta vel traditiones a Fr. Leone repetita, ita adducit S. Scripturam, scripta primitivae Ecclesiae, praesertim ex Actibus apocryphis Apostolorum, eo tempore ut sinceris, quamvis non inspiratis, acceptis, ex regulis antiquis monasticis et eremiticis, ut ostendat in nullo differre id quod voluit S. Franciscus a praeceptis, consiliis, exemplis Christi, Apostolorum et SS. Patrum. Hoc Angelus ipse saepe et clare enuntiat; cf. pp. 2-3; 108 et passim.

Methodus qua utitur Angelus optime apparet in fontibus quos, praeter scripta ipsius S. Francisci (cf. supra, p. LIX), ad conceptum et sensum canonisticum Regulae eruendum adhibet. Inter expositores enim Regulae, tum officiales tum privatos, quorum numerus saec. XIII et initio saec. XIV non est exiguus, pauci tantum ab Angelo adducuntur, scil. Quattuor Magistri, Hugo de Digna, *De finibus paupertatis*, P. I. Olivi, *Expositio in Regulam*. Inter declarationes pontificias Regulae solam bullam *Quo elongati* affert, et quidem in iis locis quibus ei favet, quod systema adhibet etiam quoad Quattuor Magistros. Non vero attendit ad crebra scripta S. Bonaventurae de Regula, neque nominat bullas *Exiit* Nicolai III et *Exivi* Clementis V, cum tamen eae Angeli tempore in vigore essent [1]. Hoc quoad bullam *Exivi* eo mirius est quod alibi, in *Chronica* scil. *septem Tribulationum*, idem Angelus hanc declarationem summis effert laudibus, de ea scribens [2]: *Et facta est declaratio quarta papalis, que inter alias est sicut aquila volans, intencioni fundatoris maxime appropinquans.*

Casuistica Angeli *Expositio* certo dici nequit. Haec enim glossatio ei visa fuisset, quam effugere studuit; cf. pp. 2-3; 207. Sensum, quem habuit S. Franciscus in Regula, ex ipsius Sancti scriptis eruere studet et exemplis eius illustrare, ut clare pp. 1-2 et saepius scribit, et ut maiorem lucem afferat, etiam exemplis et dictis SS. Patrum, qua in re proxime accedit ad Hugonis de Digna *Expositionem* (cf. p. 2[3]), quam tamen numquam apertis verbis citat. Testamentum, non obstantibus declarationibus Gregorii IX et Nicolai III, ut unum quid cum Regula considerat; cf. pp. 23; 234-35, et ipsum Regulamque a Christo S. Francisco tradita, revelata saepissime asseverat. Regula Fratrum Minorum ipsi est evangelica perfectio, ipsum Evangelium; cf. pp. 15; 29; 33; 34; 62-63 et alibi. Caeterum Regulam pulcherrimis epithetis ornantibus describit: *caritatis et pietatis regula*, p. 69; *pacis et veritatis, pietatis regula*, p. 104; *caritatis et gratiae Christi regula*, p. 176.

In ecclesia Romana, inquit p. 20, regulae « S. Augustini » et S. Benedicti primatum tenent, sed eis longe excellit Regula S. Francisci, et quidem quindecim punctis pp. 21-23 enumeratis et iterum pp. 23-29 largius descriptis; quae quidem puncta e Pro-

---

[1] Videntur tamen hinc inde haberi quaedam citationes implicitae; cf. Indicem s. v. *Exiit* et *Exivi*.

[2] Trib. 6 (7), ALKG, II, 139.

logo *Expositionis Reg.* Olivi partim desumpsisse videtur [1]. Pulcherrimum est quod p. 23 de cap. XII de Missionibus inter infideles dicit, nullam scilicet aliam regulam ea de re facere mentionem, quod ante Clarenum Ioh. Pecham iam notaverat; cf. p. 23[2]. Dum igitur Angelus hic regulam S. Basilii non adducit, cum agat de regulis in Occidente observatis, alibi hanc saepius laudat et transcribit; cf. supra, p. XL.

Dispositio et proportio *Expositionis* est omnino inaequalis. Priora enim sex capitula per longum et latum tractat Auctor pp. 12-177, ultima sex vero breviter absolvit pp. 178-230. Solum cap. VI, pp. 123-177 fere idem spatium occupat ac sex ultima capitula insimul, estque velut quarta pars totius tractatus. Nihilominus praeter longos locos e SS. Patribus desumptos nihil fere ibi dicit, adeo ut, si res canonistice consideretur, sit omnium capitulorum exiguum. Repetuntur ibi insuper plura in cap. IV iam relata, sicut etiam alibi Auctor crebras affert repetitiones, ex. gr. verba *cum clamore valido et lacrimis,* Hebr. V, 7, repetuntur pp. 60; 83; 93; 97; 99.

Prologus pp. 1-11, et Epilogus pp. 231-38 historicam indolem potius habent. Commovet praesertim Epilogus, quem nos a cap. XII separavimus, quamvis id in codicibus non obtineat. Post resumptionem mystico-apocalypticam duodecim capitulorum iuxta doctrinam P. I. Olivi pp. 231-33, texitur laus ipsius Olivi pp. 233-34, et inde occasione arrepta, Angelus tetricis et tristibus coloribus passiones Zelantium describit vel potius obscuris allusionibus innuit, et nonnisi ultimis, quibus terminat totum tractatum, verbis, spes et fiducia ei iterum arrident.

2. De valore.

Ut ex praedictis sat patet, valor canonisticus sive practicus huius Expositionis Regulae tantus non est. Auctor enim in sensum verborum raro inquirit, casus non ponit vel solvit, decisiones et declarationes authenticas vix invocat. Est potius Expositio spiritualis seu mystica Regulae, atque eius, exemplis et doctrinis aliunde haustis, illustratio. Longe maior est huius Expositionis valor histo-

---

[1] Cf. *Firm.* Venet. 1513, III, f. 106ra-107rb. Hoc sensu corrigenda est *Nota* 5, p. 20.

ricus et litterarius. Quantum enim Angelus principia verae historiae conceperit, eius eloquium p. 12 nostrae editionis demonstrat. Praeter notitias bibliographicas pretiosas, quas cf. supra *De fontibus*, alia nobis tradit uti indicationes illas topographicas ad S. Paulum Apostolum spectantes p. 27, plures notas hagiographicas de S. Petri discipulis p. 155-57 aliisque; plura refert et quidem ipse solus, de confirmatione Regulae in concilio Lateranensi IV, a. 1215, pp. 6; 16; 101; de circumstantiis confirmationis Regulae secundae pp. 204-06 quae habentur etiam apud « Legendam Veterem », nos vero ut parum vero similia demonstravimus. Alia tradit de breviario franciscano p. 87-89, de statuto a B. Iohanne de Parma condito p. 91, de S. Francisci modo se habendi ad matrem et ad S. Claram p. 217, et alia.

Speciatim pro historia Spiritualium, ultra generale momentum quod hic textus ex sese habet, mentione digna sunt ea quae traduntur de secta Mantellatorum sub Fr. Elia p. 64, de Spiritualium praxi in vestiendo p. 47; 64. Sed longe maioris momenti est in toto textu *Expositionis Regulae*, quamvis pro amicis intimis, propriis scilicet asseclis Spiritualibus, scriptae, nullum haeresis aut schismatis vestigium inveniri.

Imo Angelus pluries p. 10, 33, 44, 55, 81 et passim in unione cum Ecclesia Romana et oboedientia erga eam insistit, *eo quod omnis religio quanto perfectior, tanto intimius et efficatius intrinsecatur ecclesie et obedientie Christi vicarii et Romani sacri collegii reverentius et humilius subiecta famulatur* (p. 44). Est ergo sub hoc respectu haec *Expositio Regulae* novum argumentum apologiae Angeli Clareni, quam ante 130 annos Annibali de Latera conscribendam suscepit [1]. Nihilominus motus Spiritualium ab Ecclesia diu observatus, disquisitus, denique repressus est et merito quidem, ut bene recentes quidam rerum scriptores notaverunt [2].

---

[1] *Supplementum ad Bullarium Franciscanum*, Animadversio VIII: *B. Ioannes Angelus a Cingulo, Clarenus dictus, eiusque asseclae ab haeresis nota vindicantur*, pp. 138-52; cf. ib. pp. 153-74.

[2] D. S. Muzzey, *Were the Spiritual Franciscans Montanist Heretics?* (Reprinted from the *Journal of Theology*, vol. XII, Nos. 3 and 4, 1908) University of Chicago Press. In fine doctae dissertationis p. 605-06 scribit: *If the endeavor made in the preceding pages, to interpret the doctrines of the Spiritual Franciscans from a study of their own writings has been successful,*

3. De auctoritate.

Angeli Clareni *Expositio Regulae* ignota fere remansit, ideo etiam auctoritas quam in subsequentes Regulae expositores habuit, nulla est. Quamvis enim plures expositores perscrutatus sim, nullum vestigium, eos Clareni Expositionem adhibuisse vel saltem cognovisse invenire potui. Solum anno 1870 citatur in tractatu de Regula composito; cf. supra, p. IX. Hoc cum propagatione exigua cohaerere, quam habuit haec Expositio, haud dubium est. Scripta enim tempore quo Angelus extra Ordinem iam versabatur, imo se abscondere coactus est, pluribus ignota remansit. Pauci codices qui supersunt vero similiter, praeter unum alterumve, a Clarenis conscripti sunt. Sed licet etiam nota fuisset haec Expositio, ob specialem indolem vix auctoribus commentariorum in Regulam inservisset, sicut etiam nostro tempore solum ad quaestiones historicas vel litterarias tractandas est adhibita.

Caput VIII.

De ratione edendi operis.

Pro hac editione paranda ea quae sequuntur principia sum secutus. Fundamentum editionis est Codex 1/92 archivi S. Isidori de Urbe, quem littera A signavimus, ita ut textus editio huius codicis dici queat. Ad eum etiam foliorum numeri textui inserti referuntur. Rarius discessi a lectionibus eiusdem codicis, ubi scil. per amanuensis negligentiam A manifeste deficiebat, et alii co-

---

we are justified in absolving them from the charge of Montanistic heresy. Whatever points of resemblance the two movements may have had in their employment of apocalyptic prophecy, their insistence on ascetic practices, and their opposition to the ecclesiastical powers of their day, a closer inspection of their doctrines reveals a wide divergence of aim and dissimilarity of method in the two. The prophecy which the Montanist announced as the end, the Franciscan zealot employed as a means. The ascetism of the Montanist was a penance, that of the Franciscan an equipment. The Montanist claimed to supplant the church, the Spirituals sought to renew its primitive holiness. Yet, after all, the church was profoundly right in its judgment of the danger which would attend the triumph of the Spiritual Franciscans. — Cf. etiam Ehrle, ALKG, IV, 43-45.

dices lectiones afferebant meliores. Lectiones variantes, cum quinque tantum exstent codices atque ipsae lectiones variantes adeo non abundent, omnes notavi, si excipias orthographicas, quas nonnisi raro, in nominibus propriis aliquando assumpsi. Similiter neglexi, demptis paucis casibus, lectiones variantes, quas varii textus editi locorum in hac *Expositione* citatorum afferre potebant, cum iis in casibus ipse lector, si interest, comparationem facile valeat instituere.

In orthographia textum Codicis A secutus sum generatim; cum ea autem non sibi constans sit, hinc factum est, ut aliquando idem vocabulum vel nomen proprium diversimode scriptum reperiatur. Retinui quoque in textu formas quasdam Cod. A, Medio Aevo usitatas, uti *idolatria* pro *idololatria,* etiamsi alii codices praesertim E, formam correctiorem offerebant. Ubi correxi orthographiam ex. gr. in vocabulis *artare, cunta, Agustinus,* signis id notavi. Compendia X^us e XPS semper exscripsi *Christus,* sine speciali indicatione. Item *u* et *v* iuxta usum hodiernum adhibui, prout in plurimis editionibus fieri inolevit. Textus S. Scripturae et Regulae saepe solis initialibus vel prioribus syllabis scriptus, item nomina propria sola littera initiali indicata, exscripsi, quin uncis quadratis in similibus casibus hinc inde adhiberi solitis partem non exscriptam incluserim. Punctum enim finale illis litteris adiunctum, eamdem vim habet, ac in aliis casibus compendiorum signa; quare sicut haec non indicantur, ita nec illud merito signatur.

Atqui haec quidem quoad textum. In lectionibus vero variantibus notandis textum reddidi, quantum fieri potuit, prout in codicibus inveni, cum modus scribendi haud raro primo oculi ictu rationem lectionis variantis pandat, ex. gr. in vocabulis *noluit, uoluit.*

In paragraphorum divisione sequi voluissem Codicem A. Verum cum is rarius quam pro editione opportunum erat, paragraphos adhibeat, libere textum divisi, prout sensus permittebat vel etiam exigebat. Ubi vero longiores loci ex SS. Patribus occurrunt, divisionem saepe secutus sum, quam editiones apud Migne exstantes offerebant.

Textus ab auctore explicite vel implicite citatos contuli cum editis quorum pauci me fugerunt. Solos vero S. Scripturae et S. Francisci variorum opusculorum textus litteris cursivis seu italicis distinxi, dum pro aliis signa « » adhibui. Textus paral-

lelos aliorum scriptorum, etiam post Auctorem viventium, requisivi, non ita tamen ut hac in re ex omni parte indicationes completas dare intentio mihi fuisset.

Adnotationes ad textum iuxta tractatus indolem necessario inaequales sunt inter se. Cum enim momentum huius textus et scopus editionis potius ad historiam quam ad ius canonicum pertineant, ad notas historicas et criticas praecipue attendi. Quamvis textum, ubi quoad ius aliquid positive falsum reperiebatur, in notis correxerim, minime textum ad statum modernae legislationis seraphicae exornare aut voluntas aut etiam facultas mihi fuit. Indolem historico-iuridicam quaedam longiores adnotationes habent, ex. gr. de pecunia p. 103[1], de nominibus guardiani et custodis p. 105[2]; 191[2]; de recursu ad Ministros p. 204[2], de Clarissis 219[1].

Restat, ut iis omnibus denuo et publice gratias agam, qui ad hanc editionem parandam magnanimiter et alacriter consilio et auxilio mihi astiterunt, quosque huius *Introductionis* decursu nominavi. Quibus accensendus est R. P. Lucas Carey, O. F. M., archivista S. Isidori de Urbe, de studiis franciscalibus optime meritus, qui frequentius mihi accedenti eadem semper humanitate thesauros archivi, cui dimidium fere saeculum iam praeest, reseravit, R. P. Hieronymus Golubovich, O. F. M., qui folia voluminis II *Biblioteca bio-bibliografica della T. S.* nondum editi usui meo liberaliter concessit, demum RR. PP. Maternus Rederstorff, O. F. M., Poenitentiarius Apostolicus apud Basilicam Lateranensem, Romae, et Ioseph Pou, O. F. M., Lector generalis historiae eccl. in conventu Balaguer, Hispania. Omnibus haec editio amicitiae et gratitudinis sit pignus.

Quinque pene annos adlaboravi ut hanc editionem curarem; quod si ipsa quid utilitatis, quid progressus studiis sive franciscalibus sive patristicis contulerit, actorum laborum iucunda semper mihi erit memoria.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 15, lin. 15 in textu lege: *canonizare,* in variantibus: *canonice.*
» » nota 4, loco ζῳή lege: ζωή.
» 24, lin. 14–15 loco *paupertalis* lege: *paupertatis.*
» 24, nota 5, adde: *V,* 1912, 277–290.
» 30, loco notae 1 lege: *Apophtegmata S. Macarii Aegyptii, III, 2, Migne, P. G.* 34, 238 s.
» 32, lin. 14 loco *loginqui* lege: *longinqui.*
» 42, loco notae 2 lege: *Pseudobernardus, De statu virtutum, pars II, n.* 26, *Migne, P. L.* 184, 805.
» 63, nota 6, adde: *S. Dorothei doctrina I, Migne, P. G.* 88, 1631–34.
» 64, Dele lectionem variantem sub *e.*
» » nota 5, lin. 2 loco *potabant* lege: *portabant.*
» 83, nota 6, lin. 7 loco *Ambrosio Traversari O. Cam.* lege: *Matthaeo Radero S. J.*
» 106, Dele lectionem variantem E sub *c.*
» 107, Loco notae 1 lege: *In Lucam, lib. VII, n.* 54–55, *Migne, P. L.* 15, 1712–13. *Idem infra, c.* 6.
» 109, nota 3, adde: *Intentio Reg., n.* 13, *Doc. ant. franc. I,* 97.
» 111, lin. 8–15 adde « » et in nota: *Intentio Reg. n.* 9, *Doc. ant. franc. I,* 91; *Spec. perf. c.* 73, *p.* 146; Ubert. Cas. *Arbor Vitae, V,* 3, *f. D II vb.*
» 142, ultima lin. notae e pag. praecedenti loco 1223 lege: 1323.
» 231, nota 5, adde: Cf. etiam, S. Bonav. *Exp. Reg.* c. 1, *Op. om.* VIII, 393; Pecham, *Canticum Pauperis,* ed. ad Cl. Aq. 1905, 204.
» 233, nota 1, lin. 1, loco *inore,* lege: *in ore.*

TABULA CODICUM.

A = Codex S. Isidori de Urbe $^{1}/_{92}$, saec. XIV.

B = Codex Vat. Ottob. lat. 666, saec. XV.

C = Codex S. Isidori de Urbe $^{1}/_{65}$, saec. XVI.

D = Codex Vat. Ottob. lat. 522, saec. XIV.

E = Codex lat. Bibl. Reg. Monacensis 23648, saec. XV.

[*f.* 1 *r*] [Expositio beati fratris Angeli Clarini super Regulam] (*a*).

Postulasti a me frequentius, karissime in Domino fr. Thoma (*b*)[1], et per alios (*c*) cum multa instantia pluries ad memoriam reduxisti, ut nullo modo obmicterem scribere tibi puram (*d*), simplicem et finalem intentionem, quam seraphycus vir Franciscus habuit in regula sibi a Christo divinitus inspirata. Quod facere distuli rationibus multis. Quarum prima est ignorantia mea. Secunda est rei postulate evidentia manifesta. Quoniam ipse Sanctus spiritu prophetico illustratus plenissime et perfectissime puram (*e*) intelligentiam et finalem intentionem quam habuit in *Regula*, sicut a Christo susceperat (*f*), expressit et manifestavit in *Testamento* et in *Ammonitione* (*g*) et in *Epistolis* et in aliis *Verbis* suis[2], et pre-

---

(*a*) Scriptura recentiore additum in A. B *In nomine patris et filij et spiritus sancti amen. Incipit prologus super regulam euangelicam sanctissimo confexori Francisco diuinitus reuelatam;* E *In nomine patris et filii et spiritus sancti Amen. Incipit prologus super declaratione regulę euangelice diuinitus reuelatę sanctissimo christi confessori francisco.* — (*b*) D sola littera *T.* — (*c*) D add. *et.* — (*d*) D add. *et.* — (*e*) B *plenissime puram et perfectissime intelligentiam* — (*f*) C *acceperat.* — (*g*) E *admonitionibus.*

---

[1] Fr. Thomas, discipulus Angeli Clareni, pluries commemoratur in auctoris epistolis et quidem a. 1313 et 1315 conscriptis Avenione et in Italiam directis, cf. Ehrle in *Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte* (ALKG) I, 543; 555, (cf. 539). In collectione miraculorum Angeli Clareni pariter occurrit « Fr. Thomasius, pauper Christi Fraticellus in Calabriae partibus » cui Angelus Clarenus non diu post mortem apparuisse narratur. Cf. Annibali de Latera, *Supplementum ad Bull. Franc.* Romae 1780, Animadversiones p. 167-68. Qui duo fratres Thomae videntur esse distinguendi; hic agitur procul dubio de priore.

[2] Cf. verba similia Clareni ap. Tocco, *Le due prime Tribolazioni dell' Ordine Francescano,* Roma 1908, p. 11 : *Cognovit... Franciscus... per revelatio-*

sertim in responsionibus quas sanctus vir fr. Leo [1] suis sotiis de hoc eum interrogantibus, circa finem (*a*) fecisse scribit (*b*). Nam quod verbis docuit, operibus sanctis inplevit, Christus (*c*) signis et (*d*) virtutibus et miraculis per eum factis innumeris habundantius confirmavit. Et ecclesia Dei, que errare non potest, ipsum cathalogo sanctorum ascripsit, et (*e*) vitam et regulam approbavit [2].

Ne autem videar tue postulationis preces contra fraterne caritatis obedientiam non audire, aut arroganter (*f*) [3] aliquam quibuscunque (*g*) appaream (*h*) scribere novitatem, ita regule totius seriem operibus, verbis (*i*), consultis, exortationibus et mandatis sanctissimi patris Francisci declaratam tibi scribere disposui, ut nichil in ea ponerem, nisi ea tantum, que ipse Sanctus pro utilitate fratrum presentium et futurorum usque ad finem seculi se a Christo misericorditer cum multa precum instantia accepisse firmabat [4]. Ex sanctorum tamen,

---

(*a*) E add. *suum*. — (*b*) B *scribitur*. — (*c*) B add. *et*. — (*d*) E om. — (*e*) E om. — (*f*) E om. — (*g*) C om. — (*h*) D *apparentiam;* E *(quibuscunque appaream)*. — (*i*) E add. *et*.

---

nem Ihesu Christi sibi apparentis... omnia que in regula et testamento et suis epistolis ad amonicionem scripsit et aperte brevibus et clarissimis sermonibus et fidelibus operibus predicavit et perfecte implevit. Eadem fere verba referuntur ap. *La Leggenda antica* ed. S. Minocchi, Firenze 1905, p. 4. Habemus hic testimonium variorum S. Francisci Opusculorum.

[1] Cf. Lemmens, *Documenta antiqua Franciscana*, I, *Scripta Fratris Leonis*, Ad Claras Aquas 1901, p. 83: *Intentio Regulae;* p. 100; *Verba S. P. Francisci*.

[2] Argumentum simile ap. S. Bonaventuram, *Apologia pauperum*, c. VIII, 19, *Opera omnia*, VIII, Ad Claras Aquas 1898, 292-93; ib. c. X, 4, l. c. 305, quod repetitur bulla *Exiit*, § 3, *Seraphicae Legislationis textus originales*, Ad Claras Aquas 1897, 183-84.

[3] Scilicet glossas faciendo in Regulam contra mandatum S. Francisci. Ut hanc eludat vituperationem, se nihil aliud suscipere affirmat Clarenus quam Regulam ex ipsius S. Patris verbis et vita delucidare et antiquorum exemplis corroborare. Simili modo loquitur Hugo de Digna, *Expositio Regulae*, Introductio, *Firmamenta trium Ordinum*, Parisiis 1512, pars IV, fol. 34v a-b (ed. Venetiis 1513, pars III, fol. 32 v b): *Sed et coactus et iussus quedam ex his potissime, que ab ipsis beati Francisci familiaribus et etiam aliis sanctitate scientiaque precipuis, qui super ea suis nos verbis et scriptis pie ac provide instruxerunt, solicite didicerunt... Et quoniam sancta precedentium patrum vita nobis est vite forma: inter loquendum de regula de ipsorum quoque moribus secundum regulam institutis aliquid estimo inserendum.*

[4] *Intentio Regulae, Doc. ant. franc.* ed. Lemmens, I, 86: *Nos qui cum ipso fuimus, respondemus, sicut ab ore eius audivimus, quod ipse* [s. Franciscus] *fratribus hoc et alia plura dixit ac in regula scribi fecit, quam cum assidua*

qui apostolice vixerunt, regulis et institutis, vita pariter et doctrina, aliqua interserens quibus possit (*a*) diligentibus (*b*) et aliter sentientibus manifeste patere ipsum inmediate a Christo accepisse regulam et intelligentiam eius, que plene et summe concordat moribus et exemplis Christi vite et matris eius et apostolorum et sanctorum omnium perfectorum, qui eum precesserunt et sancte Romane ecclesie et omnium summorum pontificum, qui nuncusque (*c*) fuerunt in ea, auctoritate et testimoniis roboratur (*d*).

Honorius episcopus (*e*) *servus servorum Dei* etc. Sanctus Franciscus a *patre misericordiarum* [1] electus et vocatus et plenissime eruditus et illuminatus ad vite Christi evangelicam perfectionem et regulam immitandam et innovandam, et operibus et sermonibus mundo (*f*) ostendendam et predicandam, Christo sibi familiariter apparente et iu- [*f.* 1 *v*] bente, accessit cum XII sotiis suis [2] ad sancte memorie tunc Christi vicarium, dominum Innocen-

---

(*a*) C *possint.* — (*b*) CE *diligentius,* B idem, sed cor. *diligentibus.* — (*c*) BCDE *nunc usque.* — (*d*) B (rubr.) add. *Incipit expositio et declaratio regule sanctissimi confessoris Xpi F. edita a uenerabili sene patre nostro F. A. etcetera.* C *Incipit expositio et declaratio regule sanctissimi confessoris christi francisci edita a uenerabili sene, patre fratre Angelo clarino.* D (rub.) *Super regulam fratrum minorum.* E (rub.) sicut C, sed in fine *fre A. etc.* — (*e*) CDE *episcopus etc.* — (*f*) BC om.

---

oratione et meditatione a Domino postulabat pro utilitate religionis affirmans eam penitus esse Domini voluntatem. Eadem verba ap. *Speculum Perfectionis,* ed. Sabatier, Paris 1898, c. 2. p. 6. et ap. Ubertinum de Casali, *Arbor vitae,* V, 3, Mediolani 1485, fol. D II v a. Clarenus idem refert etiam in *Historia septem Tribulationum,* Tocco, *Le due prime Tribolazioni,* p. 17; Döllinger, *Beiträge zur Sektengeschichte,* München 1890, II, 426. Cf. etiam *Leggenda antica,* ed. Minocchi, c. 2, p. 10.

[1] 2 Cor. I, 3.

[2] Varii habentur catalogi duodecim primorum sociorum S. Francisci, sive duodecim primorum Fratrum Minorum. Elementum discriminis seu classificationis horum catalogorum non potest esse ordo, quo singula, praeter priora quattuor vel quinque, nomina sibi succedunt; in his enim mutatio facilis esse solet; nec etiam utrum unum aliudve nomen diversimode indicatur; sed utrum S. Franciscus computetur in duodenario numero vel non. Sic re considerata, clare perspicimus duas series, quarum prior, computato S. Francisco, igitur solorum undecim sociorum, est antiquior et primis fontibus innixa, altera vero duodecim discipulorum, excluso S. Francisco, recentior et fontibus minus attendibilibus reponitur. Sane, 1 Cel. 1 10, ed. Ed. Alenconiensis, Romae 1906, (deinde semper haec editio adhibebitur) p. 26-28, commemorantur ut primi S. Francisci discipuli tres anonymi, insuper Bern. de Quintavalle, Aegidius, Philippus, qui *septenarium numerum adimplevit.* Celanus igitur computat S. Franciscum. *Quodam*

tium tertium. Duodecim autem sotiorum (*a*) sancti Francisci, quantum memoria teneo, ista sunt nomina: fr. Bernardus de Quintavalle,

(*a*) BC *discipulorum*.

alio bono viro religionem intrante, ad octonarium numerum processerunt; 1 Cel. 1, 12, p. 31. Post primam missionem, qua *bini et bini* iverunt, l. c. *alii quatuor viri boni et idonei appositi sunt ad eos et sequuti sunt sanctum Dei;* l. c. p. 32. In capitulo sequenti, 13, p. 33, S. Franciscus *venit Romam cum omnibus dictis fratribus* ad obtinendam approbationem Regulae a Papa Innocentio. Patet igitur apud Celanum S. Franciscum in numero duodenario includi. Idem calculus apud S. Bonaventuram, *Leg. maior* (citatur editio ad Claras Aquas 1898, *Seraph. Doct. S. Bonav. Legendae duae*). Nominato enim Bernardo de Quintavalle, (c. III, 3) scribit: *Non multo post vocatis eodem spiritu quinque viris, filiorum Francisci senarius numerus completus est,* inter quos tertius Aegidius (III, 4). Deinde (III, 5) narratur visio cuiusdam sacerdotis *Silvestri,* qui tamen non statim Ordinem intravit, (sed solum post approbationem Regulae, ut expresse testantur *Leg.* trad. *3 Soc.* c. 9; *Anal. Franc.* III, 7; II, 7.) ideoque non computatur a S. Bonaventura, qui III, 7 scribit: *eodem quoque tempore quodam alio bono viro, Religionem intrante, ad septenarium numerum viri Dei soboles benedicta pervenit;* erant igitur octo, incluso S. Francisco. Reversi e prima missione, *quatuor sibi adhaerentibus viris honestis, ad duodenarium numerum excreverunt* (III, 7) i. e. incluso S. Francisco. Deinde narratur iter Romam (III, 8). *Legenda* traditionalis *3 Sociorum* (citatur ed. Amoni, Romae 1880, cum versione itala) nominat c. 8 Bernardum de Quintavalle, Petrum Cathanii; c. 9 Aegidium, non computans Silvestrum, cuius visionem narrat, Sabbatinum, Moritum, et Ioannem de Capella. In titulo c. 11 commemorat receptionem *quatuor* fratrum, et demum c. 12 scribit: *Videns autem beatus Franciscus, quod Dominus fratres suos numero et merito augumentaret, cum iam essent duodecim viri fortissimi... dixit illis undecim, ipse duodecimus, dux et pater eorum...* Narratur iter Romam.

Verbis *Leg. 3 Soc.* utitur Chronica 24 Gen. *Anal. Franc.* III, 6; *Cum eisdem autem XI fratribus ipse duodecimus iuxta numerum apostolicum ad praesentiam domini papae Innocentii tertii se contulit,* quod repetitur a Glassberger, *Anal. Franc.* II, 6.

Cum his testimoniis de duodenario primorum Fratrum Minorum numero, incluso scl. S. Fundatore, plane convenit antiquissimus, de quo habeamus cognitionem, catalogus horum Fratrum, qui nobis refertur in collectione epistolarum Angeli Clareni, in calce epistolae cuiusdam circa a. 1334 conscriptae, in Codice Magliabecchi, cl. XXXIX, n. 75, fol. 68r: *Et estote memores scripta portare vobiscum nomina XII*[cim] *sotiorum beati Francisci, si venitis, secundum ordinem, quo scribuntur in S. Maria de Angelis in capella illa, que recondita est, ubi de hac vita migravit ad Christum.... Ista sunt nomina duodecim fratrum minorum. Primus beatus Franciscus, fundator ordinis fratrum minorum et primus minister duobus annis. Post conversionem suam secutus est eum fr. Bernardus (de) Quintavalle, qui sepultus est in ecclesia beati Francisci. Tertius fr. Petrus. Quartus frater Egidius, qui sepultus est apud Perusium. Quintus fr. Sabbatinus. Sextus frater Moricus parvulus. Septimus fr. Iohannes de Ca-*

qui fuit primus post beatum Franciscum Frater Minor. Secundus fr. Petrus. Tertius fr. Egidius. Quartus fr. Moricus parvulus (*a*). V[us] fr. Sabbatinus. VI[us] fr. Barbarus. VII[us] fr. Iohannes de sancto Constantio. VIII[us] fr. Angelus Tancredi (*b*). IX[us] fr. Philippus longus. X[us] fr. Illuminatus. XI[us] fr. Moricus Bernardi Iudantis. XII[us] fr. Iohannes de Cappella, qui sublato (*c*) furtim balsamo, quod (*d*) ad condiendum corpus beati Francisci preparatum erat, abiit et laqueo se suspendit.

(*a*) B manu posteriore adiectum. — (*b*) C om. B *Tancledi.* — (*c*) D *furtim sublato.* — (*d*) B falso *quem.*

---

pella. Octavus fr. Philippus longus et benefactor, primus visitator pauperum dominarum. Nonus frater Iohannes de Sancto Constantio. Decimus fr. Barbarus. Undecimus frater Bernardus de iuda. Duodecimus fr. Angelus Tancredi. Amen.

Cum hoc antiquissimo et magis authentico catalogo, desumpto ex loco ubi vivior traditio conservabatur, multi et alii quoad nomina et seriem conveniunt, scilicet ille codicis S. Antonii de Urbe saec. XIV (non XV.) fol. 62 r a - b, editus a Fierens, *La Question franciscaine,* Louvain 1909, p. 54. Insuper *Anal. Franc.* III, 4; III, 640-41; II, 6; cod. 1/184 S. Isidori de Urbe, saec. XIV, f. 85 v; *Opusc. de critique,* I, 49, (qui ordinem nominum Sabbatini et Morici invertit); I, 361; I, 367; II, 108; Sabatier, Bartholi *de Indulgentia,* Paris 1900, p. CXLIX, nota 2; *Speculum Vitae,* Venetiis 1504, f. 87 r.

Alterius seriei classis innuitur ab iis scriptoribus qui S. Franciscum cum duodecim sociis Romam se contulisse referunt atque saepe illos cum duodecim Christi apostolis comparant. Inter hos numerandi sunt Anonymus Perusinus, ed. Van Ortroy, *Misc. Franc.* IX, 43: *Cumque placuisset eis quod dixerat* (Franciscus), *assumpsit secum duodecim fratres et iverunt Romam;* Bernardus de Bessa, *Anal. Franc.* III, 668: *Denique primos XII Francisci discipulos, quibus et Regulam scripsit et eadem pene mandata, quae Christus apostolis suis dedit, omnes sanctos fuisse audivimus...*; Barth. Pisanus, *Anal. Franc.*, IV, 176:... *sicut ipse* (Christus) *habuit 12 apostolos, sic Franciscus 12 socios* habuit. Ut duodecimus socius mox Illuminatus, mox Silvester, mox Philippus laicus, mox Elias indicatur in catalogis huius secundae seriei, quae discrepantia ipsa iam monstrat eorum minorem auctoritatem atque maiorem incertitudinem.

Catalogi huius secundae classis habentur: ille nostri Clareni in textu, (additur Illuminatus); *La Leggenda antica,* ed. Minocchi, Firenze 1905, c. 4, p. 14, (Filippo laico); Barth. Pis. *Anal. Franc.* IV, 177 (Silvester). Codex 1/73 S. Isidori, saec. XV, f. 111 v. (cf. etiam Lemmens, *Doc. ant. franc.* III, 65) (Elias); *Opusc. de critique,* I, 277 (Illuminatus); Komorowo, *Mon. Pol. Hist.*, V, Lemberg 1888, 67, (Silvester).

In his non attendimus ad lectiones variantes, seu etiam erroneas, scribentium, uti *B(enedictus)* pro *B(ernardus), Balbatinus* pro *Sabbatinus.*

Ex dictis autem clare apparet ea quae hoc de argumento scripsit Fierens, *La Question Franciscaine,* 54-58, magna ex parte egere correctione.

Pro notitiis historicis de singulis sociis remitto ad citatam litteraturam.

Igitur cum hiis XII primis fratribus ex parte Christi regulam quam simpliciter conscripserat, secundum quod eum ipse Salvator docuerat, eidem sancto pontifici presentavit continentem consiliorum Christi, obedientie, paupertatis, castitatis, humilitatis, patientie et caritatis, atque evangelicarum prohibitionum, iuxta formam vite tradite a Domino (*a*) apostolis et discipulis ad predicandum missis, altissimas perfectiones. Qui sapientissimus pontifex, Deo ipsum per visionem ammonente, concessit sancto (*b*) Francisco et sotiis omnia que postulabant cum liberalitate multa, « et in futurum concedere plura promisit. Approbavit regulam et dedit eis de penitentia predicanda mandatum et fecit (*c*) eis (*d*) coronulas parvulas fieri, ut verbum Dei libere predicarent [1] ». Postea vero in generali concilio Rome per eum celebrato anno Domini M°CC°XV prelatis omnibus annuntiavit se vitam et evangelicam (*e*) regulam (*f*) sancto Francisco et eum (*g*) sequi volentibus concessisse [2]. De qua concessione et approbatione (*h*) a domino Innocentio III° facta nunc in privilegio regule, que cum prima est substantialiter una, dominus papa Honorius prefati pontificis successor (*i*) inmediatus, regulam iterum approbando et confirmando ad petitionem sancti Francisci, memoriam facit (*k*) dicens (*l*): *Honorius* [3] *episcopus* (*m*) *servus servorum Dei* (*n*) *dilecto filio* (*o*) *fratri Francisco et aliis fratribus de ordine Fratrum Minorum salutem et apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis et honeste* (*p*) *petentium desideriis favorem* (*q*) *benevolum impartire* (*r*). *Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris piis precibus inclinati*

(*a*) C *deo*. — (*b*) BC *b*. — (*c*) B om. in margine manu posteriore *precepit*. — (*d*) C om. — (*e*) D *regulam euangelicam*. — (*f*) B alia manu in margine. — (*g*) B supra lineam adiectum. — (*h*) B *probatione*. — (*i*) E *immediatus successor*. — (*k*) CE *fecit*. — (*l*) B om. et add. (rub.) *Capitulum 1* — (*m*) D *episcopus etc. usque patrocinio communimus*. — (*n*) C *dei etc.* et om. usque *Tertio decimo*. — (*o*) BE *dilectis filiis*. — (*p*) BE *honestis*. — (*q*) B al. man. in margine. — (*r*) BE *impartiri*.

[1] Verbotenus verba praedicta cum parva omissione habentur apud S. Bonaventuram, *Leg. Mai.* c. IV, 10, p. 31. Cf. 2 Cel. 1, 11, p. 182; *Leg.* trad. *trium Sociorum*, c. 12, p. 74-76.

[2] Hoc est antiquissimum de Regulae Frat. Min. approbatione in Concilio Lateranensi facta testimonium. Sola *Chronica XXIV Generalium, Anal. Franc.* III, 9, inter antiquos S. Franciscum a. 1215 Romae fuisse refert. De fonte huius notitiae cf. infra p. 16, nota 3.

[3] Bulla *Solet annuere*, ap. *Seraph. Legisl. textus orig.* Ad Claras Aquas 1897, p. 35.

ordinis vestri regulam a bone memorie Innocentio papa predecessore nostro approbatam, annotatam presentibus auctoritate vobis apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus etc. (*a*).

Tertio decimo (*b*) anno [1] conversionis sue (*c*) ad Christum, desiderio martyrij totus accensus ad predicandum fidem christianam Saracenis ultra mare transivit. [*f.* 2*r*] Ministri vero aliqui cum quibusdam fratribus, qui de sua scientia et prudentia non modicum confidebant, sancto Francisco in ultramarinis partibus existente, presumpserunt de regula aliqua subtrahere et consuetudines (*d*) introducere non paucas, dissonas et discordes a traditionibus fundatoris. Fratribus vero contradicentibus eis, et pro pura regule observatione çelantibus, amaras persecutiones et iniurias inferre ceperunt, et tanto securius quanto de sua sufficientia (*e*) confidentes simplicitatem et rectitudinem (*f*) eis resistentium (*g*) aspernabant (*h*). Neque sperabant sanctum Franciscum de cetero ad partes Ytalie reversurum, set putabant eum (*i*) per martyrij palmam, animi ipsius propositum et ignitum fervorem scientes, cito migraturum ad Christum. Set clementi Dei ordinatione mirabiliter (*k*) factum est, quod mortem, quam pro Christo et sue fidei testimonio totis viribus exquirebat, nullatenus inveniret, ut et merito non careret optati martyrij, et opem necessariam suo gregi cum (*l*) cumulo meritorum inpenderet et Christo conformis factus, perfecte transformationis (*m*) in ipsum posteris plenius viam ostenderet et hostium aperiret. Christus vero servo suo fideliter (*n*) pro gloria sui nominis labo-

(*a*) B add. (rub.) *expositio.* — (*b*) B add. *igitur;* D *autem.* — (*c*) C om. — (*d*) D add. *aliquas.* — (*e*) E *confidentes sufficientia.* — (*f*) B add. *in.* — (*g*) C *resistentibus.* — (*h*) B *aspernebant;* E *aspernabantur.* — (*i*) B al. man. supra lineam. — (*k*) E *factum est mirabiliter.* — (*l*) BE add. *multo.* — (*m*) B cor. ex *transmutationis.* — (*n*) E hic om. sed postea *fideliliter laboranti.*

[1] In hoc convenit Clarenus cum Iordano a Iano, *Chronica* c. 10, *Anal. Franc.* I, 4; ed. Boehmer, Paris 1908, 9; 1 Cel. 1, 20, p. 59; S. Bonav. *Leg. mai.* c. IX, 8, p. 101, qui omnes referunt S. Franciscum « anno decimo tertio suae conversionis » scl. 1219 hoc iter in Orientem aggressum esse. Clarenus idem refert in *Chronica sept. Trib.*, Tocco, *Le due prime Tribolazioni,* p. 31 ss; Döllinger, *Beiträge zur Sektengeschichte,* II, 437 ss. Cf. etiam *La Leggenda antica,* c. 13 *bis*, p. 34. Hoc de itinere cf. Hermann Fischer, *Der hl. Franziskus von Assisi während der Jahre 1219-1221.* Freiburg, Schweiz, 1907, p. 25 ss; Golubovich, *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa e dell' Oriente francescano,* I, Quaracchi 1906, 1 ss.; 91 ss.

ranti pericula sui gregis revelare dignatus est, et quod ad partes Ytalie celeriter redire studeret ammonuit, et iam a vivifica perfectionis regula declinantibus quam cicius subvenire ac ducatum prebere (*a*) mandavit.

Fr. Leo in hiis que de sancto Francisco scripsit, ita dicit [1]: « Verum licet ministri scirent quod secundum regulam fratres (*b*) tenerentur sanctum evangelium observare, tamen fecerunt removeri illud capitulum (*c*) ubi dicitur: *Nichil tuleritis in via* (*d*), credentes nichilominus se teneri ad observantiam (*e*) perfectionis sancti evangelij (*f*). Quapropter beatus Franciscus cognoscens hoc (*g*) per Spiritum Sanctum dixit: Putant fratres ministri Deum et me decipere ». Et ait (*h*) [2]: « Inmo, ut sciant et cognoscant omnes fratres se (*i*) teneri ad observantiam perfectionis sancti evangelij, volo quod in principio et in fine regule sit scriptum, quod fratres teneantur *evangelium Domini nostri Ihesu Christi* firmiter *observare*. Et ut fratres sint inexcusabiles coram Deo, que Dominus pro salute et utilitate anime mee et fratrum meorum (*k*) posuit in corde meo (*l*) ex quo ipsis annuntiavi et annuntio: volo eis operibus ostendere et Domino cooperante, in perpetuum observare. Unde ipse ad literam (*m*) sanctum evangelium observavit (*n*) a principio, ex quo fratres habere cepit, usque ad diem mortis eius (*o*) ». Et subdit [3]. « Nos vero, qui cum ipso fuimus, quando scripsit regulam et fere omnia alia (*p*)

(*a*) E *subveniret . . . preberet.* — (*b*) BCDE om. — (*c*) D add. *de regula.* — (*d*) C add. *neque virgam neque peram, neque panem neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis, Luce 9 cap. Item quando misi vos sine sacculo et pera et calciamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Luc. 22.* A eadem verba in margine inferiore manu valde posteriore. — (*e*) D *obseruationem.* — (*f*) E *nihilominus propter hoc non teneri ad obseruantiam sancti euangelii.* — (*g*) B *hec.* — (*h*) C om. *Et ait.* — (*i*) D *teneri se.* — (*k*) BC *minorum;* B tamen cor. *meorum.* — (*l*) E om. — (*m*) D om. *ad lit.* — (*n*) D *a principio obseruauit.* — (*o*) E *sue.* — (*p*) A in margine; B cor. ex *que.*

[1] *Intentio Regulae* c. 6. ed. Lemmens, *Doc. ant. franc.* I, 88; Ubertinus a Casali, *Arbor Vitae,* V, 3, fol. D II v a; *Spec. perf.* c. 3, ed. Sabatier, Paris 1898, p. 8-9. Cf. etiam *Chronicam septem Trib.* Trib. 1. Tocco, *Le due prime tribolazioni,* p. 41; Döllinger, *Beiträge zur Sektengeschichte,* II, 445: *Et fecerunt de regula prima ministri removeri capitulum illud de prohibicionibus sancti evangelii, sicut frater Leo scribit.* Idem ap. *Leg. ant.* c. 16, p. 40.

[2] L. c.

[3] *Intentio Regulae,* 16, *Doc. ant. franc.* I, 98-99; Ubertinus a Casali, *Arbor Vitae,* V, 3, fol. D III r b; *Spec. perf.* c. 11, p. 28-29; 1 Trib., ed. Tocco, 54; Döllinger, Sektengeschichte, II, 454.

sua scripta, testimonium perhibemus, quod plura scripsit in regula [*f.* 2 *v*] et in aliis suis scriptis, de quibus fratres quidam fuerunt sibi contrarij in vita sua, que nunc post mortem eius essent utilia toti religioni ».

Igitur sanctus Franciscus post suum reditum de partibus ultramarinis, Christi revelatione (*a*) premonitus [1] et fratrum quorumdam presumptionibus motus, qui secundum prudentiam sui sensus alios regere volebant, parvipendentes vivere secundum illam vite formam, quam sibi revelaverat Christus, hanc secundam regulam, Deo inspirante, conscripsit. Quam discordantes a patre illi inobedientes, de quibus dictum est, filij, ab eo, qui ipsam conservabat, fratre fecerunt furtive, set ut honestius dicatur, latenter subtrahi, ne ipsam summo pontifici presentaret. At vir sanctus, roborante et illuminante eum spiritu (*b*) Christi, iterato (*c*) ad illum eundem (*d*) Fontis Columbe locum rediit, eamque instar prioris, Christo docente, sub XLª dierum numero ieiunans et orans cum (*e*) miraculo Christi testimonij ter dicentis et protestantis debere regulam ad literam observari, audientibus emulis, mirabilius reparavit, ipsamque summo pontifici (*f*) Honorio (*g*), qui a principio gubernator et protector ipsius (*h*) Francisci et fraternitatis eius extiterat, [2] presentavit, et sicut optaverat, ipsius confirmationem anno VIII° ipsius (*i*) pontificatus optinuit. Qui in (*k*) privilegio confirmationis regule, quam sancto Francisco et aliis (*l*) fratribus suis (*m*) fecit (*n*), asseruit (*o*) quod regula Fratrum Minorum a sancto Francisco edita, primo *a bone memorie papa Innocentio* (*p*) suo *predecessore* fuerat *approbata*. Et quod eiusdem regule approbatio et confirmatio fuit a beato Francisco et sotiis (*q*) pio desiderio requisita, et quod sancta et pia ipsius (*r*) petitio, nunc ab eo sicut a suo predecessore (*s*)

(*a*) E *reuelationibus.* — (*b*) A *spiritus.* — (*c*) B *iterum* cor. ex *intantum.* — (*d*) E *ad illum locum.* — (*e*) D *et in.* — (*f*) D add. *domino.* — (*g*) D add. *pape.* — (*h*) C add. *s.* — (*i*) D *pontificatus ipsius.* — (*k*) B om. — (*l*) E *eius.* — (*m*) E om. — (*n*) D *facit.* — (*o*) D *asserit.* — (*p*) C add. *III;* D *Innocentio papa predecessore suo;* E om. *papa.* — (*q*) E add. *eius.* — (*r*) E *eius.* — (*s*) E *predecessore suo.*

[1] Quae sequuntur largius narrat Clarenus in 1. Trib. ed. Tocco, 55, ed. Döllinger, 455. Cf. *Verba S. Francisci,* ed. Lemmens, *Doc. ant. franc.* I, 101-02; *Spec. perf.* c. 1-4; Ub. a Cas., *Arbor Vitae,* V, 5, fol. E II v a-b; S. Bonav. *Leg. mai.* c. IV, 11, p. 42-44; *Leg. ant.* c. 25, ed. Minocchi, p. 52-55.

[2] Haec notitia non est attendenda, cum quadam confusione auctoris videatur reponi.

tanquam apostolica et evangelica merito sue altissime perfectionis autenticata et approbata erat et confirmata, papalis *scripti* fecerat *patrocinio communiri.*

Spiritus enim Sanctus qui est amor Patris et Filij insolubili (*a*) caritatis vinculo, quos replet, ligat et unit (*b*) Deo et ecclesie et invicem, et cum proximis diligentibus et persequentibus. Et quia lex evangelica est lex gratie, veritatis et caritatis; ideo regule evangelice profexor et innovator repletur (*c*) fructibus spiritus, et insignitus apparet effectibus et affectibus caritatis, ut inmobiliter et profunde se et suos in caritatis (*d*) regula fundet, et (*e*) a Christo doctus ecclesie Romane et Christianorum patri, summo pontifici, perfecto voto et summa obedientia liget, *ut bene sit* eis, et sint *longevi in terra* [1] viventium sanctorum ecclesie, et multiplicati in senecta uberi, bene patientes evangelicent *quia rectum est verbum Domini et omnia opera eius in fide* [2]. Intellexit (*f*) enim [*f.* 3*r*] per Christi spiritum quod indivisibiliter uniri ecclesie, et usque ad mortem obedire Christi vicario et prelatis, erat via vite et salutis eterne. Et quod non subesse Christi vicario erat extra ecclesiam esse, et extra (*g*) vivificantem (*h*) fidei catholice (*i*) unitatem [3]. Unde ut sapiens architectus (*k*) supra firmam ecclesie petram suam fundavit religionem, que Christi caritatis, obedientie, paupertatis, castitatis, humilitatis et pacis perfectiones (*l*) altissimas promictebat. Est enim evangelice vite (*m*) pura et plena observantia, caritatis, veritatis (*n*) perfecta operatio, et pacis (*o*) et sapientie Christi plena possessio. Cum igitur profexores (*p*) regule caritatis et per-

(*a*) B *insolubilis.* — (*b*) E *uincit et.* — (*c*) B *repletus.* — (*d*) E *regula charitatis.* — (*e*) B *ut* cor. ex *et.* — (*f*) C *intellexi.* — (*g*) B om. — (*h*) E *uiuificationem.* — (*i*) B om. — (*k*) C *architector.* — (*l*) E *altissimas perfectiones.* — (*m*) BCE add. *Christi.* — (*n*) E om. *ueritatis,* add. *pura et.* — (*o*) E om. *et pacis.* — (*p*) C *perfectiones.*

[1] Ephes. VI, 3; Exod. XX, 12.

[2] Ps. 32, 4.

[3] Pulchrum testimonium orthodoxiae Angeli Clareni, eo magis attendendum, quod hic non apologiae causa, sed ad socios intimos, scriptum est. Similia verba inveniuntur in eius *Epistola excusatoria,* Annibali de Latera, *Suppl. ad Bull. Franc.,* Animadv. p. 163; Ehrle, ALKG, I, 532: .... *quod nunquam retro a Christi vivifico amore et ipsius cultu sanctificante conversus sim, et in fide sancte romane ecclesie nunquam hesitaverim, et ipsius sanctam obedientiam non spreverim, sed quesiverim et adoraverim, et paratus semper fuerim pro confessione sue sancte fidei et obedientie mori....*

fectionis Christi evangelij ex caritate veritatis puram ipsius (*a*) observantiam (*b*) habere obmiserint, et in se et in aliis fuerint persecuti, tunc, teste Apostolo, et ipsius regule servatore (*c*) et innovatore Francisco, *mictet* (*d*) *illis Deus operationem* (*e*) *erroris, ut credant mendacio, et iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, set consenserunt iniquitati* [1] prevaricationis et negationis regule caritatis evangelij Ihesu Christi, quando in trium (*f*) bene brevi (*g*) signato numero caritatis reliquie in humilitatis habitu sic tamen quasi (*h*) per ignem misericorditer salve fient.

(*a*) C om. — (*b*) E *habere obseruantiam.* — (*c*) D *obseruatore Francisco.* — (*d*) D add. *in.* — (*e*) E *operatorem.* — (*f*) C *initium.* — (*g*) B om. — (*h*) D *per ignem quasi.*

[1] 2 Thes. II, 11-12.

[Primum Capitulum] (*a*).

Regula [1] *et vita Fratrum Minorum* (*b*) *hec est scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate. Fr. Franciscus promictit obedientiam et reverentiam domino pape Honorio et* (*c*) *successoribus eius canonice intrantibus et ecclesie Romane. Et alij fratres teneantur fratri Francisco et eius successoribus obedire.*

Prima vero regula [2] sic dicebat: *Hec est vita evangelij Ihesu Christi quam fr. Franciscus petiit a domino papa* (*d*) *Innocentio concedi sibi et confirmari, et dominus papa concessit et confirmavit sibi et suis fratribus habitis et futuris. Fr. Franciscus et quicunque erit caput istius religionis, promictat obedientiam et reverentiam domino pape Innocentio et successoribus eius et omnes alii fratres teneantur obedire fratri Francisco et eius successoribus* (*e*).

Ad intelligendum sane et catholice regulam secundum puram et simplicem intentionem a Christo Ihesu inspiratam sancto Francisco (*f*), multum valet sui principij veraciter nosse (*g*) ystoriam, et (*h*) circumstantiam (*i*) rerum gestarum scire. Nam sanctus Franciscus post illam divinam et mirabilem apparitionem, [3] quam orans

(*a*) A manu posteriore. B om. D (rub.) *Incipit regula et vita fratrum minorum. cap. p*^m^. — (*b*) D *minorum fratrum etc. usque eis successoribus obedire.* — (*c*) E *ac.* — (*d*) E *Innocentio papa.* — (*e*) B *successoribus eius.* — (*f*) E *sancto Francisco inspiratam.* — (*g*) D *ystoriam nosse.* — (*h*) B om. *et - scire.* — (*i*) CD *circumstantias.*

[1] Regula 2, cap. 1, *Opuscula S. P. Francisci*, Ad Claras Aquas 1904, p. 63.

[2] Regula 1, introductio, *Opusc.* p. 24.

[3] Videtur sermo esse de apparitione Crucifixi in ecclesia S. Damiani initio conversionis S. Francisci, quam visionem Clarenus hic ampliat et exornat, sicut fecit in *Chron. sept. Trib.* ed. Tocco, 7-8; 11; ed. Döllinger, 417; 420. Ad rem cf. 2 Cel. 1, 6, p. 176; eiusdem *Liber miracul.* c. 2, p. 343; S. Bonav., *Leg. mai.* c. II, 1, p. 14; Tres soc. c. 5, p. 26-28.

habuit totus absorptus (*a*) in Deum, et Christum Iesum vidit (*b*) veluti cruci confixum dicentem sibi illud sacri evangelij verbum: *Si*[1] *vis venire post me, abnega temetipsum et tollas* (*c*) *crucem tuam et sequaris me;* ita fuit totus caritate succensus (*d*) et intime transformatus in ipsum, ut Christo confixus cruci vulneratus incederet et nichil aliud quam Christum perfecte sequi (*e*) ardenter (*f*) sitiret. Indutus igitur (*g*) ex inhabitatione Christi spiritu (*h*) evangelice [*f.* 3 *v*] paupertatis, humilitatis sensu, pietatis affectu, caritate veritatis, Christum in corde et ore ferens, cum illo fratrum suorum simplicium (*i*) duodenario numero, de sola confidens directione divina, accessit[2] ad dominum Innocentium tertium, tunc summum pontificem. Introductus igitur ante conspectum summi pontificis propositum sibi divinitus inspiratum vivendi secundum perfectionem regule et vite evangelice, quam Christus cum suis discipulis tenuerat et docuerat, humiliter et devote exposuit, et instanter et efficaciter obsecrans, conscriptam verbis simplicibus vitam et regulam eidem (*k*) offerens, sibi et suis fratribus approbatam concedi suppliciter postulavit.

Qui summus pontifex, discretione et « sapientia[3] clarus, videns in viro Dei admirandam virtutem, simplicis animi puritatem, propositi constantiam, et ignitum sancte (*l*) voluntatis fervorem, inclinatus est animo, ut pium supplicanti preberet auditum. Distulit tamen perficere quod Christi nuntius postulabat, pro eo quod (*m*) sua petitio aliquibus cardinalibus nimis ardua et quasi inpossibilis videbatur. Tunc dominus Iohannes de sancto Paulo episcopus Sabinensis (*n*), omnis sanctitatis amator, et pius Christi pauperum substentator, divino spiritu inflammatus summo pontifici et dominis cardinalibus suis fratribus dixit: Summo studio et pervigili consideratione attendendum est nobis (*o*), ne, dum huius pauperis petitionem tanquam arduam et inpossibilem et velud novam

(*a*) E om. — (*b*) E add. *eum.* — (*c*) D *tolle.* — (*d*) E *ita charitate fuit succensus.* — (*e*) D add. *arderet et.* — (*f*) C om. — (*g*) E *ergo.* — (*h*) D *spiritum.* — (*i*) E *duodenario simplicium.* — (*k*) E *ecclesie.* — (*l*) D *uoluntatis sue.* — (*m*) E *eius.* — (*n*) B *abinensis.* — (*o*) CE om. B manu posteriore.

[1] Cf. Matth. XVI, 24; Luc. IX, 23; Marc. VIII, 34.

[2] Quae sequuntur paucis mutatis narrantur in *Chronica sept. Trib.* ed. Tocco 21; ed. Döllinger, 429, et exinde in *Leg. antica* c. 4; ed. Minocchi, p. 14-15.

[3] Quae sequuntur signis « » inclusa fere verbotenus ex S. Bonav. *Leg. mai.* c. III, 9-10, p. 29-31 desumpta sunt.

refellimus, in Christi evangelium offendamus, cum ipse nichil a nobis (*a*) aliud (*b*) postulet quam evangelij Christi sibi vitam ac regulam concedi et confirmari. Nam quicunque in evangelij Christi voto et observantia perfectionis eius dicat (*c*) aliquid novum aut inrationabile (*d*) vel inpossibile ad servandum contineri, contra Christum evangelij auctorem blasphemare convincitur.

Quibus propositis, summus pontifex dixit sancto Francisco: Ora, fili, ad Christum, ut suam nobis voluntatem super tua postulatione (*e*) ostendat, ut, cognita ipsius voluntate, tuis piis desiderijs (*f*) annuamus. Qui iuxta Christi vicarii mandatum se totum ad orandum (*g*) convertens, precibus devotis obtinuit et quid exterius ipse proferret, et quid interius super hiis que petebat (*h*) papa sentiret. Nam rediens coram summo pontifice et fratrum suorum collegio parabolam de rege divite proposuit, qui cum muliere formosa et paupere in deserto habitare (*i*) contraxerat et prolem de rege genuerat, regis ymaginem et similitudinem preferentem. Qui rex inde iterum transiens et suam in prole (*k*) ymaginem (*l*) recognoscens de mensa propria matrem cum sua (*m*) sobole educari (*n*) precepit. Quam parabolam [*f. 4 r*] sicut a Deo acceperat proponens et referens, ex illius interpretatione subiunxit: Non est formidandum quod fame pereant eterni regis filij et heredes, qui ad ymaginem regis Christi per Spiritus Sancti virtutem de paupere matre nati, et ipsi per spiritum paupertatis sunt (*o*) in religione paupere generandi. Si enim rex glorie Christus suis ymitatoribus promictit et donat regnum celorum, quanto magis illa subministrabit que communiter largitur bonis et malis? Igitur propositam parabolam (*p*) sapientissimus antistes diligentius (*q*) considerans, et Christum in suo (*r*) servo locutum indubitanter intelligens, et visionem quam tunc e celo perceperat in Christi famulo fore (*s*) complendam, suggerente spiritu divino (*t*), confirmans, petitioni eius se per omnia inclinavit et benigne postulata concessit, et cum multa liberalitate in posterum quecunque ei Deus (*u*) suggereret ad postulandum pro se et suis fratribus utilia concessurum promisit ».

(*a*) E om. *a nobis*. — (*b*) D *postulet aliud*. — (*c*) E *dicit esse*. — (*d*) E *irrationale*. — (*e*) B *tuam postulationem*. — (*f*) BC *precibus*. — (*g*) E *orationem*. — (*h*) E om. *que petebat*. — (*i*) E *habitante*. — (*k*) E *suam prolem et imaginem*. — (*l*) B *et similitudinem - imaginem* alia manu in margine. — (*m*) B om. — (*n*) D *educare*. — (*o*) E om. — (*p*) B *proposita parabola*. — (*q*) DE *diligenter*. — (*r*) E *seruo suo*. — (*s*) BC *esse*. — (*t*) B *diuinus*. — (*u*) BCDE *dominus*.

Ex hiis patenter colligitur quod summus pontifex, qui fuit vir sapientissimus, clarissime intellexit quod sanctus Franciscus evangelij Christi perfectionem et vitam, secundum quod Christi evangelium sub voto cadit, [1] pro regula postulavit et compilatam (*a*) in brevibus verbis iuxta petentis intentionem et votum concessit et confirmavit. Et nunc Christi spiritus in principio regule per Honorium confirmate, diffinitive pronunctiat (*b*) et determinat dicens: *Regula* [2] *et vita Fratrum* (*c*) *Minorum hec est: scilicet Domini nostri Ihesu Christi sanctum evangelium observare.*

Regula, id est evangelicus canon, sanctificans decretum, et lex gratie et iustitie Christi humilitatis et forma vivendi secundum exemplar Christi Ihesu paupertatis et crucis. *Regula,* quia recte ducit, et modum recte vivendi sine omni errore docet. Quod enim nostri (*d*) grammatici declinare in partibus declinabilibus (*e*) orationis (*f*) dicunt, hoc Greci [3] regulare et canonice (*g*) nuncupant. *Vita* vero apud Grecos dicitur çoi [4], et pro vita vegetativa et et animali ponitur. Vios (*h*) [5] vero apud eos (*i*) pro virtuosa sanctorum conversatione tantum scribitur. Ita et nunc in regula et in omnibus sanctorum ystoriis (*k*) hoc nomen vita pro sancta conversatione et perfecta virtutum operatione accipit (*l*). Dicit autem *Regula et vita Fratrum* (*m*) *Minorum* (*n*), id est habitu, voto, opere, verbo et affectu humilium. Et in Christo et propter Christum inseparabili et humili fraterne caritatis unione (*o*) invicem coniunctorum desiderantium et aspirantium votis omnibus Christo capiti et afflictorum principi configurari [6], uniri et conformari.

(*a*) D *compilata.* — (*b*) E om. — (*c*) D *minorum fratrum etc.* om. *hec - obseruare.* — (*d*) BCE *magistri.* — (*e*) C om. — (*f*) E add. *latine.* — (*g*) E *canonizare.* — (*h*) E *Bios.* — (*i*) E *eosdem.* — (*k*) B *storiis.* — (*l*) BCD *accipitur.* — (*m*) D *minorum fratrum.* — (*n*) D add. *etc.* — (*o*) D *unitate.*

---

[1] Haec est erronea doctrina Spiritualium, totum scil. Evangelium, vel quod eis idem est, Regulam, sub voto cadere, ex professione ipsius Regulae, quod iam Greg. IX, *Quo elongati,* clarius Innocentius IV, *Ordinem vestrum,* Nicolaus III, *Exiit,* et Clemens V, *Exivi,* reprobaverunt.

[2] *Opusc. S. F.* p. 63.

[3] Ex hoc et aliis multis locis elucet Clarenum in lingua graeca bene versatum esse.

[4] Scil. ζωή.

[5] Scil. βίος.

[6] Cf. Philipp. III, 21.

Hinc Christi spiritu repletus sanctus Franciscus, sicut fr. Leo [1] testatur (*a*), dixit: « Religio et vita Fratrum Minorum est quidam pusillus [*f.* 4 *v*] grex, quem Filius Dei in novissima hora postulavit dicens: Pater, vellem quod faceres et dares michi quemdam novum et humilem populum in hac novissima hora, qui esset dissimilis in humilitate et (*b*) paupertate ab omnibus aliis qui precesserunt, et esset contentus (*c*) habere me solum. Et ait Pater dilecto Filio suo: Fili (*d*), factum est quod postulasti. Unde dicebat sanctus (*e*) Franciscus, quod ideo voluit Deus ut Fratres Minores vocarentur, quia iste est populus quem Filius Dei suo Patri postulavit. Ut ipsemet Filius Dei dicit (*f*) de illis in evangelio: *Quod uni ex hiis* (*g*) *minoribus fecistis, michi fecistis* [2]. Quoniam licet de omnibus pauperibus spiritualibus hoc intelligatur Dominum (*h*) dixisse, precipue tamen predixit religionem Fratrum Minorum esse venturam in ecclesia sua. Unde sicut hoc revelatum fuit beato Francisco, ut deberet vocari religio Fratrum Minorum, ita scribi fecit in prima regula, cum portavit eam domino pape Innocentio, et ipse approbavit (*i*) et sibi concessit, et postea in concilio [3] omnibus annuntiavit ». Hec fr. Leo.

(*a*) B *testatur fr. Leo.* — (*b*) D add. *in.* — (*c*) E *contenti.* — (*d*) D add. *mi.* — (*e*) BC *b.* — (*f*) B *suo patri - dicit* in margine alia manu. — (*g*) CE add. *meis.* B *hiis minoribus meis.* — (*h*) E *eum.* — (*i*) E add. *eam.*

---

[1] *Intentio Regulae,* 2-3, Lemmens, *Doc. ant. franc.*, I, 84-85. Ex eodem opusculo eumdem textum hausit Ub. a Casali, *Arbor Vitae*, V, 3, fol. D. II r b.: *Postea dicit sanctus frater Leo, quod beatus Franciscus dixit, sicut per revelationem acceperat, quod religio fratrum Minorum est quidam pusillus grex* etc. Idem textus constituit priorem partem cap. 26 *Speculi perfect.* ed. Sabatier, p. 51-52. Sensus invenitur etiam ap. 2 Cel. 2, 41, p. 225.

[2] Matth. XXV, 40. cf. ib. 45.

[3] Clarenus hic intendit Concilium Lateranense IV, anni 1215, cf. supra p. 6. In *Spec. perf.* c. 26, p. 52 et in *Speculo Vitae* c. 25, Venetiis 1504, f. 20 v loco *in concilio,* habetur *in consistorio,* cum quo convenit *Leg. 3 soc.* trad. c. 12, p. 76: *Et idem postea in consistorio approbant.* Lectio Clareni convenit cum textu fontis, scil. *Intentionis Regulae.* Hoc igitur scriptum fr. Leonis est fons notitiae approbationis Regulae 1. in Concilio, quam Clarenus (?) supplet (supra p. 6): « Postea vero in *generali* concilio *Rome per eum celebrato anno domini M° CC° XV prelatis* omnibus annuntiavit ». Cum *Intentio Regulae* certo certius saec. XIII sit conscripta, notitia est omnino attendenda; sola difficultas est *lectio varians Spec. perf.* et *Leg. 3. Soc.*, quae sensum omnino mutat. Clarenus eamdem notitiam infra c. 4 iterum refert et demum etiam in quadam epistola ap. Ehrle, ALKG, I, 559: *Ad hanc* (paupertatem) *perfecte ser-*

Christus vero se ipsum in regno celorum minorem (*a*) dicit, et apostolos suos (*b*) *pusillum gregem* vocat, et parvulos, quibus *Patri complacuit regnum dare*[1]. Unde sanctus Franciscus dicebat[2] quod ideo voluit Deus quod vocarentur Fratres Minores, quia omnibus se debent (*c*) per humilitatem cordis, oris, operis et habitus exterioris inferiores et magis humiles et pauperes exhibere et nunquam maiores in ecclesia fieri (*d*) presumere, set semper maioris humilitatis profunditatem querere et sitire.

Sunt igitur qui sunt minores per humilitatem et paupertatem, quam Christus inhabitans in cordibus discipulorum suorum infundit et docet, quibus convenit illud Augustini (*e*) *De verbis Domini* (*f*)[3]: « Minimi enim ut (*g*) sunt qui omnia sua dimiserunt et secuti sunt Christum et quicquid habuerunt pauperibus distribuerunt, ut sine seculari compede Domino expediti servirent, et ab omnibus que sunt mundi liberatos (*h*) velud pennates (*i*) sursum haberent humeros ». Et Ambrosius[4] *ad* (*k*) *Corinthios I*ª (*l*): « Quidam fratres (*m*) cum sint egestate et habitu inhonesti, non tamen sunt sine gratia, propter (*n*) quod sunt membra corporis Christi. Nam solent succincti nudo pede diverticulo recte (*o*) incedere. Cum enim videantur contemptibiles,

(*a*) D add. *se*. — (*b*) B om. *suos*. — (*c*) B *deberent*. — (*d*) C om. B alia manu in margine. — (*e*) A *Agustini*. — (*f*) B *dei*. — (*g*) BDE om. — (*h*) BC *liberati*. — (*i*) BDE *pennatos*, B cor. ex *pennates*. — (*k*) D *super 2. ad corinthios*. — (*l*) C om. A et caeteri codices falso *II*ª. — (*m*) D *fratrum*. — (*n*) E *propterea*. — (*o*) D *recto*.

vandam Christus Franciscum vocavit et elegit in hac hora novissima et precepit ei evangelicam assumere regulam, et a papa Innocentio fuit omnibus annuntiatum in concilio generali, quod de sua auctoritate et obedientia sanctus Franciscus evangelicam vitam et regulam assumpserat et Christo inspirante servare promiserat, sicut sanctus vir fr. Leo scribit, et fr. Iohannes de Celano. — Fontes hic indicati sunt *Intentio Reg.* l. c., et 2 Cel. 1, 11, p. 182, ubi tamen nonnisi vagum habetur indicium: « Proinde postulata concessit (Innoc. III), *et hiis plura adhuc devotus concedere promisit* ».

[1] Luc. XII, 32.

[2] Cf. Regula 1, c. 6 et 7, *Opusc.* p. 32-33; 1 Cel. 1, 15, p. 40; 2 Cel. 2, 116, p. 287. S. Bonav. *Exp. Reg.* c. 1, n. 2, *Opp. om.* VIII, 393. *Chronica sept. Trib.* ed. Tocco, p. 12; ed. Döllinger, p. 421; *Leggenda antica*, ed. Minocchi, c. 1, p. 5; cf. c. 8, p. 19.

[3] S. Aug. *Sermones*, classis I, serm. 113, n. 1, Migne, P. L. 38, 648.

[4] Idest Ambrosiaster in Commentario ad I Cor., XII, 23, S. Ambrosio olim attributo, Migne, P. L. 17, 248.

magis (*a*) honoris sunt, quia solent vitam (*b*) habere mundiorem. Quod enim videtur hominibus despectum solet a Deo (*c*) placitum (*d*) iudicari ». Et sanctus Basilius [1] *ad* (*e*) *Gregorium Naçacenum* (*f*): « Inpossibile, inquid, est intellectum hominis ab infinitis secundum mundum curis occupatum et distractum, manifeste et efficaciter intueri veritatem, set separari ab omni mundo oportet, non quod extra mundum corporaliter fias (*g*) [*f.* 5 *r*] set quod anima compassionem ad corpus disrumpat, et fiat sine civitate, sine domo, sine proprio, sine amicorum ammicitia, sine possessione, sine substantia, sine rebus et negotiis, inalterabilis, indocibilis (*h*) et (*i*) indisciplinabilis terrenis et humanis documentis, paratus corde suscipere ex divina scriptura sanctas informationes. Preparatio vero cordis est oblicteratio earum doctrinarum, que ex maligna consuetudine eam predetinuerant ». Et (*k*) Gregorius Naçacenus [2] de quibusdam religiosis sui temporis dicit: « Desiderabam videre sanctum illum psallentem chorum, qui ad exemplum et commonitionem maioris vite ceteris omnibus vivunt legis Dei et evangelij Christi taciti predicatores. In quibus ipse habitus prefert virtutis (*l*) insignia, yrsutum (*m*) caput, incultis et horrentibus comis, pedes nudi et apostolicis similes, et indumenti vilitas arrogantiam seculi superbiamque condempnans ».

A principio igitur fuerunt in ecclesia viri religiosi perfectionis evangelice profexores et servatores, qui teste (*n*) Dyonisio [3] et Phylone [4] Hebreorum (*o*) dissertissimo viro, et Eusebio [5] et Gregorio

(*a*) E *magni.* — (*b*) D *habere uitam.* — (*c*) D *apud deum.* — (*d*) BDE *pulchrum.* — (*e*) E add. *s.* — (*f*) C *Naziancenum,* B *nacancenum* cor. ex *naçaçenum.* — (*g*) BE *fiat.* — (*h*) D *indocilis.* — (*i*) C om. — (*k*) D om. *Et Gregorius - condempnans.* — (*l*) BC *uirtutum.* — (*m*) E *hirsutum.* — (*n*) C *testibus.* — (*o*) C om. *hebreorum - viro.*

[1] S. Basilii *Epistolae,* classis I, ep. 2, ad Greg. Naz., Migne, P. G. 32, 223-226. Clarenus quaedam omittit.

[2] *De pace ob monachorum reconciliationem,* Oratio 6, n. 2, Migne, P. G. 35, 723. Cf. S. Bonav. *Exp. Reg.* c. 2, n. 17, *Opp. om.* VIII, 403, ubi idem locus eadem forma *Desiderabam* etc. sed parum brevius et inde (adhuc brevius) apud Ioh. Pecham, *Canticum pauperis,* Ad Claras Aquas 1905, p. 166 habetur.

[3] Pseudo-Dionysius Areopogita, *De eccl. Hierarchia,* VI, 3, 3, Migne, P. G. 3, 531.

[4] *De vita contemplativa,* quod opusculum E. Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes,* III[4], Leipzig 1909, 687-91, cum aliis Philoni abiudicat, dum alii, uti Conybeare, *Philo about the contemplative Life,* Oxford 1895, ei cum antiquis vindicant.

[5] *Hist. eccl.* II, 16-18, Migne, P. G. 20, 173 ss.

Naçaçeno[1] et (*a*) Ieronimo[2] et Basilio suplices seu oratores aut famuli Domini (*b*) vel monachi aut sancti vel fratres dicebantur, quorum vita semper refloruit in ecclesia (*c*) et per sanctum Franciscum novissime innovata nuncusque promictitur, set a paucis servatur. Semper (*d*) in tritura superhabundant palee granis. Et *multi sunt vocati, pauci vero electi*[3]. Supplices et oratores dicebantur propter divinum cultum et angelicam contemplationem (*e*) et vitam et incessabilem orationem et divinos ymnos et laudes et continuam gratiarum actionem. Famuli Domini propter evangelicam paupertatem et perfectionem et profundam humilitatem et ma[n]suetudinem, quam profitebantur et verbis et moribus ostendebant. Monachi et sancti propter virginitatis (*f*) et caste vite munditiam, quam servabant et habebant in corde (*g*), corpore et lingua. Qui, cunctis que habebant pauperibus erogatis, crucem penitentie et mortificationis vitiorum et carnis portantes, extra urbes et castra angelicam ducebant vitam potius quam humanam. De quorum nomine dicit (*h*) Augustinus[4]. « Monas (*i*), inquid, unus solus est. Qui ergo sic vivunt (*k*) ut unum hominem (*l*) faciant, ut sint vere sicut scriptum est, *cor unum et anima una*[5]: recte dicuntur monas (*m*) idest unus ». Et secundum hanc interpretationem Fratribus Minoribus optime nomen convenit monachi.

Sanctus Basilius suam religionem fraternitatem vocat[6], perfectionem Christi evangelii promictentem et (*n*) servantem. Unde volentibus illam [*f.* 5 *v*] vitam (*o*) assumere, mandabant (*p*) secundum evangelium omnia sua pauperibus erogare[7]. Et post professionem nichil a mundanis per modum oblationis aut legationis et testamenti

(*a*) C om. — (*b*) BC *dei famuli*, E *famuli Dei*. — (*c*) E add. *dei*. — (*d*) D om. *Semper - esse denuntiat*. — (*e*) E *conversationem*, in margine *aliter contemplationem*. — (*f*) E *virginitatem*. — (*g*) BE add. *et*. — (*h*) C add. *s*. — (*i*) E *monos*, om. *inquit*. — (*k*) B *uiuit*. — (*l*) BE *hominem unum*. — (*m*) E *monos*. — (*n*) B om. — (*o*) E *uitam illam*. — (*p*) BE *mandabat*.

[1] Ubi S. Greg. Naz. et S. Basilius expressis verbis de Therapeutis locuti sint, non inveni; forsitan adducuntur quia generatim de monachis scripserunt.

[2] *De viris illustr.* c. 11, Migne, P. L. 23, 625.

[3] Matth. XX, 16.

[4] *Enarratio in Ps. 132*, n. 6, Migne, P. L. 37, 1733.

[5] Act. IV, 32.

[6] *Constitutiones monasticae*, c. 21, Migne, P. G. 31, 1394; cf. etiam S. Basilii *Epist.*, classis II, ep. 223, Migne, P. G. 32, 829.

[7] Cf. Respons. 8, *Reg. fusius tractatae*, Migne, P. G. 31, 934 ss.

recipiebant. Set de labore manuum viventes [1], una tantum tunica et pallio operiebant corpora (*a*), aque potu et vilibus cibis naturam substentantes, orationi (*b*), meditationi et divinarum scripturarum lectioni vacabant (*c*). Et (*d*) hanc diffinit esse perfectionis evangelice vitam [2].

Sanctus Ieronimus in regula sua, quam sue vite Greci in sanctorum completis ystorijs (*e*) iungunt [3], perfectionem evangelicam se cum suis fratribus tenere et servare dicit. Et possessiones et pecuniam se non habere nec velle asserit. Nec permictebat quod in cellis manentes quicquam coctum facerent [4]. Set sacco, idest rudi panno et vili, vestiri (*f*) et (*g*) pane et aqua et herbis crudis aut fructibus corpus in vesperis debere (*h*) reficere, et tali dieta statuit monachos divino cultui deditos debere esse contentos. Et talem vitam monasticam evangelicam esse denuntiat.

Quantum vero (*i*) differat a duabus regulis, que (*k*) primatum in ecclesia Romana tenent, sanctorum videlicet Augustini et Benedicti, et quam arduitatem pre illis in sua brevitate regula sancti Francisci contineat, omnis, qui eam iuxta mentem (*l*) et intentionem ipsius Sancti (*m*) et Christi loquentis in eo diligenter perspexerit, et pure ac (*n*) devote servaverit, certitudinaliter (*o*) cognoscet [5].

(*a*) B *corpus.* — (*b*) C add. *contemplationi,* BC add. *et.* — (*c*) B *uacabant lectioni.* — (*d*) C om. *Et hanc - uitam,* B alia manu in margine. — (*e*) B *storiis.* — (*f*) C *uestitu.* — (*g*) E om. — (*h*) B *aut - debere* in margine. — (*i*) D add. *beati F. regula.* — (*k*) C *qui.* — (*l*) C *iuxta ueritatem et interpretationem ipsius.* — (*m*) DE add. *Francisci.* — (*n*) C *et.* — (*o*) C repetit.

---

[1] Cf. *Constitutiones monasticae,* c. 4, Migne, P. G. 31, 1346 ss; Resp. 37, *Reg. fusius tractatae,* Migne, P. G. 31, 1010; *Sermo asceticus,* n. 3, Migne, P. G. 31, 875.

[2] Compendium vitae religiosae habetur in S. Basilii *Epistolis,* classis II, ep. 173, *ad Theodoram canonicam,* Migne, P. G. 32, 647.

[3] Quaenam sit haec collectio completa Vitarum Sanctorum apud Graecos tempore Angeli Clareni, non comperi. In collectione Simonis Metaphrastis, Migne, P. G. 114-116, Vita S. Hieronymi desideratur. — Regula Monachorum ex scriptis S. Hieronymi confecta ap. Migne, P. L. 30, 329 ss.

[4] Cf. Epist. 22, *ad Eustochium,* c. 35, Migne, P. L. 22, 420; *Regula Monach.* c. 2, Migne, P. L. 30, 335.

[5] Quindecim quae sequuntur puncta desumpta sunt ex Regula 1 et 2, Testamento et Expositionibus sive papalibus sive privatis, ita tamen ut in quibusdam argumentis Auctor aut exaggeret aut non sat distinguat. Utrum vero Clarenus has 15 notas aliunde iam compositas transcripserit, vel e proprio penu hauserit, determinare nequivi; ultima tamen opinio mihi magis arridet.

Et primo, differt a canonicorum et monachorum regula diffinitione et voto, quia illa *regula et vita, finito anno,* promicti precipitur, que *evangelium* (*a*) *Domini nostri Iesu Christi* esse diffinitur [1].

Secundo, in modo recipiendi fratres, quia mandat venientibus ad religionem, omnia iuxta *verbum sancti evangelij* dare *pauperibus* [2]. Fratribus vero et (*b*) ministris *de rebus* advenientium nullatenus se debere (*c*) intromictere, vel aliquid pro loco aut quibuscunque aliis necessitatibus in futurum recipere, ne, que erant (*d*) pauperum, sibi contra votum nequiter usurparent [3].

Tertio, in singularitate et deformitate vestimenti, quia in *una tunica intus et foris repetiata,* vel in duabus hiis, qui (*e*) secundo uti voluerint, ut habitus pro pallio computetur, regularis indumenti legitimam formam includit [4].

Quarto, quia promictit (*f*) pedum nuditatem, et (*g*) preter manifestam necessitatem calciamentis (*h*) non potest uti, sicut Christus suis discipulis mandat ad predicandum missis [5].

Quinto, quia non *debent equitare,* neque (*i*) victualia por- [*f.* 6 *r*] tare nisi in *manifesta necessitate et* (*k*) *infirmitate* [6].

Sexto, quia *nullo modo* possunt *denarios vel pecuniam,* aut campos vel vineas, aut animalia vel quecunque legata et testamenta recipere, *nec per se, nec per interpositam personam.* Utpote qui promiserunt iuxta perfectionem evangelicam nichil proprium habere (*l*) *neque in speciali neque in communi* [7].

Septimo, quia non possunt vendere neque emere, neque pro aliqua causa in iudicio litigare, sive iusta sive iniusta [8].

(*a*) B *euangelii.* — (*b*) B om. — (*c*) E *debere se.* — (*d*) B *erunt.* — (*e*) A postea insertum. — (*f*) D *permictit.* — (*g*) DE om. — (*h*) E *non potest calciamentis uti.* — (*i*) C *nec.* — (*k*) E *uel.* — (*l*) E *nichil habere proprium.*

---

[1] Cf. Reg. 2, capp. 1 et 2, *Opusc.* 63 s.

[2] Cf. Matth. XIX, 21.

[3] Cf. Reg. 1, c. 2, *Opusc.* 26, et Reg. 2, cap. 3, *Opusc.* 64.

[4] Cf. Reg. 1, c. 2, *Opusc.* 27; Reg. 2, c. 2, p. 65; Testamentum, p. 79.

[5] Reg. 2, c. 2, *Opusc.* p. 65; Cf. Matth. X, 10; Luc. X, 4; XX, 35.

[6] Reg. 2, c. 3, p. 67; cf. Reg. 1, c. 15, p. 43.

[7] Reg. 2, c. 4, p. 67; *Quo elongati, Bull. Franc.*, I, 69; *Exiit,* art. 11, *De legatis ex testamento relictis, Seraph. Legisl. text. orig.* p. 209 ss; *Exivi,* art. 9, *De haereditatibus non acceptandis, Seraph. Legisl.* p. 249 ss.

[8] *Expositio quattuor Magistrorum,* c. 6, ap. *Firm. trium Ord.,* Parisiis 1512, IV, fol. 19 va ss; (ed. Venetiis 1513, III, fol. 17 vb ss.); *Exivi,* art. 11, *De curiis et litibus, Seraph. Legisl.* p. 250.

Octavo, quia de labore manuum suarum pro se et suis fratribus denarios vel pecuniam pro victu et (*a*) necessitate corporali vel spirituali, presenti vel imminenti, non debent nec possunt recipere pro pretio vel mercede, set solum necessaria victui et operimento, et hoc cum tanta humilitate, cum quanta ea reciperent, si ea pro elemosyna mendicarent (*b*), nichil vero dare volentibus nec verbo neque (*c*) opere aut quibuscunque aliis signis se conturbatos debent (*d*) ostendere, aut litigiis et questionibus quibuscunque possunt aut debent ad dandum cogere [1].

Nono, in obedientia, quia (*e*) nude et absolute in omnibus et ad omnia se extendit, nec sumptus requirit, nec locum determinat et preter peccatum a suo profexore nichil excludit [2].

Decimo, quia omnibus quibus utuntur ad victum et vestitum et divinum cultum sive oratorijs, sive libris, sive (*f*) paramentis, aut locis vel [h]ortis, seu quibuscunque aliis rebus, ita uti (*g*) eis debent, ut alienis et domino conservatis, et ita vilibus et pauperculis et nullius fere (*h*) valoris, quod propter ipsorum vilitatem (*i*) inter valorem habentia merito non possint nec debeant computari, nullam pro eis violentiam, resistentiam facientes cum hiis qui ea eis (*k*) raperent et auferrent, recedentes de locis illis pauperculis, quandocunque eis a patronis locorum, quorum est proprietas, diceretur, opere et affectu (*l*) ostendentes quod (*m*) *ibi hospitabantur sicut advene et peregrini* [3].

Undecimo, quia loca et *ecclesias*, et *habitacula*, in quibus ut hospites et *peregrini* morantur, nullo modo ea recipere, aut in ipsis habitare debent, nisi cum promissa paupertate, que in regula continetur, concordarent [4].

Duodecimo, quia sine *licentia* (*n*) *speciali sedis apostolice* non debent nec possunt ingredi *monasteria monacharum* [5].

(*a*) D *uel.* — (*b*) D *postularent.* — (*c*) BCE *nec.* — (*d*) B *conturbatos se debent.* — (*e*) B *que* cor. ex *quia.* — (*f*) D *aut.* — (*g*) D *eis uti,* E om. *eis.* — (*h*) D *quasi.* — (*i*) E add. *merito.* — (*k*) C om. B adiecit manu posteriore. — (*l*) D add. *omnibus.* — (*m*) BCDE *quia.* — (*n*) D *speciali licentia.*

---

[1] Reg. 1, c. 8, p. 36; c. 7, p. 33; Reg. 2, c. 4 et 5, p. 67-68.
[2] Reg. 2, c. 10, p. 72; Testam. p. 80-81.
[3] Reg. 2, c. 6, p. 68; Testam. p. 80. Cf. 1 Petr. II, 11.
[4] Testam. l. c.
[5] Reg. 2, c. 11, p. 73.

Tertiodecimo, quia eundi *inter Saracenos et alios infideles* fratribus ad eundum *divina inspiratione* motis de ministrorum provincialium licentia et obedientia potestatem tribuit, cum ascen- [*f.* 6 *v*] dente Christo in celum concordans, qui suis discipulis dixit: *Euntes in mundum universum predicate evangelium omni creature* [1], de quo nulla alia regula, preter istam, facit mentionem. [2].

Quartodecimo, quia iuxta mandatum finale fundatoris in suo *Testamento*, quod non est aliud, vel diversum a regula secundum eum [3], set simpliciter (*a*) explicatio intentionis regule sibi a Christo revelate, quia non possunt nec debent (*b*) *petere literas in curia Romana per se vel per interpositam personam* fratres, *neque pro ecclesia, neque pro loco, neque pro predicatione* (*c*), *neque pro persecutione suorum corporum* [4], et multo minus regum vel secularium principum convenit eis secundum perfectionem promissam tales literas inpetrare.

Quintodecimo, quia non debent mictere glosas in regula, neque in verbis sui *Testamenti* [5], que contrarium intentioni recte et veraci, quam Dominus sancto Francisco dedit, contineant, vel exponant.

Ex quibus quindecim [6] non solum differentiam (*d*) quam habet a duabus prefatis (*e*) regulis sancti Francisci regula, clare manifestatur, set evangelice perfectionis altitudo et paupertatis Christi et crucis nuditas ex prefatis (*f*) clare concluditur. Insuper ex ipsis inrefragabiliter demonstratur, quod Christi beneplacitum ei regulam inspirantis (*g*), et ipsius fundatoris vitam evangelicam innovantis,

(*a*) D *simplex.* — (*b*) D *petere debent.* — (*c*) E *persecutione... neque pro predicatione.* — (*d*) D *differentia.* — (*e*) E *a prefatis duabus.* — (*f*) E *in ea.* — (*g*) E *reuelantis.*

[1] Matth. XXVIII, 19; Marc. XVI, 15.

[2] Reg. 2, c. 12, p. 73. Cf. verba similia Iohannis Pecham, *Tractatus pauperis*, c. 10 (Expos. Reg. FF. Min.) ed. Little in *British Society of Franciscan Studies*, II, Aberdoniae 1910, p. 53: *Tertio forma traditur optima predicandi, ex quo satis apparet mirabile, qualiter aliqui dicere presumpserunt, quod ad fratres non pertinet predicare, cum inter omnes regulas autenticas religiosorum ista sola duo contineat capitula de predicatione, unum ad fideles, scilicet istud, et aliud ad infideles inferius quicunque fratrum.* Idem textus ap. *Firm. trium Ord.*, Paris. 1512, IV, fol. 99 rb; (ed. Venet. 1513, III, fol. 76 va).

[3] *Opusc.* p. 81.

[4] Testam. *Opusc.* p. 80. Quod sequitur de litteris principum non petendis Clarenus adicit.

[5] Testam. *Opusc.* p. 82.

[6] Quod sequitur immediate est velut paraphrasis prioris enumerationis.

principalis intentio, et ultima et prima voluntas fuit, quod Fratrum Minorum religio in generali et in (*a*) particulari nullum proprium haberet, set ex legis (*b*) nature et gratie mandato et latione alimentis et tegumentis oportunis ad divinum cultum, sicut obedientes servi Dei et Christi discipuli et ecclesie filij uterentur, omni proprietate denudati, et ad solam obedientiam celestis regis, cuius *regnum non est de hoc mundo* [1] et ad legis *gratie et veritatis* (*c*) *plenam* [2] observantiam habentes respectum, ut *in carne* viventes *non secundum carnem* militent (*d*) [3]. Quod intelligens beatus Franciscus dicit in regula de evangelica paupertate: *Et hec sit portio vestra que perducit* (*e*) *in terram viventium, cui, dilectissimi fratres, totaliter inherentes* (*f*) *nichil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub celo habere velitis* [4]. Et vir sanctus fr. Ugo de Digna (*g*) dicit in libello, quem fecit *de finibus paupertatis* [5]: « Ex hiis ergo (*h*) que supra sparsim pertractavimus in compendium omnia redigentes, hoc demum inferimus (*i*) videlicet quod Ordo Minorum, ut minorum, pariter in universis et singulis hoc solum habet proprium quod nichil in hiis, que transeunt, potest habere proprium. Nichil est enim eis magis inproprium quam proprium. Et nichil eis magis proprium quam hoc ipsum quod nichil est (*k*), possideant in (*l*) proprium, admodo (*m*) et usque in sempiternum, amen ».

Et quoniam (*n*) re vera qui Christi discipuli sunt, et deliberatione et vo- [*f.* 7 *r*] to imitationi (*o*) celestis (*p*) vite eius adheserunt, carni et mundo et omnibus concupiscentijs eius *mortui* sunt *et vita* eorum *abscondita est cum Christo in Deo* [6] et levigati a terrenarum (*q*) et visibilium pondere rerum, ut cursor levis et

(*a*) BC om. E *neque in... aliquid.* — (*b*) E *lege.* — (*c*) E *ad plenam obseruantiam eius que est lex ueritatis.* — (*d*) D *militarent.* — (*e*) D *preducit.* — (*f*) D add. *etc.* om. *nichil - uelitis.* — (*g*) C om. *de Digna.* — (*h*) BCE om. — (*i*) B *intexuimus* in margine pro *inferimus* deleto in textu. — (*k*) E om. — (*l*) E om. — (*m*) D *amodo.* — (*n*) C *quam.* — (*o*) C *imitationis.* E *voto cęlestis uitae eius imitationi adhaeserunt et.* — (*p*) C *uite celestis.* — (*q*) E *rerum pondere et omnium uisibilium.*

[1] Ioh. XVIII, 36.

[2] Ioh. I, 14.

[3] 2 Cor. X, 3.

[4] Reg. 2, c. 6, *Opusc.* p. 69.

[5] Tractatus mox edendus a Cl. Florovsky ap. *Arch. Franc. Hist.*

[6] Colos. III, 3.

exonerata navis explicant vias suas; idcirco (*a*) carnis delectationes et mundi delitie et divitie et blandimenta sunt eis displicentie (*b*), amaritudines, spine et tormenta; dignitates et preminentie et honores, ignominie, deiectiones et angariantes servitutes. Sapiunt enim qui minores sunt cum Christo humilia, et alta apud homines sentiunt esse abhominabilia Deo, et odientes hanc vitam animalem cupiunt *dissolvi et esse cum Christo* [1]. *Mundo* crucifixi crucifixum *in corpore* et anima portant [2] et sensu (*c*), memoria (*d*), intellectu et affectu in Christum (*e*) transformati, solum celestia querunt et sapiunt et (*f*) *non que super terram* [3]. Nudi enim nudam crucem Christum sequentes ferunt, et nullis herent seculi curis. Sed tanquam *peregrini et advene* [4] in hoc seculo, in paupertate Domino famulantur (*g*), de crastino non curantes. Sine domo, sine loco et absque rerum omnium dominio et proprietate viventes, nec cellaria nec granaria, vel rei cuiuscunque promtuaria habent. Aurum et argentum et pecuniam omnem odiunt et respuunt ut venenum.

Fugiunt ut mortem litigia causarum. Pacem habent et annuntiant et ad illam aspirant *que exuperat omnem sensum* [5]. In casulis habitantes alienis et locis a tumultu remotis, orationi et penitentie meroribus aptis, precum et obsecrationum devotarum (*h*) instantia, ad miserendum peccatoribus Deum inclinant. Vilibus induti, duplicibus dimissis, nudis pedibus vel apertis (*i*) sandalijs incedentes, necessitatem cotidiani victus cum humilitate recipiunt, acquirunt manibus vel mendicant; ideo testamentis non indigent nec legatis, nec emunt nec vendunt nec thesauriçant, neque (*k*) acquirunt aut congregant in tempus et tempora (*l*) set ab omni iure proprietatis hereditandi (*m*), possidendi, alienandi, repetendi (*n*), debita contrahendi, obligandi, locandi, exigendi, mutuandi (*o*), lu-

(*a*) D om. *idcirco carnis - et peregrinatur de corporis carcere* (p. 27). — (*b*) CE *discipline.* — (*c*) E add. *et.* — (*d*) E add. *et.* — (*e*) B *X°.* — (*f*) E om. — (*g*) C *famulantes.* — (*h*) E *instantia devotarum.* — (*i*) B *opertis.* — (*k*) C *nec.* — (*l*) A in margine, in textu foramine deletum. — (*m*) E *alienandi, hereditandi, possidendi, repetendi, debita contrahendi, obligandi, lucrandi, locandi, exigendi.* — (*n*) BC om. *repetendi - obligandi.* — (*o*) C *lucrandi, mutuandi.*

[1] Philip. I, 23.
[2] Cf. Gal. VI, 14, 16.
[3] Col. III, 2.
[4] 1 Pet. II, 11; cf. Testam. *Opusc.* p. 80.
[5] Philip. IV, 7.

crandi (*a*) pro singulis et omnibus sunt et esse promictunt extranei et alieni. Ut mortui mundo, et Christo soli et eius regno viventes, laborant manibus, ut apostolice et (*b*) virtualiter, *excluso otio* [1], vivant, *et quando* eis de labore non dantur *necessaria* vite, quia *denarios vel pecuniam* [*f.* 7 *v*] nullo modo recipiunt, recurrunt *ad mensam Domini petendo elemosynam hostiatim* [2] ad Christi gloriam et hedificationem dantium et salutem. Penurias paupertatis veras divitias et mendicitatis abiectionem honoris regis Christi excellentiam reputantes, tanquam in veris divitijs delectantur in defectibus paupertatis.

Non equitant, *nec equitare debent* secundum regulam, cum sunt sani, vel nisi alia aliqua manifesta (*c*) neccesitas cogat eos [3]. Et absque *licentia speciali* apostolice (*d*) sedis *non ingrediuntur monasteria monacharum* [4], et (*e*) ut castitatis amatores, aspectum et familiaritatem et *suspecta* colloquia *mulierum* fugiunt [5]. Et ex eo quod sint (*f*) eis a sua regula interdicta, nec hominum (*g*) aut (*h*) feminarum fiunt *compatres* [6] nec (*i*) connubia tractant, nec cuiuscunque rei, ut mortui mundo sub quacunque specie, testamentorum vel delegationum executionibus inplicantur. Set exemplo vite et operibus sanctis, annuntiant regnum Dei, et vitia et virtutes, *penam et gloriam ac* (*k*) *dignos penitentie* facere *fructus* hominibus predicant *cum brevitate sermonis* [7] et *non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi* [8]. Et hoc secundum suam regulam facere possunt non solum inter Christianos, set *inter Saracenos et alios infideles* [9]. Et ut ab (*l*) altissime Christi paupertatis et humilitatis perfectione non cadant, nullius privilegij papalis aut regalis vel alterius cuiuscunque persone, *neque pro ecclesia, neque pro loco, neque sub specie predicationis seu persecutionis suorum corpo-*

(*a*) B om. — (*b*) B om. — (*c*) E *necessitas manifesta.* — (*d*) E *sedis apostolicae.* — (*e*) B om. — (*f*) E *sicut sunt.* — (*g*) C *virorum.* — (*h*) BC *nec.* — (*i*) E *non.* — (*k*) E om. *ac - predicant.* — (*l*) B om.

[1] Reg. 2, c. 5, *Opusc.* p. 68.
[2] Testam. *Opusc.* p. 79.
[3] Reg. 1, c. 15, p. 43. Reg. 2, c. 3, p. 67.
[4] Reg. 2, c. 11, p. 73.
[5] Reg. 1, c. 12, p. 41; Reg. 2, c. 11, p. 73.
[6] Reg. 2, c. 11, p. 73.
[7] Reg. 2, c. 11, p. 71; Reg. 1, c. 17, p. 46-48. Cf. Luc. III, 8.
[8] 1 Cor. I, 17.
[9] Reg. 2, c. 12, p. 73.

rum [1] utuntur iure, ut finale preceptum patris custodiant, et cum Christo et apostolis *crucem* portent [2] et exemptionis et immunitatis a servitute peccati in *sotietate passionum* [3] Christi celestem possideant libertatem. Huius beatitudinis gratia omnibus subiecti esse cupientes et amantes cordaliter (*a*) viliores et minores ceteris reputari, spontanee leprosis serviunt, diligunt ab hominibus vilipendi, exultant in infirmitatibus et doloribus et laboribus penitentie, et Christi presentiam desiderantes, gaudent cum appropinquant ad mortem et peregrinantur de corporis carcere. Et ut perfectius ad (*b*) archanam Christi unionem, et ipsius caritatis et sapientie gustum consurgant, exemplo Christi et sui fundatoris solitaria loca querunt, ut sequestrati a mundi tumultibus, eternis et divinis [f. 8 *r*] fulgoribus (*c*) illustrentur.

Nam (*d*) et doctorem gentium, exemplo precedentium patrum Moysi (*e*) et Helye et Precursoris [4] et (*f*) ipsius Domini (*g*) et Magistri, aliquando taliter contemplationi et orationi vacasse, illa ipsius (*h*) spelunca nomini dedicata, satis inaccessibilis (*i*), remota non modicum a Tarso Cilicie, et altera que est iuxta Corinthum, que in magna habentur reverentia ab incolis, et cunctis (*k*) fidelibus usque in (*l*) presens [5], testificantur et predicant. Quod etiam plures Christi et (*m*) apostolorum discipuli ut Eutropius, Frontorius (*n*), Memius et Archippus aliquando fecisse noscuntur. Quocirca non immerito, quia plene (*o*) et perfecte sancti Francisci regula et vita active et contemplative supreme perfectionis culmina et fines complectitur et attingit, et veram similitudinem et ydemptitatem

(*a*) BC *cordialiter.* B add. *et.* — (*b*) A manu posteriore inseruit. — (*c*) B *illustrentur fulgoribus.* — (*d*) D om. *Nam - fecisse noscuntur.* — (*e*) C *Moysis.* — (*f*) B om. — (*g*) C *dei.* — (*h*) E *spelunca ipsius.* — (*i*) BC *incessabilis,* sed B cor. ut A. E add. *et.* — (*k*) A *cuntis.* — (*l*) C *ad.* — (*m*) E *apostolorumque.* — (*n*) B *Frontonius.* — (*o*) E *perfecte et plene.*

[1] Testam., *Opusc.* p. 80.

[2] Cf. Marc. VIII, 34.

[3] Philip. III, 10.

[4] Eliam et Iohannem Baptistam aliosque V. T. praeclaros viros exemplaria monachorum fuisse saepe scribunt auctores graeci, ex. gr. Sozomenus, H. E. I, 12, Migne, P. G. 67, 894; S. Basilius, *Constit. monast.* c. 4, n. 5, Migne, P. G. 31, 1358 s; Scholion 55 ad Grad. XXVI *Scalae* Climaci, Migne, P. G. 88, 1050; S. Nilus, *De voluntaria paupertate,* c. 26, Migne, P. G. 79, 995.

[5] Angelus Clarenus hic videtur e memoria propriae experientiae haurire, quod mirum non est, cum is tum in Asia, tum in Graecia moratum esse sat dignoscatur.

habet cum Christo Ihesu principe vite et eius discipulis. Ideo profexoribus ipsius (*a*) iuxta sancti evangelij et Christi vicarij *mandatum* non licet *de* illa *religione exire*, neque sub specie perfectioris vite ad aliam transire, *quia nemo mictens manum* (*b*) *ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei* [1]. Que vita et regula si secundum intentionem et traditionem et exemplum et mandatum fundatoris, in quo Christus loquebatur et eius spiritus habitabat, intelligatur simpliciter et cordaliter (*c*) ametur et fideliter et pure servetur ad ineffabilem christiformium virtutum possessionem et (*d*) similiter (*e*) celestium donorum et gratiarum eius fruitionem suos amatores et observatores introducit. Ipsam vero ad suum sensum et intelligentiam distorquentes ostendit fallaces et pravitatis sue adinventionibus derelictos et septem illis nequitie spiritibus, qui domum *vacantem, scopis mundatam et ornatam* readsumunt, agitatos, quorum *novissima* iusto (*f*) Dei iudicio *peiora prioribus* fiunt [2].

(*a*) D *eius.* — (*b*) D add. *etc.* om. *ad - dei.* — (*c*) C *cordialiter.* — (*d*) B om. — (*e*) BCDE *super celestium.* — (*f*) E *fiunt peiora (iusto dei iudicio) prioribus.*

---

[1] Reg. 2, c. 2, p. 65; cf. Luc., IX, 62; Bulla Hon. III. *Cum secundum*, 22 sept. 1220, *Bull. Franc.* I, 6. — Eodem modo Pecham, quamvis de Communitate, loquitur in *Tractatu pauperis*, c. 10. (Expos. Reg. FF. Min.), ed. Little, p. 30: *Quod autem ad apicem perfectionis evangelice fratres intenderet invitare, patet per hoc quod sequitur in regula: Nullo modo licebit* etc. *Hec enim ratio frivola esset nisi ad perfectionis religiose apicem fratres invitare intendisset; alias enim exiri posset non retro aspiciendo, sed ad ampliorem perfectionem anhelando.* Idem textus ap. *Firm. tr. Ord.* Paris. 1512, IV, fol. 103 rb.; ed. Venetiis 1513, III, fol. 72va-b. — Simili modo arguit Petrus Iohannis Olivi in *Quaestione 14 de Perfectione evangelica,* ap. Ehrle, ALKG, III, 529: *Ex predictis etiam omnibus patet, quod non potest* [papa] *cum aliquo dispensare, ut de statu simpliciter perfectiori descendat ad statum imperfectiorem; et quidquid sit de aliis, ex omnibus predictis evidentissime colligitur, quod de statu evangelico, qui proprie est et dicitur status Christi, non potest per dispensationem aut per quamcumque aliam viam facere, ut professor eius ad quemcumque alium statum descendat, nec ipsum statum potest in aliquo, quod ad eius integritatem et perfectionem spectet, etiam ad monachum minuere.... Et ideo hoc certitudinaliter sentiens spiritus Francisci simpliciter dicit, quod non licebit de ista religione exire, pro causa reddens, quia hoc esset retro aspicere et ad imperfectiora descendere.* — Patet hos auctores non parum exaggerare, praesertim cum Ecclesiae in Regulam Frat. Minorum auctoritatem negare vel minuere volunt.

[2] Cf. Matth. XII, 43-45.

Ex pretactis (*a*) in brevi differentia et concordia, equalitas et singularitas, maioritas et minoritas, arduitas et condescentio trium principalium regularum, ad quas cetera substantialiter reducuntur quarumcunque religionum statuta, et que principaliter observantur et approbate sunt ab ecclesia satis omni intelligenti et cum diligentia et attentione christiana ipsas (*b*) consideranti patere potest. Insuper etiam (*c*) ex ipsarum regularum contextu, exortationibus, consiliis, inhibitionibus et mandatis apertissime colligitur, quia canonicis et monachis plurima conceduntur et licent iuxta perfectam observantiam suarum regularum, que suis profexoribus evangelica [*f.* 8 *v*] regula vetat (*d*) et prohibet (*e*).

Quamvis omnis (*f*) christiane religionis perfectio in fide unius Christi Ihesu (*g*) et perfecta ipsius (*h*) dilectione nunc per gratiam, et in nuda visione Deitatis eius et tentione et fruitione in futuro per gloriam consistat, statuum tamen qui sunt in ecclesia oportet distantias et differentias, et (*i*) monachorum primi et moderni temporis intelligere, ut ea, in quibus nunc sumus et illa in quibus illi fuerunt, discrete distinguamus et distincte discernamus, ne inperfecta pro perfectis recipiamus et inperfecta perfectis coequemus (*k*). Qua ex re sciendum (*l*) quod apostoli paupertatem et virginitatem evangelij (*m*) Christi eligentes promictere et servare perfectorum ordinem vocaverunt, sive supplicum [1] aut famulorum Dei; nec permictebant quod aliquis illum (*n*) ordinem et eius insignia acciperet, nisi ipsum paupertatis evangelice et castitatis et omnium consiliorum Christi ferventem ac verum amatorem esse probarent et promtum et (*o*) fidelem observatorem argumentis evidentibus cernerent. Hinc est quod sub nomine monachi et ordinis monachatus omnes primi patres, omnis religiose vite tam active quam contemplative perfectionem accipiebant.

Unde quidam abbas interrogatus ab imperatore quot in suo cenobio haberet monachos, respondit: Tres. Et dixit ad eum imperator: Audivimus quia septingentos habes in tuo monasterio monachos. Ad quem abbas: Tres habeo (*p*) veros monachos, quorum

(*a*) BC *prefatis,* D *explicatis.* — (*b*) BE *ipsa.* — (*c*) E om. — (*d*) A in margine. — (*e*) E *prohibet et uetat.* — (*f*) BCE sic recte, AD *Quam uisionis christiane.* — (*g*) B *y^u x^i.* — (*h*) E *eius.* — (*i*) E om. — (*k*) E *aequemus.* — (*l*) B add. *est.* — (*m*) B om. — (*n*) B *illorum.* — (*o*) E *ac.* — (*p*) D add. *in monasterio.*

[1] Cf. supra p. 18-19.

quilibet potest mortuos suscitare [1]. Et sanctus Macharius, quem Ieronimus sui temporis apostolum vocat, in comparatione illorum duorum monachorum, quos nudos invenerat in deserto, dicebat se non esse monachum, lugens (*a*), set monachos vidisse [2]. Sanctus quoque Basilius divino oraculo motus quemdam magni cenobij patrem interrogavit, utrum sub se haberet monachum quempiam. Qui respondit ei, se (*b*) unum tantum habere monachum, post cuius obedientie experientiam dixit ad abbatem sanctus Basilius: Vere monachus est [3]. Quam bonorum paucitatem considerans sanctus Pafnuntius (*c*) ad sanctum [4] Iohannem Cassianum dicit: Tam paucos hodie formidamus qui abrenuntiationis monastice perfectionem attingant, quam paucos de filiis Israel egressis de Egipto, legimus terram promissionis (*d*) intrasse [5]. Et (*e*) Ysaias [6]: *Multiplicasti,* inquid, *gentem, set non magnificasti letitiam.* Et Salvator (*f*): *Multi,* ait, *sunt vocati, pauci vero electi* [7]. Quod temporis huius sterilitas evidentissime probat, in quo non solum perfectionis opera fere nulla remanserunt, [*f.* 9 *r*] set fides de perfectione christiane religionis in omnibus pene defecit, ita ut illud Veritatis testimonium, cum *venerit Filius hominis putas fidem inveniet* (*g*) *super terram?* [8] iam quasi videamus esse completum.

Quibus namque monachis aut canonicis (*h*), Minoribus vel Predicatoribus diffinitio monachi a patribus data conveniat, et quam difficulter cum realitate virtutis et operum fructu quisquam in hominibus tempore obdurationis huius possit reperiri, qui veritatem rei diffinite plene possideat, iam ipsa diffinitio dicat, et omnis qui legit intelligat (*i*).

(*a*) E om. — (*b*) E *unum se.* — (*c*) BC *s. Pannutius.* — (*d*) E *repromissionis.* — (*e*) D om. *Et - esse completum.* — (*f*) C add. *Mathei 20 cap.* — (*g*) B *inueniat,* E *inueniet fidem.* — (*h*) B add. *aut.* — (*i*) D add. *unde.*

---

[1] Videtur ex *Vitis Patrum* desumptum, non tamen inveni.

[2] *Vitae Patrum,* lib. VI, *Verba Seniorum,* III, 4, Migne, P. L. 73, 1006-07.

[3] Ubi habeatur non inveni.

[4] Ioh. Cassianus in aliquibus locis, uti etiam hodie Massilliae *(Marseille),* cultum habet.

[5] Ioh. Cassiani, *Collationes,* Coll. III, 7, Migne, P. L. 49, 568.

[6] IX, 3.

[7] Matth. X, 16.

[8] Luc. XVIII, 8.

Sanctus Nilus: « Monachus est enim (*a*) qui nichil sub celo (*b*) habet vel possidet [1] ». Idem: « Monachus est qui ab omni materia seculi mundus est et se ipsum crucifigit adversus temptationes carnis et sathane, et adversus certamina mundi [2] ». Sanctus vero Macharius dixit ad abbatem Theodorum, quod (*c*) « maius omnibus est nichil possidere [3] ».

Abbas Pastor: « Monachus est qui omnes voluntates carnis mortificavit (*d*) et quietem corporis abhominatur et hominum laudes odit et luctum perpetuum possidet [4] ». Item dicit: « Querulosus et qui fratri suo detrahit, et malum pro malo reddit et qui iracundus et qui elatus aut verbosus est, monachus non est [5] ». « Qui autem vere monachus est, semper est humilis, quietus et caritate plenus et timorem Domini (*e*) semper habet pre oculis, et custodit in corde suo [6] ».

Iohannes Climachus (*f*): « Monachus est ordo (*g*) et consistentia incorporalium in corpore (*h*) materiali et sordido consumatus. Monachus est, qui solum ea, que Dei sunt, agit, cogitat et loquitur, Christo unitus in omni loco, tempore et negotio. Monachus est violentia (*i*) nature indesinens, et custodia sensuum indeficiens. Monachus est sanctificatum corpus, expurgatum os et illuminata mens. Monachus est merens et dolens anima, in (*k*) indesinenti mortis memoria se exercitans vigilans et dormiens. Recessus monachi a mundo et eius abrenuntiatio est, voluntarium odium laudate (*l*) materiei, et abnegatio nature propter sortitionem (*m*) eorum que sunt super naturam [7] ». « Monachus proprie est non elatus oculis (*n*), humilis anime intuitus et immotus corporis sensus. Mo-

(*a*) D om. — (*b*) A in margine. — (*c*) E *quia maius est omnibus.* — (*d*) BCE *mortificat.* — (*e*) C *dei.* — (*f*) D add. *capitulo primo.* — (*g*) D *etc.* om. usque *precipitans et suffocans* (p. 32). — (*h*) BCE *in corde.* — (*i*) BE *uiolentor,* C *violentator nature indeficiens et custodia sensuum indesinens.* — (*k*) E om. — (*l*) A *laudata.* — (*m*) E *sortionem.* — (*n*) BE *oculus.*

[1] Ubi praecise haec verba habeantur non inveni; quodammodo similia cf. S. Nili, *De octo spiritibus malitiae,* c. 7, Migne, P. G. 79, 1151; Eiusd., *De octo vitiis,* avaritia, P. G. 79, 1451.

[2] Inter Opera S. Nili non inveni.

[3] *Vitae Patrum,* lib. V, 6, 6, Migne, P. L. 73, 889.

[4] Ubi dictum sit, non inveni.

[5] *Vitae Patrum,* lib. V, 10, 54, Migne, P. L. 73, 922.

[6] *Aegyptiorum Patrum sententiae,* n. 82, Migne, P. L. 74, 391.

[7] Climacus, *Scala,* Grad. I, Migne, P. G. 88, 634.

nachus est, qui inpugnatores instar bestiarum advocat et irritat cum fugiunt ab eo. Monachus est incessabilis excessus mentis in Deum, et tristitia vite. Monachus est qui ita afficitur et qualificatur virtutibus sicut alius delectationibus vitiosis et concupiscentijs. Monachus est incessabile lumen in (*a*) oculo (*b*) cordis, abyssus humilitatis, omnem spiritum contrarium (*c*) totaliter precipitans et suffocans [1] ».

Quecunque enim in his diffinitionibus tanguntur, sanctificationem activam et contemplativam religiosi [*f.* 9 *v*] status insinuant, sine qua (*d*) sunt qui Deo serviunt, sicut arbores, que flores (*e*) et frondes germinant, set non producunt fructus. Et in earum descriptione possunt omnes et singuli religiosi speculari et clare cognoscere, quantum a substantiali veritate sue vocationis et destinato fine promisse perfectionis operibus, affectibus et virtute loginqui sint vel approximent. Nam et virum evangelicum optime circumscribunt quoad virtutes, affectus et actus et religiose conversationis semitas, quas Christi evangelium promictentes calcare tenentur, aperiunt; et quanti sit (*f*) ponderis sancti Francisci verbum quod in suo *Testamento* scriptum est, quoniam *ipse Altissimus revelavit michi, quod ego deberem vivere* (*g*) *secundum formam sancti evangelij* [2], clarissime manifestant (*h*). In principio etiam regule ipsius similiter dicitur, quod *regula et vita Fratrum* (*i*) *Minorum hec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare* (*k*) et in fine adiungitur (*l*) quod *paupertatem et* (*m*) *humilitatem et sanctum evangelium* (*n*) *Domini nostri Ihesu Christi quod firmiter promisimus observemus* [3].

Et ministro volenti libros, quos habebat, de sua tenere (*o*) licentia respondit, quod (*p*) non debebat nec poterat propter suos li-

(*a*) BE om. — (*b*) BE *oculorum.* — (*c*) B *totaliter contrarium.* — (*d*) C *quibus.* — (*e*) E *frondes et flores.* — (*f*) BD *sint.* — (*g*) A in margine. — (*h*) E *manifestatur.* — (*i*) D *minorum fratrum.* — (*k*) D add. *etc.* — (*l*) D add. *scilicet.* — (*m*) E om. *et humilitatem.* — (*n*) D add. *etc.* om. *domini - obseruemus.* — (*o*) B *teneri.* — (*p*) E om. *quod non - spiritus dixit.*

[1] *Scala,* Grad. XXIII, Migne, P. G. 88, 970.

[2] *Opusc.* p. 79.

[3] Reg. 2, c. 12, *Opusc.* p. 74. Idem locus ad eundem scopum adducitur a Petro Ioh. Olivi, *Expos. Reg.* Prol. *Firm.* Venetiis 1513, III, 107 rb: « *hoc autem patet... ex hoc quod regulam suam singulariter diffinit per observantiam evangelij christi, quam etiam ex hoc quod in fine regule dicit:* sanctum evangelium domini nostri Iesu Christi quod firmiter promisimus observemus ».

bros contra suam conscientiam et evangelium, quod promiserat, venire et, contristato ministro propter suam responsionem, in presentia (*a*) omnium fratrum cum magno fervore spiritus dixit (*b*): Vos Fratres Minores ab hominibus vultis videri, et vocari observatores sancti evangelij, operibus autem vultis loculos habere [1]. Nulla (*c*) enim maior (*d*) evangelica vita et apostolica. Non est autem levis culpe suppremam quemquam (*e*) promictere vitam et post votum indifferenter vivere et inperfectam (*f*) sectari. Set ex verbis et scriptis (*g*) sancti Francisci indubitanter colligitur, quod ipse (*h*) *non ab homine neque per hominem* [2], set per revelationem Iesu Christi habuit, qui ei frequenter apparuit, et suis eum stigmatibus consignavit (*i*), quod ipse evangelium pro regula acciperet [3] et promicteret secundum quod evangelium sub voto cadit [4], et hoc sibi concedi ab ecclesia (*k*) postularet.

Unde sanctus (*l*) Franciscus dicebat se pro regula evangelium Christi et vitam eius promisisse (*m*) servare, et hoc a summis pontificibus, Christo docente, postulasse (*n*) et inpetrasse. Et quia evangelium continet perfectissimam et sanctissimam Christi vitam et divinissimam et suppremam auctoritatem eius, que in ecclesia et Christi vicario residet, et sine qua nulla potest fundari seu renovari religio [5]; ideo vite (*o*) Christi sanctitas et perfectio, quam evangelium docet et predicat, sub obedientia et unitate ecclesie solum posse et debere servari intelligitur per regulam, que promictit supererogative vivere et evangelium serva- [*f.* 10 *r*] re

---

(*a*) Sic recte C. ABD *pa* (= *persona*). — (*b*) B *dixit cum magno feruore spiritus.* — (*c*) B add. supra lineam *est.* — (*d*) D add. *et perfectior.* — (*e*) C *quamquam.* — (*f*) D *inperfecta.* — (*g*) E *dictis.* — (*h*) B om. — (*i*) C *insigniuit.* — (*k*) E *ecclesia concedi.* — (*l*) E om. *sanctus Franciscus.* — (*m*) B *promissam.* — (*n*) D *seruasse.* — (*o*) E *christi uitae.*

---

[1] Hoc desumptum est ex *Intentione Regulae, Doc. ant. franc.* ed. Lemmens, I, 86 s. Inde iam ante Clarenum adducitur ab Ubertino, *Arbor Vitae,* V, 3, fol. D II va; cf. ALKG, III, 75; 177; *Spec. perf.* c. 3, ed. Sabatier, p. 7-8; Trib. 1, ed. Tocco, p. 41-42; ed. Döllinger, II, 445, et inde etiam, *Legg. antica,* ed. Minocchi, c. 16, p. 40 s. Nucleus narrationis ap. 2 Cel. 2, 32, p. 217.

[2] Gal. I, 1.

[3] Cf. Olivi, *Exp. Reg.*, Prologus, *Firm.*, Venetiis 1513, III, f. 107 rb: *patet quod istam regulam in tantum voluit esse idem quod evangelium christi, quod per nomen unius vult reliquum intelligi et significari.*

[4] Cf. supra, p. 15, textus et nota 1.

[5] Cf. supra, p. 10, nota 3.

ad immitationem et similitudinem Christi vite, que in evangelijs traditur et legitur a Christo servata et ab ipso suis apostolis inposita [1]. Et ista est una de rationibus quare in regula, quam Honorius confirmavit, non continentur tot (*a*) auctoritates et consilia evangelij, quot ponebantur in illa, quam papa (*b*) Innocentius confirmavit, quia ex diffinitione que fit in regula confirmata per Honorium in principio et ex (*c*) recapitulatione eiusdem sententie in fine ipsius regule, totum intelligitur quod sparsim in (*d*) prima (*e*) ponebatur. Et quemadmodum Apostolus *ad Galatas* [2] scribens, evangelium sibi revelatum a Christo appellavit regulam dicens: *Et quicunque hanc regulam secuti fuerint* (*f*), *pax super illos et misericordia* (*g*), ita sanctus (*h*) Franciscus evangelium Christi per revelationem ipsius observare iussus, vitam et regulam suam evangelium nominat, et omnia que in regula ponit, a Christo accepisse se dicit, ut ad catholicam et legitimam intelligentiam evangelice perfectionis et vite conferentia, et ad sinceram et puram immitationem sanctitatis et conversationis eius et plenam observantiam (*i*) ipsius oportuna.

Regula enim et vita Fratrum (*k*) *Minorum hec est* (*l*), *scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate.* Quia enim omnia evangelij Christi consilia ad hec tria, obedientiam (*m*) videlicet (*n*), paupertatem et castitatem reducuntur, et in istis (*o*) omnis vite religiose fundamenta consistunt, ideo perfectionem (*p*) vite Christi et doctrine (*q*) secundum diversos gradus et varios Sancti Spiritus afflatus, iuxta congruentiam temporis et hedificii ecclesiastici structuram, omnis religio differenter, idest in maiori vel minori perfectionis gradu, consilia prefata promictit. Omnis enim status et regula tanto perfectior est, quanto magis exemplari Moysi

(*a*) E om. — (*b*) D om. — (*c*) D om. — (*d*) D *ponebatur in prima.* — (*e*) B om. — (*f*) D add. *etc.* om. reliquum textum. — (*g*) E add. *et super israel dei.* — (*h*) D om. — (*i*) B add. in margine alia manu *consiliorum.* — (*k*) D *minorum fratrum.* — (*l*) D add. *etc.* om. usque *in castitate.* — (*m*) D *scilicet obedientiam.* — (*n*) C *scilicet.* — (*o*) D *ipsis.* — (*p*) B *perfectione.* — (*q*) B add. *et.*

[1] Videtur esse allusio ad bullam *Exiit: Hi sunt illius sanctae Regulae professores, quae evangelico fundatur eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiae Apostolorum eius sermonibus actibusque firmatur. Seraph. Legisl. text. orig.* p. 182-83.

[2] VI, 16.

in monte ostenso, scilicet Christo Ihesu (*a*), et nobis exhibito, intus et extra, spiritualiter et corporaliter, active et contemplative, idest moribus et affectibus, conformatur.

Duodecim enim sunt in evangelio Christi principalia consilia (*b*), ad que cetera reducuntur, sicut novem ad tria. Primum enim (*c*) consilium est paupertatis, II^m obedientie, III^m castitatis, que tria sunt fundamenta omnis religionis. Et sunt (*d*) contra *concupiscentiam carnis et concupiscentiam oculorum et superbiam vite* [1], que tria sunt radices omnium vitiorum, sicut paupertas, obedientia (*e*) et castitas sunt fundamenta omnium consiliorum. Quartum consilium est caritatis, scilicet inimicorum (*f*) dilectio, que (*g*) est consilium quantum ad dilectionem effectus (*h*), preceptum autem (*i*) est quoad dilectionem familiaritatis et affectus (*k*). Quintum autem (*l*) est mansuetudinis, ut est illud: *Qui te* (*m*) *percusserit in dexteram maxillam, prebe ei et alteram* [2]. Sextum est misericordie et erogationis, [*f.* 10 *v*] ut est illud: *Omni petenti te tribue* [3] etc. Dare superflua est necessitatis, set dare ea, quibus egemus, est consilij (*n*). Septimum est de simplicitate verborum: *Sit autem sermo vester: est, est, non, non* [4], quia si affirmatio est (*o*) in ore vel negatio, debet esse (*p*) in corde. Octavum est de vitatione occasionis peccati. Unde dicitur: *Si oculus tuus scandalizat te* (*q*) [5] etc. eo quod omnino vitande sunt occasiones peccati, sive temporales sive spirituales. Nonum (*r*) est de rectitudine intentionis et intentione finis, ut est illud: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus* (*s*) [6] etc. Decimum est de conformitate operis et doctrine, ut est illud: *Eice primum festucam* (*t*) *de* (*u*) *oculo tuo* [7] etc. et

(*a*) C *Iesu Christo.* — (*b*) C *12 sunt principalia consilia in evangelio.* — (*c*) BCE om. — (*d*) B om. — (*e*) E *castitas et obedientia.* — (*f*) D *dilectio inimicorum.* — (*g*) B *quod.* — (*h*) BC *affectus,* D *affectos.* — (*i*) E *uero.* — (*k*) B *effectus,* D *effectos.* — (*l*) CE om. — (*m*) C om. — (*n*) B *consilium.* — (*o*) E *uel negatio est in ore.* — (*p*) E add. *etiam.* — (*q*) C add. *erue eum et projice abs te etc.* BE *erue eum etc.* — (*r*) C add. *consilium.* — (*s*) E add. *ut uideamini ab eis.* — (*t*) E *trabem.* — (*u*) D om. *de-etc.*

[1] I Ioh. II, 16.
[2] Luc. VI, 29; Matth. V, 39.
[3] Luc. VI, 30.
[4] Matth. V, 37.
[5] Matth. XVIII, 9; V, 29; Marc. IX, 46.
[6] Matth. VI, 1.
[7] Matth. VII, 5; Luc. VI, 42.

iterum: *Alligant* (*a*) *onera gravia et inportabilia* (*b*)[1] etc. Undecimum est de vitanda sollicitudine, ut ibi (*c*): *Nolite solliciti esse anime vestre*[2] etc. ubi interdicitur superflua (*d*) cura temporalia congregandi. Duodecimum est fraterne correctionis, ut ibi: *Si peccaverit in te frater tuus* (*e*)[3] etc. quod tunc est consilium, quando de venialibus corripitur frater cum amore et pudore, de mortalibus (*f*) est preceptum.

Ista (*g*) autem omnia consilia diffinit (*h*) sanctus Basilius *ad Amphylochium*[4] scribens esse de perfectionis substantia evangelice vite et profexoribus eius omnimodis oportuna. « Vere enim (*i*), inquid, non parvum certamen est confitentem (*k*) ea, que sunt profexionis, prosequi (*l*) que expediunt. Nempe hoc quidem preeligere (*m*), eam que est secundum evangelium conversationem, est omnis, hoc autem et (*n*) usque ad minimam agere observantiam, et nichil eorum, que ibidem scripta sunt, pretermictere vel despicere; istud omnino a paucis dirigitur, qui (*o*) pervenerint ad notitiam nostram. Quare et lingua disciplinata et oculo disciplina instituto secundum evangelium uti, et manibus operari secundum destinationem beneplacentie (*p*) Dei et pedes movere, et ita unoquoque membrorum uti sicut a principio noster conditor dispensavit, set et quod est in habitu ornatum (*q*), quod in colloquis custoditum, quod in cibariis sufficiens, quod in usu vite necessarium sine superfluitate. Hec quidem omnia parva quippe apparent sic simpliciter dicta, set magno (*r*) agone indigent ut dirigantur (*s*), in ipsa rei veritate invenimus.

(*a*) E add. *enim.* — (*b*) C add. *et imponunt ea in humeros hominum etc.* BE add. *in humeros hominum etc.* — (*c*) D *ut est illud.* — (*d*) D *sollicitudo superflua.* — (*e*) C add. *vade et corripe eum inter te et ipsum solum etc.* B add. *vade et corripe etc.* E add. *corripe eum etc.* — (*f*) D *mortali.* — (*g*) D om. *ista autem - hereditent gloriam* (p. 41). — (*h*) B *diffiniuit.* — (*i*) C om. — (*k*) C *confiteri.* — (*l*) E add. *ea.* — (*m*) E add. *scilicet.* — (*n*) E *etiam.* — (*o*) C *que.* — (*p*) E *beneplaciti.* — (*q*) BCE *ordinatum.* — (*r*) C om. — (*s*) C om.

[1] Matth. XXIII, 4.

[2] Luc. XII, 22; Matth. VI, 25.

[3] Luc. XVII, 3; Matth. XVIII, 15.

[4] Haec epistola S. Basilii invenitur inter Opera S. Basilii, *Epist.* classis I, ep. 22, Migne, P. G. 32, 287, in initio mutila, ideo et absque nomine destinatarii. Initium epistolae editae l. c. coincidit in mediam propositionem longioris recensionis graecae, qua Clarenus usus est; deinde utraque recensio usque ad finem concordat; Clarenus solam exhortationem finalem omittit. Versio latina, cum a Clareno serviliter e graeco facta sit, saepe obscura est.

Quocirca quod est in humilitate perfectum possidere, ita quod neque progenite superbie habeatur memoria, neque in aliquo circumventio ex natura, aut superfluitas sit in nobis, aut secundum corpus aut secundum animam, hanc extollens, neque conditiones circa nos existentes, [*f.* 11 *r*] que extra nos sunt, suspitiones elationis et nature facere, multo certamine indiget (*a*). Ista habet evangelica vita, quod est in abstinentia bene firmum, quod est amativum laboris in orationibus, quod est conpassivum infirmitatis ex caritate, quod est communicativum ad indigentes, quod est prudentie, humile et deiectum, quod est sanum, fidei et contritionis. In tristitia planum et lene, nunquam nostram (*b*) meditationem et intentionem relinquente terribilis et invitabilis (*c*) loci diiudicationis memoria, ad quem imus omnes. Reminiscuntur et agonie exitus, que (*d*) ab eo paucissimi, multis [1] vero existentibus, que a divina scriptura manifestata (*e*) sunt et hiis que a studiosis debent dirigi inpresentiarum moti a nobis sicut didici ex divina scriptura, in brevi sub memoriali dicere precogitavi.

Primo oportet christianum digna celesti vocatione sapere et digne Christi evangelio conversari, oportet etiam eum non extolli, neque abstrahi ab aliquo a memoria (*f*) Dei et iustificationibus, que secundum legem sunt, memorem factum; oportet non iurare, non mentiri, neque (*g*) blasphemare, neque (*h*) iniuriam facere, neque pugnare, neque seipsum vindicare (*i*), neque *malum pro malo reddere* [2], neque irasci. Set oportet christianum longanimem esse, quodcunque contingit, patientem, et arguere oportune ledentem, set nequaquam seipsum in passione sueipsius (*k*) ultionis vindicantem, set in concupiscentia esse directionis fratris secundum mandatum Domini (*l*).

Nec oportet adversus absentem fratrem aliquid dicere destinatione ei detrahendi, etiam si vera sint que dicuntur, quoniam detractio est, set oportet avertere (*m*) qui fratri detrahit. Et oportet cavere scurrilia loqui, et ridere, et ridentes et derisores non substinere. Et oportet otiosa non dicere, aut aliquid quod neque ad

(*a*) C *indigent.* — (*b*) BC *uestram,* E *ueram.* — (*c*) CE *inevitabilis.* — (*d*) E om. *que ab eo,* add. *ideoque.* — (*e*) C *manifesta.* — (*f*) E *ab emoria* (!). — (*g*) BCE *non.* — (*h*) C *nec,* sicut in sequentibus. — (*i*) C *iudicare.* — (*k*) E *suiipsius.* — (*l*) C *dei.* — (*m*) E add. *eum.*

[1] Hic incipit recensio brevior epistolae vulgatae l. c.

[2] Rom. XII, 17; 1, Thes. V, 15; 1 Pet. III, 9.

utilitatem audientium est, neque ad concessam nobis necessariam a Domino (*a*) utilitatem. Oportet etiam operantes quantum possibile est festinare operari cum quiete, et ipsos, qui operibus presunt, ad illos, qui eis crediti sunt, bonos etiam movere sermones et cum ex[a]minatione dispensare verbum ad hedificationem, ut non contristetur (*b*) Spiritus Sanctus [1]. Nec oportet prosequentes aliquos potestates vel officia appropinquari alicui fratri aut loqui antequam ordinati super curam bone ordinationis, probent in omnibus quomodo placeat Deo, quod fiendum est et (*c*) quod communitati expediens est. Etiam non oportet vino servire, neque erga esum carnium vitiose (*d*) habere, aut universaliter nullius cibi vel potus esse amatorem. [*f.* 11 *v*] *Qui enim in agone contendit, ab omnibus se abstinet* [2]. Set ex hiis, que dantur unicuique ad usum, nichil tanquam proprium (*e*) habere oportet aut recondere. Qui quoque (*f*) super cura (*g*) constitutus est, omnibus quasi dominicis rebus (*h*) adtendet, nichilque ex eis prohiciet aut negliget, seu quasi indifferenter despiciet. Neque enim sui ipsius (*i*) oportet esse quemquam (*k*), set tanquam ex Deo datum ad servitium fratrum, qui unanimes sunt, ita et in omnibus sapere et facere (*l*) unumquemque (*m*) in proprio ordine.

In angustia vero et penuria (*n*) rerum, que sunt ad necessitatem, neque in labore operum murmurare, cum iudicium habeant de singulis que ordinantur istorum, huiusmodi potestatem possidentes. Clamorem vero fieri non oportet, neque quamcunque aliam effigiem aut motum, in quo caractiriçetur (*o*) furor aut elatio, certi quia presentem habemus Deum vel quia in presentia Dei sumus. Oportet autem et necessitati commensurare vocem, neque alicui temere respondere, aut aliquid facere, set in omnibus, quod benignum est et honorabile, ad omnes ostendere. Et nullatenus uti oculo cum dolo aut aliqua figura alia (*p*) vel motu (*q*) membri, qui contristet fratrem aut despectum insinuet. Cavere autem oportet ornari in vestimentis aut calciamentis, quod est perpe-

(*a*) E om. *a domino.* — (*b*) E *tristetur.* — (*c*) E *aut.* — (*d*) B posset legi *uitio se habere,* E *se uitiose habere.* — (*e*) A in margine. — (*f*) C *Quicunque.* — (*g*) B *curam.* — (*h*) B cor. *diebus.* — (*i*) E *iuris.* — (*k*) B *quicunque,* C *quicquam.* — (*l*) E add. *oportet.* — (*m*) BE add. *uero.* — (*n*) B *penuriarum.* — (*o*) B *caractiçetur,* E *carachtizetur.* — (*p*) B om. — (*q*) B *motum.*

[1] Cf. Eph. IV, 30.

[2] I Cor. IX, 25.

ram agere, set oportet vilibus (*a*) uti in hiis omnibus, que sunt ad necessitatem corporis. Non enim oportet, set cavendum est, supra necessitatem et habundantiam et satietatem aliquid consumere, quod est abusus, et honorem querere, aut primatum acquirere, quod est elatio; set oportet unumquemque prehonorare plus seipso omnes et apretiare, et subditum et obedientem esse. Etiam non oportet otiosum comedere valentem operari, set et (*b*) eum, qui circa aliquid dirigendorum ordinatus est, necesse est seipsum violentare ad studium et festinantiam operis secundum virtutem. Nam oportet unumquemque cum examinatione (*c*) eorum qui presunt ita omnia facere cum certificatione et ratione usque (*d*) ad ipsum comedere et bibere (*e*) ad gloriam Dei. Set ab alio ad aliud (*f*) opus transire non oportet absque informatione eorum, qui ad informandum huiusmodi opera sunt ordinati, nisi alicubi aliquem (*g*) inevitabilis necessitas ad auxilium inpotentis repente vocaverit. Quia oportet unumquemque (*h*) manere in eo, in quo ordinatus est, et non, prevaricando propriam mensuram, transire ad (*i*) ea, que sibi pretaxata non sunt, nisi forte qui huiusmodi ordinant, probaverint aliquem indigere auxilio; quia non convenit ab alterius operis (*k*) artificio in alterius aliquem invenire, neque (*l*) ex [*f.* 12*r*] contenptione et rixa adversus quemquam aliquid facere.

Neque invidere alterius probitati, neque gaudere in defectibus alicuius, set oportet in caritate Christi contristari quidem et conteri super defectibus fratris. Etiam super peccantibus indifferenter (*m*) habere, aut super ipsis tacere aut quiescere, non oportet, set eum, qui arguit (*n*), opus est cum omni viscerositate et timore Dei destinatione (*o*) convertendi peccantem arguere. Eum vero, qui arguitur aut increpatur, oportet suscipere promte et cognoscentem esse sui profectus in directione (*p*). Inculpatum autem accusatum ab aliquo alio, coram illo aut aliquibus aliis contradicere accusanti non oportet, set si forsan (*q*) aliquando accusatio inrationabilis apparuerit (*r*), seorsum movere sermonem ad accusantem et certificari (*s*), seu certificare. Unumquemque enim curare oportet, quantum potest, eum qui adversum (*t*) se aliquid

---

(*a*) Sic BCE, A *uilitas.* — (*b*) C om. — (*c*) E *secundum operationem.* — (*d*) C *neque,* B *usque* cor. ex *neque.* — (*e*) E om. *et bibere.* — (*f*) B *illud.* — (*g*) C *aliqua.* — (*h*) A *unumquamque.* — (*i*) B *ab.* — (*k*) E om. — (*l*) C *nec.* — (*m*) E add. *se.* — (*n*) B *set eum argui.* — (*o*) B delevit *destinationem,* in margine *extimacione.* — (*p*) C *indirectione.* — (*q*) BC *forsitan.* — (*r*) E *appareret.* — (*s*) E *certificare seu certificari.* — (*t*) C *aduersus.*

habet. Neque enim convenit malitie illius (*a*), qui peccavit et culpam recognovit et penitentiam egit, memorari, set ex corde dimictere. Similiter et eum, qui se dicit penitentiam agere super peccato, non solum oportet conteri super quo peccavit, set et *fructus dignos penitentie* [1] ostendere. Qui super primis (*b*) delictis correctus est, et remissione dignus est factus, si iterum peccaverit, peius priore parat sibi iudicium ire. Quia oportet permanentem in suo defectu post primam et secundam correctionem (*c*) manifestari ei qui preest, si forte a (*d*) pluribus increpatus erubescat. Si autem sic non corrigitur, sicut scandalum de reliquo abscidatur (*e*), et *sicut ethnicus* (*f*) *et publicanus* [2] videatur ad munitionem (*g*) et certitudinem et festinantiam obedientie operantium, secundum illud quod dicitur: Impiis cadentibus, iusti in timore fiunt. Oportet autem et lugere super eo sicut membro absciso (*h*) a corpore. Neque *super iracundiam* oportet *solem occidere* [3] nequando (*i*) nox in medio amborum dividens, statuatur in die iudicij, et inevitabile iudicium derelinquat. Etiam nullatenus oportet tempus expectare super sua ipsius directione, eo quod de crastino non habeat (*k*) certum, quia multi multa consulentes, crastinam non apprehenderunt. Oportet autem non seduci saturitate ventris: per quam fiunt fantasie nocturne. Oportet (*l*) autem non occupari inmensurata (*m*) occupatione, nec etiam supergredi terminos sufficientie secundum Apostolum qui dicit [4]: *Habentes alimenta et quibus tegamur: hiis contenti simus* (*n*), quia habundantia super oportunitatem ymaginem avaritie insinuat (*o*). Ava- [*f.* 12 *v*] ritia autem sententiam habet ydolatrie (*p*). Oportet non esse amatorem pecunie, neque thesauriçare inutilia, que non conveniunt (*q*). Quia oportet accedentem ad Deum paupertatem sequi (*r*) et nichil possidere, salutare per omnia, et confixum esse timore Domini iuxta dicentem [5]: *Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui* ».

(*a*) E *eius.* — (*b*) B om. — (*c*) E *admonitionem.* — (*d*) E *increpatus a pluribus.* — (*e*) E *abscindatur*, in margine *aliter abscidatur.* — (*f*) B *ethennicus.* — (*g*) E *monitionem.* — (*h*) BE *exciso*, E in margine *aliter abscisso.* — (*i*) E *neque.* — (*k*) E om. — (*l*) C *nec oportet occupari.* — (*m*) C falso *in mensurata.* — (*n*) BC *sumus.* — (*o*) C *insinuant.* — (*p*) C *idololatrie.* — (*q*) A iuxta constructionem graecam *convenit.* — (*r*) A om.

[1] Luc. III, 8; Matth. III, 8.

[2] Matth. XVIII, 17.

[3] Ephes. IV, 26.

[4] Tim. VI, 8.

[5] Ps. 118, 120.

Predicta omnia sanctus Basilius suscipi debere docet ab hiis, qui ad servitutem Domini (*a*) accedunt, ut cooperatione Dei fructus dignos et oportunos sue vocationi (*b*) faciant, et a Christo consulta et religiose vivere volentibus inposita, ut venturi iudicij sententiam non incurrant, set eterne benedictionis (*c*) hereditent gloriam. Omnia enim supradicta evangelij sunt consilia, et evangelice vite et regule inherentia, que omnia inplicite tanguntur in ipsa, et omnia sunt libertatis gratie, a culpis et peccatis solventia (*d*), debita religiose (*e*) vivere volentibus et oportuna, et omnia ad illa tria fundamentalia consilia (*f*) reducuntur, que in principio regule exprimuntur, cum dicitur: *Regula et vita Fratrum Minorum* (*g*) *hec est, scilicet Domini nostri Ihesu Christi sanctum evangelium observare* (*h*) *vivendo* (*i*) *in obedientia, sine proprio et in castitate.*

Qui toto tempore (*k*), quo (*l*) vivit, in odio proprie voluntatis et in amore paupertatis (*m*) manet et crescit et diebus ac noctibus (*n*) cogitat et adinvenit et ardentibus desiderijs et continuis (*o*) gemitibus postulat, ut verus obediens et verus pauper et vere (*p*) corpore et spiritu castus (*q*) et mundus coram Deo inveniatur, et propter Dei honorem omnem penam et omnem mortem prius eligeret quam obedientie, paupertatis et castitatis amorem et tentionem relinquere consentiret. *Ille* enim *homo,* dicit beatus Franciscus [1], *relinquid* (*r*) *omnia que possidet et perdit corpus suum, qui semetipsum totum prebet ad obedientiam sui prelati, et quicquid dicit aut facit, quod ipse sciat quod non sit contra voluntatem eius, dum* (*s*) *bonum sit quod facit, vera obedientia est.* Et iterum de obedientia dicit [2]: *Sancta obedientia confundit omnes corporales* (*t*) *et carnales voluntates, et habet mortificatum corpus* (*u*) *ad obedientiam spiritus et ad obedientiam fratris sui, et est subditus et verus obediens omnibus hominibus qui sunt in* (*v*) *mundo, et non tan-*

(*a*) C *dei.* — (*b*) E *uocationis.* — (*c*) C *hereditatis,* E *beatitudinis hereditet.* — (*d*) BC *soluentur.* — (*e*) D *uiuere religiose.* — (*f*) C om. B in margine. — (*g*) D *minorum fratrum etc.* — (*h*) C add. *etc.* — (*i*) B om. — (*k*) D add. *in.* — (*l*) E om. — (*m*) D add. *et castitatis.* — (*n*) D add. *crescit.* — (*o*) E *gemitibus continuis.* — (*p*) C *verus.* — (*q*) E *castus inueniatur coram deo et mundus.* — (*r*) D *reliquid.* — (*s*) E *dummodo.* — (*t*) D *carnales et corporales.* — (*u*) D add. *suum.* — (*v*) E add. *toto.*

[1] *Admonitio III, Opusc.* p. 6-7.

[2] *Salutatio virtutum, Opusc.* p. 21. Habentur quaedam lectiones variantes a textu edito.

tum hominibus solis, set etiam omnibus bestiis et feris, ut possint facere (*a*) *de eo quicquid voluerint, quantum eis datum fuerit* (*b*) *desuper a Domino* (*c*).

Veram autem obedientiam nemo potest habere nisi ille, qui fuerit omnibus vitiis et concupicentiis primo funditus mortuus (*d*), sicut erat monachus ille [1], qui [*f.* 13 *r*] in desertis ripe Iordanis fluminis habitans, cum ad perfectam Dei obedientiam pervenisset, volens monachos viam vere obedientie erudire, quandoque capiebat viperas et portabat eas (*e*) manibus suis et occidebat in oculis fratrum et dicebat eis: Odite (*f*) laudes hominum, fratres, et fugite vanitatem, et eradicate eam de cordibus vestris, et venenum viperarum (*g*) non nocebit vobis. Et (*h*) ita de singulis venenatis et ferarum catulis faciebat. Vitia et peccata signata in eis docens monachos fugere, et odire, ut per oppositas vitiis illis et peccatis virtutes ad christiane caritatis obedientiam pertingere conarentur, que ab infidelitatis et amoris proprie voluntatis letali veneno et ferali (*i*) crudelitatis rabie, plenam habet et possidet libertatem. De qua magnus ille senex [2] dicit: « Obedientia salus est omnium fidelium, obedientia genitrix (*k*) est omnium virtutum, obedientia regni (*l*) celorum inventrix est. Obedientia est celos aperiens et hominem de terra elevans. Obedientia cohabitatrix (*m*) est angelorum, obedientia sanctorum omnium cibus est. Ex hac ablactati sunt, per hanc ad perfectionem venerunt ».

De paupertate dicebat sanctus Franciscus [3]: *Sancta paupertas confundit omnem cupiditatem et avaritiam et curas et sollicitudines huius seculi.* Et iterum [4]: *Ille servus Dei, qui non irascitur, neque conturbat se pro aliquo, recte vivit sine proprio et beatus est, quia non remanet sibi aliquid, reddens que sunt Cesaris Cesari et que sunt Dei Deo* [5]. Et iterum [6]: *Qui vere pau-*

(*a*) E *de eo facere.* — (*b*) B *desuper fuerit.* — (*c*) C *deo* (d°). — (*d*) C add. *et.* — (*e*) D om. — (*f*) B add. *fratres.* — (*g*) A *uiperum.* — (*h*) D om. *Et ita - subdito peccatis* (p. 43). — (*i*) E *feralis.* — (*k*) C *generatrix.* — (*l*) C *inventrix est regni celorum.* — (*m*) C *communicatrix.*

[1] Cf. *Vitae Patrum,* lib. VI, 3, 11, Migne, P. L. 73, 1002; Ioh. Moschus *Pratum spirituale,* c. 18, P. G. 87, 2866.

[2] Quis sit et ubi dixerit, non inveni.

[3] *Salutatio virtutum, Opusc.* p. 21.

[4] *Admonitio XI, Opusc.* p. 12.

[5] Matth. XXII, 21.

[6] *Admonitio XIV, Opusc.* p. 13.

per spiritu est, seipsum odit, et eum diligit, qui ipsum percutit et affligit.

Castitas seu virginitas prima est virtutis inditium, Deo proxima, angelis similis, parens vite, amica sanctitatis, magistra humilis securitatis, domina (*a*) gaudij (*b*), dux virtutis, fomentum corone (*c*), fidei et spei adminiculum, subsidium caritatis. Castitas est iocundum et amabile Ihesu (*d*) Christi templum et habitaculum, supernaturalis abnegatio nature, effectus sanctificationis incarnati Verbi et mortis resurrectionisque eius (*e*) incorruptibilis fructus. Animam castam Christus Verbum Patris et sapientia inhabitat, et iocunditatis sue aspectum convertit in eam et specularem visionis sue gloriam ostendit ei. Quicquid habet omnis, qui famulatur ei, sine castitate, sive sapientiam, sive scientiam, sive eloquentiam, sive prophetiam, sive miracula et curationum gratiam, nichil est. Anima enim, si casta non [*f.* 13*v*] est, *Deo placere non* potest [1]. Castus est qui ab omni inquinamento carnis et spiritus mundus est. Qui Christum Dei sapientiam habitatorem habere desiderat, ad castitatis (*f*) amorem totum suum desiderium plene convertat et occurret ei castitatis creator, donator et conservator Ihesus, et quod non habet ex natura, dabit ei (*g*) ex gratia, et castum faciendo, sapientificabit eum, quia absque castitate inpossibile est hominem sapientia que de sursum est, esse sapientem, quia non habitat sapientia *in corpore subdito peccatis* [2].

Sane, quia omnis virtus et omnis veritas et omnis gratie sanctitas in sempiterno obedientie, paupertatis et castitatis amore et tentione possidetur, ideo dicit: *Vivendo in obedientia, sine proprio et in* (*h*) *castitate.* Nam qui (*i*) ab obedientie, paupertatis et castitatis amore, observantia et operatione se segregat, agnum Dei conculcat et sanguinem testamenti (*k*) pollutum ducit et spiritui gratie contumeliam facit et *concupiscentie carnis et oculorum et superbie vite* [3] se tradens, bonis eternis se pro vilibus privat et amarissimis suppliciis gehenne (*l*) obligat.

(*a*) C *domina - adminiculum* in margine. — (*b*) E add. *et.* — (*c*) E add. *et.* — (*d*) E om. — (*e*) A in margine. — (*f*) E *castitatem,* om. *amorem.* — (*g*) E add. *ipse.* — (*h*) B om. — (*i*) D om. — (*k*) E *dei.* — (*l*) DE add. *se.*

---

[1] Cf. Rom. VIII, 8.

[2] Sap. I, 4.

[3] Cf. 1 Ioh. II, 16.

Fr. Franciscus promictit obedientiam et reverentiam domino pape Honorio, ac (*a*) *successoribus eius canonice intrando* (*b*) *et ecclesie Romane. Et alii fratres* (*c*) *teneantur f. Francisco et eius successoribus obedire.* Quoniam iuxta fidei magnitudinem et caritatis perfectionem in unoquoque homine, statu et ordine, subiectionis veritas, obedientie integritas et inseparabilis adhesionis ad Christum et ad suum vicarium et ecclesiam catholicam unitas requiritur (*d*), ideo supprema fide et seraphyca caritate repletus, vite Christi immitator (*e*) Franciscus in persona sua (*f*) et omnium sui status *obedientiam et reverentiam* inmediatam perfectissimo et suppremo modo *promictit domino pape Honorio et* (*g*) *successoribus eius canonice intrantibus, et ecclesie Romane.* Non tantum *obedientiam promictit* prout omni credenti est (*h*) necessaria ad salutem, set ut fundamentalem (*i*), promotivam et perfectivam evangelice regule (*k*) promissionis et vite, eo quod omnis religio quanto perfectior tanto intimius et efficatius intrinsecatur ecclesie, et obedientie Christi vicarij et Romani sacri collegij reverentius et humilius subiecta famulatur. Quoniam in plenitudine talis obedientie (*l*) sanitas (*m*), salus et vita, in relictione vero eius et contemptu, error, mors [*f.* 14 *r*] et amara dampnatio [1]. Ex qua re signanter dicitur, quod *domino pape Honorio et* (*n*) *successoribus* (*o*) *eius canonice intrantibus et ecclesie Romane promictit obedientiam et reverentiam* (*p*), quam ipse tunc promisit pape Honorio et pontificibus sui temporis et (*q*) ecclesie, intelliguntur (*r*) promisisse.

Preterea, sicut [2] sotii sui referebant et fr. Leo scribit, « future tribulationis intelligebat per Spiritum Sanctum tempora propin-

(*a*) D *et.* — (*b*) E *intrantibus.* — (*c*) D add. *etc.* reliqua om. — (*d*) D om. — (*e*) D add. *et innouator.* — (*f*) E *sui.* — (*g*) E *ac.* — (*h*) D *necessaria est.* — (*i*) E add. *et.* — (*k*) C add. *et.* — (*l*) E add. *est.* — (*m*) BC *sanctitas.* — (*n*) E *ac.* — (*o*) D *eius successoribus.* — (*p*) B manu posteriore in margine add. *quia singuli speciatim et vniuersaliter omnes regulam promictendo eandem obedientiam.* — (*q*) E om. *et ecclesie.* — (*r*) E *intelligitur.*

[1] Cf. supra, p. 10, nota 3; p. 33.

[2] Quae sequuntur narrationes usque ad textum Reg. 1. in fine huius capituli, p. 48, habentur etiam ap. sic dicta *Verba Conradi de Offida, Misc. Franc.* VII, 135-136, § 9 post initium; *Opusc. de crit.* I, 386, c. 12, n. 4 ss. Ordo vero invertitur in aliquibus locis; ita versus finem narrationis ap. Clarenum inseritur § 7 *Misc. franc.*, c. 10 *Opusc. de crit.* qui textus in *Verbis fr. Conradi* est caput anterius independens. Tota narratio in *Verbis Conradi* terminat: *Haec de verbo ad verbum*

quare, in quibus temporaliter et spiritualiter perplexitates et discrimina (*a*) inundarent et *caritas multorum refrigesceret et superhabundaret iniquitas* [1] et demonum potestas plus solito solveretur et sue religionis et aliarum puritas maculata deformaretur et prophetata discessio et apostasia ab utroque imperio compleretur in tantum, quod summo pontifici et ecclesie Romane paucissimi ex caritate veritatis obedirent. Et quod aliquis non canonice electus et heretica pravitate infectus, in articulo tribulationis illius assumptus ad papatum, multis mortem sui erroris sagaciter propinare molíretur (*b*). Et quod tunc multiplicarentur scandala et divideretur sua religio et plures ex aliis frangerentur, eo quod non (*c*) contradicerent, aut (*d*) consentirent errori, essentque (*e*) oppiniones et scismata tot et tanta in populo et in religiosis et clero, quod *nisi breviarentur dies illi,* iuxta verbum evangelij, *si fieri posset, inducerentur in errorem etiam electi* [2], et nisi in tanto turbine ex inmensa Domini (*f*) misericordia regerentur. Voluit ergo (*g*) secundum quod ex revelatione acceperat in illis verbis necessariam veris humilibus et pauperibus, Christo et sue ecclesie fideliter et inseparabiliter inherere amantibus, iuxta evangelice vite promisse votum, discretionis prebere scientiam et venturi in ecclesia scandali prenuntiare periculum et dare remedium. Videlicet quod tunc caute incederent et fortius et perfectius observantie promisse vite et regule se (*h*) munirent vel unirent, quando aliquem non canonice electum papatum usurpare tyrampnice aut heretica pravitate

(*a*) E *pericula.* — (*b*) D *molietur.* — (*c*) E om. — (*d*) C *et,* E add. *non.* — (*e*) D *exient quoque.* — (*f*) C *dei.* — (*g*) E add. *s. F.* — (*h*) D om. *se munirent.*

dicta sociorum beati Francisci, dum initio sive fr. Leo, sive fr. Conradus ut fontes indicantur. Hi textus quoad substantiam indipendentes sunt a Clareno, cum habentur inter *Verba Conradi* († 1306), Ubertino a Casali, *Arb. Vit.,* V, 5, fol. E III r a; V, 4, fol. E v b, saltem oretenus iam nota, et non est dubium, quin tum Clarenus, tum collector *Verborum Conradi* ex tertio communi fonte hauserint. Eo ipso autem nihil impedit quominus etiam textus « Legendae veteris » ed. Sabatier, *Opusc. de crit.,* I, 87, sit, contra sententiam P. Van Ortroy, *Anal. Boll.* 21, 442, independens ab hoc Clareni loco; et revera textus « Leg. vet. » illo Clareni et *Verborum Conradi* antiquior videtur, ex gr. in textu ap. *Verba Conradi, Op. crit.* I, 389; *Misc. franc.* VII, 136, et ap. Clarenum p. 47: « Qui vero spiritu ferventes ex caritate adherebunt pietati et veritati, *tanquam inobedientes et scismatici,* persecutiones innumeras sustinebunt » in « Leg. vet. » p. 89, non habentur verba in cursivo posita, quae de facto apparent interpolata. De evolutione huius textus cf. *Introductionem.*

[1] Cf. Matth. XXIV, 12. [2] Cf. Matth. XXIV, 22; 24.

infectum perverse tenere viderent (*a*). Quoniam tunc, ut dicebat, felices qui perseveraverint in hiis que ceperunt, et spontanee promiserunt (*b*) Domino observare ».

« Dicebat enim (*c*) sanctus Franciscus et (*d*) coram domino Hostien- [*f.* 14 *v*] se et multis fratribus et etiam in populo frequentius predicavit [1], quod fratres sui, malignis spiritibus procurantibus, a via sancte (*e*) simplicitatis et altissime paupertatis recederent, et quod (*f*) pecuniam et testamenta et quecunque alia eis legata reciperent et, locis pauperculis et solitarijs relictis, in castris et civitatibus loca hedificarent sumptuosa et magna, que non statum pauperum ostenderent set fastum (*g*) mundi dominorum et principum. Et quod privilegia ab ecclesia et summis pontificibus cum multa astutia et humana prudentia et inportunitate procurarent et inpetrarent, promisse regule et vite sibi a Christo revelate non solum relaxantia, set destruentia puritatem, quibus muniti ad litigia et inferendas iniurias non tantum mundi hominibus, set etiam aliis religiosis et clero, superbiendo presumerent, et quod sibi ipsis laqueum foderent, in quem finaliter caderent (*h*), et seminarent semina de quibus multa scandala meterent. Et quod dignum dignis non pastorem set exterminatorem micteret eis Christus, qui *iuxta eorum adinventionem* [2] et studia *retributionem redderet* eis [3] et moveret bellum et temptationem validam, sicut meruerunt (*i*) inducere super eos, ut involvantur et illaqueentur (*k*) in (*l*) cupiditatibus desideriorum suorum, et iusto Dei iudicio castigati ad sue vocationis statum humiliati redeant aut a vivifico (*m*) salutari modo

(*a*) C *viderint.* — (*b*) B *domino promiserunt.* — (*c*) B om. — (*d*) BE om. — (*e*) *sanctissimę.* — (*f*) C om. — (*g*) BCE *statum,* D *faustum.* — (*h*) D *cadent.* — (*i*) C add. *et.* — (*k*) BC *illaqueantur.* — (*l*) D om. — (*m*) E add. *et.*

[1] « Leg. Vetus » sic incipit cap. *Op. de crit.* I, p. 87: *Praedixit sanctus Franciscus coram domino Ostiensi et fratribus multis et populo frequentius praedicavit, prout socii qui audierunt, scilicet frater Bernardus, frater Leo, frater Angelus sunt testati, quod fratres sui* etc. quae fere eadem verba a Clareno infra, p. 47, adhibentur ad aliam narrationem introducendam, quod monstrat duos auctores ex tertio quodam fonte hausisse, qui attribuebatur sociis illis nominatis. In *Verbis Conradi,* uti monui, hic textus praecedit totam « prophetiam » ut cap. independens. De caetero indicatur verbo transitionis et coniunctionis *enim,* quod ap. *Verb. Conr.* et in « Leg. Vet. » deest, hic agi de textu quodam compacto transumpto.

[2] Cf. Ier. XXXII, 19.

[3] Cf. Ps. 27, 4.

vivendi, quem coram Domino (*a*) usque in finem se servaturos firma sponsione iuraverant (*b*), funditus evellantur ».

« Nam veritas tunc a predicatoribus operietur silentio vel conculcata negabitur et vite sanctitas a suis profexoribus habebitur in derisum. Qui vero spiritu ferventes ex caritate adherebunt pietati et veritati, tanquam inobedientes et scismatici, persecutiones innumeras substinebunt ».

Predicebat (*c*) enim sanctus Franciscus, sicut sotii sui (*d*) s. (*e*) fr. Bernardus (*f*) et fr. Angelus et fr. Masseus et fr. Leo et ceteri sui sotii post ipsius transitum ad Dominum testabantur, quod « tunc tanta erit demonum et hominum perversorum contra simpliciter et humiliter (*g*) gradientes insultus et agitatio, ut relicti ab omnibus cogantur deserta loca et solitaria petere (*h*), vel ad infideles transire, [*f.* 15 *r*] aut dispersi, habitu seculari assumpto, peregrinam agere vitam, vel latere apud quoscunque fideles, vel sub innumeris calumpniis et querelis penas et mortem substinere. Et beatus erit, dicebat, qui in tanto turbine sotium poterit invenire fidelem. Nam persequentes eos a malignis spiritibus agitati magnum esse *obsequium Dei* (*i*) [1] dicent, tam pestilentes homines interficere et delere de terra [2]. Nec intelligent quia demones totum suum inpetum et furorem convertent omnem vite sanctitatem et paupertatis et humilitatis evangelice veritatem, quam misericorditer Christus per duo (*k*) illa magna (*l*) celi luminaria in ecclesia innovaverat, Dominicum videlicet (*m*) et Franciscum, exterminare in eorum germine et exinanire, si permictantur (*n*), usque ad fundamentum. Tunc inpie agent inpij, nec intelligent; excecabuntur enim oculi eorum ne videant et corda eorum indurabuntur et *dorsum eorum semper incurvabitur* [3], ut ex cecitate intentionem subiugatam in malis habeant, et Deum exacerbantes, vitam gratie perdant et eternam dampnationem incurrant, nisi contriti convertantur ad Christum et videant vias

(*a*) C *deo.* — (*b*) E *deuouerant,* in margine *aliter: iurauerant.* — (*c*) C *predicabat.* — (*d*) C *eius,* D *sociis suis.* — (*e*) hoc potest legi *scilicet* vel *sanctus,* D om. — (*f*) E add. *de Quintaualle.* — (*g*) D om. *et humiliter.* — (*h*) E *quaerere.* — (*i*) E om. — (*k*) E *illa duo.* — (*l*) B *celi magna.* — (*m*) C *scilicet.* — (*n*) D *permictatur.*

[1] Cf. Ioh. XVI, 2.

[2] His verbis cessat narratio «Legendae veteris». *Verba* vero *Conradi* continuant sicut Clarenus.

[3] Cf. Ps. 68, 24.

vite, et cessent a persecutione innocentium et pauperum humilium odio et pressura. Erit enim refugium afflictis Dominus et salvabit eos et eruet eos a peccatoribus et liberabit eos, quia (*a*) speraverunt in eo. Nam cum contra Christum et supra Christum antichristus et eius membra nequiter se extollent: tunc pauperes et fideles Christi servi, ut (*b*) suo capiti conformentur, fiducialiter agent et per mortem vitam mercantes eternam, *obedire Deo magis quam hominibus*[1] et mori potius quam assentire falsitati et perfidie, eligere nullatenus formidabunt[2] ».

Primum (*c*) autem capitulum regule, quam dominus papa Innocentius approbavit, hoc erat[3]:

Regula et vita istorum fratrum hec est, scilicet vivere in obedientia, in castitate et sine proprio et Domini nostri Ihesu Christi doctrinam et vestigia sequi. Qui dicit[4]: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia que habes et (*d*) da pauperibus et habebis thesaurum in celo et veni (*e*) sequere me. *Et*[5]: si quis (*f*) vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. *Item*[6]: Si quis vult venire ad me et non odit patrem et matrem (*g*), uxorem et filios, et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et[7] omnis, qui reliquerit patrem aut matrem, fratres aut sorores, uxorem aut filios, domum (*h*) aut agros propter me, centuplum accipiet [*f.* 15 *v*] et vitam eternam possidebit.

Hucusque (*i*) prime regule capitulum primum. Secundum autem eiusdem regule[8] *de receptione fratrum et vestimentis.*

Si quis divina inspiratione voluerit accipere hanc vitam et venerit ad fratres nostros, benigne recipiatur ab eis. Quod si

(*a*) D *qui.* — (*b*) B *et.* — (*c*) C om. usque Cap. II Expositionis, D om. usque *Hec predicti magistri* (p. 53), E (rubrica) *In nomine patris et filii et spiritus sancti. In prima regula et uita fratrum minorum sic erat.* — (*d*) E om. *et da - celo.* — (*e*) B add. *et.* — (*f*) B *Et qui.* — (*g*) B add. *et.* — (*h*) E *domos.* — (*i*) E om. *Hucusque - uestimentis.*

[1] Act. V. 29.

[2] *Verba Conradi* add.: *Haec de verbo ad verbum dicta sociorum beati Francisci.*

[3] *Opusc.* p. 25.

[4] Matth. XIX, 21.

[5] Luc. XIV, 26.

[6] Matth. XVI, 24.

[7] Matth. XIX, 29.

[8] *Opusc.* p. 25-27. Apud Clarenum plures lectiones variantes a textu vulgato.

fuerit firmus accipere vitam nostram, multum caveant sibi fratres, ne de suis negotijs temporalibus se intromictant, set suo ministro, quam cicius possunt, eum representent. Minister vero benigne ipsum recipiat et confortet, et vite nostre tenorem sibi diligenter exponat. Quo facto, predictus, si vult vitam istam accipere, omnia sua vendat, si potest spiritualiter sine inpedimento, et ea studeat pauperibus erogare. Caveant vero (*a*) *sibi fratres et* (*b*) *ministri fratrum, quod de negotiis suis nullo modo intromictant se, neque recipiant ab eo aliquam pecuniam, neque per se neque per interpositam personam, si tamen indigent alijs necessarijs* (*c*) *corporis preter pecuniam: recipere* (*d*) *possunt fratres causa presentis necessitatis, sicut et alij pauperes. Et cum reversus fuerit, minister concedat ei pannos probationis usque ad annum, videlicet duas tunicas sine caputio, et cingulum et brachas et capparonem usque ad cingulum. Finito vero anno probationis et termino, recipiatur ad obedientiam. Postea non licebit ei ad aliam religionem accedere, neque extra obedientiam evagari, iuxta mandatum domini pape, quia secundum quod dicit sanctum evangelium* [1]: Nemo mictens manum ad aratrum et aspiciens retro, aptus est regno Dei. *Si autem aliquis venerit, qui sua dare* (*e*) *non potest sine inpedimento et habet spiritualem voluntatem: relinquat illa et sufficit ei. Et nullus recipiatur contra formam et institutionem sancte* (*f*) *ecclesie.*

Alij vero fratres, qui promiserunt obediëntiam, habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio, si necesse fuerit, et cingulum et brachas. Et fratres vilibus vestibus (*g*) *induantur, et possint ea repetiare de saccis et alijs petiis cum benedictione Dei, quia dicit Dominus in evangelio* [2]: Qui in veste pretiosa sunt et in delitiis, et qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. *Et licet dicantur ypocrite: non cessent* (*h*) *tamen bene facere, nec querant caras vestes in hoc seculo: ut possint habere vestimenta* (*i*) *immortalitatis et glorie in regno celorum* (*k*).

(*a*) A in margine, B *sibi uero.* — (*b*) E add. *eorum,* om. *fratrum.* — (*c*) E *corporis necessariis.* — (*d*) E *possunt recipere.* — (*e*) E *non potest dare.* — (*f*) B add. *romane.* — (*g*) E *uestimentis.* — (*h*) E *tamen cessent.* — (*i*) E *immortalitatis uestimenta.* — (*k*) BE add. *amen.*

[1] Luc. IX, 62.
[2] Marc. IX, 28.

[*f.* 16 *r*] [Secundum Capitulum] (*a*).

Si qui voluerint hanc vitam accipere et venerint ad fratres nostros [1] etc. Sanctus Franciscus fratribus suis eum rogantibus ut virum quendam modeste conversationis exortaretur ad religionis ingressum, respondit: Fratres (*b*), non est meum neque vestrum aliquem ad vitam nostram adsumendam inducere, set nostrum est penitentiam exemplo operum et sermonibus omnibus predicare, et ad Christi amorem et obsequium et (*c*) mundi odium et contemptum omnes attrahere. Ipsius vero Domini (*d*) est, qui solus hominibus expedientia novit, eligere ad hanc vitam et vocare quos ydoneos fecerit, et quibus eam adsumendi et servandi dederit gratiam. Unde ipse, qui plantavit religionem, vult quod eius gubernationem et augmentum et conservationem ei penitus relinquamus. Quoniam una (*e*) de viis, per quam demones [2] hanc religionem inpugnabunt, erit mala et indiscreta receptio. Inducent enim maligni spiritus perversos quosque ad religionis ingressum et ministrorum animum ad receptionem multorum inflammabunt et in hiis quos recipient, non experientur propositi firmitatem, intentionis rectitudinem et sancte voluntatis fervorem; set attendent ad nobilitatem generis et ad divitias, vel scientie aut (*f*) artis industriam et hominum famam. Qui, cum recepti fuerint, sibi ipsis et aliis de suo sensu regulam facient et Christo gratam puritatem sancte regule servare parvipendent. Unde contra demonum (*g*) astutias et ad legitimam religionis propagatio-

(*a*) A add. manu post. B om. E (rubrica) *De his qui uolunt uitam istam accipere et qualiter recipi debeant. c. II.* — (*b*) E add. *mei.* — (*c*) E add. *ad.* — (*d*) C *dei.* — (*e*) A *unam,* B cor. ex *unam.* — (*f*) E *et.* — (*g*) E *astutias dęmonum.*

[1] *Opusc.* p. 64.

[2] Sequens recitatio est allusio ad « concilium daemonum » Trib. I, ed. Tocco, p. 49 ss; Döllinger, II, 450 ss; *Leg. ant.* c. 22, p. 46; *Anal. Franc.* III, 27-28; cf. 268-69; IV, 444-45.

nem et permanentiam, Christus vult, quod solum (*a*) ministri recipiant, et quod ad ministerium soli illi adsumantur, qui Christum et eius spiritum in se habeant, et qui ea, que Christi sunt, querant et sapiant, per quos in puritate et sanctitate vite et in omni morum honestate et perfectione virtutum permaneat semper tota religio.

Unde papa Gregorius in declaratione [1], quam fecit super regulam ad petitionem et instantiam fratrum, dicit ministros (*b*) provinciales non posse hanc licentiam suis vicariis concedere « quia nec hoc ipsis ministris permictitur (*c*), nisi eis super hoc (*d*) a generali ministro specialis licentia concedatur [2] ». Nam tempore beati Francisci communiter omnes ad religionem venire volentes de partibus Ytalie mictebantur ad eum, tum (*e*) quia recipiendi ardebant desiderio videndi eum propter sanctitatem eius, tum quia orationum ipsius merito [*f.* 16 *v*] recepti et induti ab eo, benedictionis eius (*f*) gratiam se recepisse gaudebant et spiritualis virtutis incrementum se habituros nullatenus dubitabant (*g*). Et cautum fuit antiquitus apud eos religiosos perfectos ad se venientes cum multa difficultate et experimento eorum obedientie, et prius omni denudatos facultate mundana tantum recipere, sicut ex *Vitis* et *Institutis* (*h*) [3] *Patrum* et *Collationibus* [4] et *Regula sancti Basilij* [5] et aliorum sanctorum operibus et scriptis, qui de hoc tractaverunt (*i*), plenissime patet. Habundantius autem sanctus Franciscus se ipsum declaravit et denuntiavit fratribus in nomine Domini (*k*) Ihesu Christi presentibus et venturis usque ad seculi finem, verbo (*l*), operibus et scripto, quod non erat sua intentio, nec Christi beneplacitum et voluntas, qui ei misericorditer apparuerat et revelaverat regulam, quod fratres eam aliter exponerent vel glosarent [6], quam ipse sensus

(*a*) C *soli.* — (*b*) B *ministro prouinciali.* — (*c*) E *permittit.* — (*d*) B *hec.* — (*e*) A in margine. C om. *tum - propter,* B idem in margine. — (*f*) E *ipsius.* — (*g*) BC *formidabant.* — (*h*) B om. — (*i*) E *plenissime tractauerunt.* — (*k*) BCE add. *nostri.* — (*l*) BC add. *et.*

[1] Bulla *Quo elongati, Bull. Franc.* I, 68 ss.

[2] l. c. p. 70. Clarenus hic transit, sed parum infra, p. 52, alludit ad aliam Bullam Greg. IX: *Gloriantibus vobis,* 19 jun. 1241, *Bull. Franc.* I, 298, qua illa licentia alios delegandi ad receptionem concessa est, uti testantur etiam Quattuor Magistri, c. 2, *Firm.;* Paris. 1512, IV, f. 18 r a; Venetiis 1513, III, f. 16 r a.

[3] Cassianus, *De Coenobiorum institutis,* IV, 3, Migne P. L. 49, 154 s.

[4] Cassianus, *Collationes,* Migne, P. L. 49, 477 ss.

[5] *Reg. fusius tractata,* Interrogatio 10, Migne, P. G. 31, 943 ss.

[6] Testament. *Opusc.* p. 82; *Spec. perf.* c. 1-2. ed. Sabatier, p. 1-7.

eius licteralis sonat fideliter intellectus. Et [1] quod nullo modo presumerent de hoc licteras a curia Romana petere, neque pro confessionibus audiendis, neque pro predicationibus faciendis, aut locis vel ecclesiis hedificandis, neque pro suorum corporum persecutione, quia si in pura et simplici regule et testamenti observantia et intelligentia permanerent, sicut simpliciter et pure ipse a Christo regulam et testamentum acceperat, quod (*a*) talis intelligentia et observatio coram Deo sancta, spiritualis et recta, sine errore et inpedimento, perduceret eos ad vitam eternam.

Quatuor vero (*b*) magistri Ordinis Minorum, videlicet « fr. Alexander de Alis (*c*), fr. Iohannes de Ruppella, fr. Robertus de Bassia et fr. Rigaldus » [2] una cum (*d*) fratre Gaufredo tunc custode Parisiense, qui ex mandato capituli generalis exposuerunt regulam et miserunt eam fratri Aimoni tunc generali ministro, dicunt quod propter « obtemptum postmodum (*e*) privilegium, per quod ministris non solum recipiendi fratres licentia conceditur, set etiam potestas aliis concedendi [3] » ; quod « non videtur securum aliquibus fratribus recedere propter privilegia ab intentione regule, quam voverunt et maxime quia simili modo timent inposterum corrumpi regule veritatem. Quia sicut in hoc casu propter aliquam (*f*) evidentem utilitatem est dispensatorium privilegium inpetratum: ita propter manifestam que videbitur alicui necessitatem poterunt contra alios regule articulos inpetrari [4] ». [*f.* 17 *r*]. Similiter pape Gregorij declaratio dicit [5], super illum (*g*) regule articulum, videlicet (*h*): *Nullus fratrum populo penitus audeat predicare, nisi a ministro generali* (*i*) *huius fraternitatis fuerit examinatus et approbatus et ab eo sibi* (*k*) *officium predicationis concessum,* « quod nulli potest absenti hoc committere generalis minister [6] ». Subduntque (*l*)

(*a*) BCE *quia.* — (*b*) B om. — (*c*) E *Ales.* — (*d*) B om. — (*e*) E *mox.* — (*f*) E *euidentem aliquam.* — (*g*) B *illud.* — (*h*) C om. — (*i*) E om. — (*k*) C *officium predicationis sibi.* — (*l*) C *subdunt,* B *subdicunt.*

---

[1] Testament. *Opusc.* p. 80.

[2] Ex Prologo *Expos. Quatt. Magist.* Pro *Bassia* lege *Bastia.*

[3] *Exp. Quatt. Magist.* c. 2, *Firm.,* Paris. 1512, IV, f. 18 r a; Venet. 1513, III f. 16 r a.

[4] l. c. f. 18 r b; ed. Venet. f. 16 r b textus Clareni parumper diversus est ab illo edito.

[5] *Quo elongati, Bull. Franc.* I, 69.

[6] L. c.; *Quod hoc Generalis Minister nulli potest absenti committere.*

prefati magistri [1]: « Quia hoc laxatum (*a*) est propter privilegium inpetratum (*b*) [2], timetur a multis, quod similiter per alia privilegia inpetranda posset tota perfectio regule inposterum relaxari. Quare non videtur conscientijs securum a regula quam voverunt recedere propter aliqua privilegia inpetrata ». Hec (*c*) predicti magistri.

Sanctus autem (*d*) Franciscus [3] per Christi (*e*) spiritum prescius futurorum malorum, que contra perfectionem vite sibi a Christo inspirate (*f*), erant in (*g*) fine dierum per demones et homines suscitanda, ammonebat fratres sub nullius utilitatis (*h*) aut necessitatis seu spiritualis hedificationis specie a regule promisse pura et sancta intelligentia et operatione et paupertatis et humilitatis amore declinare debere, si veraciter Deo placere et de adversarijs visibilibus et invisibilibus victoriam habere cupiebant. Quia futurum est ut (*i*) per privilegia et humane prudentie industriam et sui sensus extimationem et complacentiam tantum a sinceritate et veritate observantie sue vite et regule fratres discedant (*k*) quod amorem et operationem eorum que promiserunt non solum relinquent, set iusti apparere volent, cum id quod promiserunt, oderint in alijs et extinguent. Ignorantes enim demonum astutias et suarum affectionum inclinationes ad malum (*l*) non precaventes, confidenter dicent, quod non est (*m*) contra regule puritatem pro confessionibus audiendis et predicationibus magis libere faciendis et ecclesijs (*n*) hedificandis et fratribus multiplicandis et infirmis fovendis et personis devotis sepeliendis et studijs et libris multipticandis et pro alijs, que ad utilitatem et firmitatem et spiritualem statum totius religionis faciunt, privilegia a summo pontifice impetrare. Quia omne quod habet rationem evidentis utilitatis aut spiritualis profectus et commodi: pro pura et vera regule observantia sunt (*o*), eo quod spirituales potestates et ampliationes iuxta exigentiam temporum et spi-

(*a*) E *relaxatum.* — (*b*) E add. *quod similiter* quod deinde om. — (*c*) B *hoc.* — (*d*) D *etiam.* — (*e*) C add. *Iesu,* E *spiritum Christi.* — (*f*) E *reuelat*ȩ, in margine *aliter: inspirat*ȩ. — (*g*) D om. *in - dierum.* — (*h*) E *necessitatis aut utilitatis.* — (*i*) E *quod.* — (*k*) B *discederent,* C *discedent.* — (*l*) A *ad malum* in margine. — (*m*) D om. — (*n*) D *hedificandis ecclesijs.* — (*o*) B *est,* cor. ex *sunt.*

[1] L. c. c. 9, *Firm.* 1512, IV, f. 20 v a; 1513, f. 18 v b. Textus editus parumper differt.

[2] Bulla Greg. IX, *Prohibente Regula,* 12 dec. 1240, *Bull. Franc.* I, 287.

[3] Cf. similia apud Olivi, *De perf. evan.* Quaest. 14, ALKG, III, 529-30. Clarenus hic declamat contra privilegia mendicantium.

ritualium utilitatum (*a*) facte, nullum possunt perfectioni et finali intentioni regule preiudicium generare. Et non considerabunt, quia (*b*) male Deum magnificat, qui per inobedientiam eum [*f.* 17 *v*] honorificare (*c*) se putat. Et male animas aliorum salvat, qui suam dampnat. Et inutiliter ecclesiam ex lapidibus construit, qui a paupertatis et humilitatis promisse operatione recedit. Et frustra sotiorum congregat numerum, qui virtutis amatorum (*d*) non habet consortium. Et infirmorum corporum (*e*) necessitatibus stulte (*f*) providet, qui anime sue languoribus contraria prebet. Et qui propter sepulturas mortuorum, que ad Christi promissam immitationem necessaria sunt, obmictit, se ipsum regno celorum ineptum facit. Et seductus libris multiplicandis insudat, qui sanctitatis et virtutis exercitium (*g*) non multiplicat. Et errans ac illusus in vanum laborat, qui cordis sui adinventiones et demonum sub specie (*h*) spiritus immissiones suscipiens, spiritualis (*i*) ordinis sui statum, quem confundit et destruit, hedificare se putat. Neque enim ex humani sensus prudentia et sapientia adinventa rationem habent evidentis utilitatis et spiritualis profectus, neque pro regule sunt (*k*), prout concludunt, observantia, set secretam (*l*) exterminij spiritualis utilitatis et profectus (*m*) iniquam operationem nutrit et fovet et contumeliam papalis auctoritatis et ecclesie iurisdictionis ac preiudicium inportat et generat, omne quod mandatorum et consiliorum Christi fideli et pure observantie contradicit et (*n*) obviat.

Nam sicut (*o*) fr. Leo scribit [1], sanctus Franciscus « sepe dicebat sotiis (*p*) suis: In hoc est dolor et afflictio mea, quod ea que cum multo labore orationis et meditationis a Domino (*q*) per suam misericordiam obtineo pro utilitate presenti et futura totius religionis et ab eo sum certificatus quod (*r*) secundum voluntatem eius sunt, et (*s*) aliqui fratres ex subtilitate (*t*) et prudentia scientie (*u*) sue evacuant et sunt michi contrarij, dicentes: Ista sunt tenenda

(*a*) A *utilitatuum.* — (*b*) B *quod.* — (*c*) E *honorare.* — (*d*) B *morum* cor. ex *amatorum.* — (*e*) E om. — (*f*) D *subtilitatem.* — (*g*) BC *exemplum.* — (*h*) D *spe.* — (*i*) E add. *sui.* — (*k*) E om. — (*l*) C *secreta.* — (*m*) D *profectos.* — (*n*) D om. *et obuiat.* — (*o*) B om. — (*p*) E *fratribus.* — (*q*) C *deo.* — (*r*) E add. *sunt,* quod deinde om. — (*s*) BE om. — (*t*) A *suttilite,* B *uoluntate.* — (*u*) CD *sue scientie.*

[1] Duo loci qui sequuntur habentur in *Spec. perf.* c. 11, p. 29, sed ordine inverso; pariter ap. *Intent. Reg.*, *Doc. ant. franc.* I, 99; Uber. a Cas. *Arb. Vit.* V, 3, f. D III r b. Cf. similia ap. *Tribulat.*, ed. Tocco, p. 17; Döllinger, II, 426.

et observanda, et ista non ». Et (*a*) « sepe dicebat hunc sermonem: Veh illis fratribus, qui sunt michi contrarij, de hoc quod cognosco quod voluntas Domini est pro maiori utilitate totius religionis », et dicit ista sunt tenenda et ista non. Fuit ergo voluntas beati Francisci quod minister generalis solis provincialibus ministris recipiendi fratres licentiam concederet, sicut regula dicit (*b*). Quoniam (*c*) quantum distat celum a terra, tantum sensus fratrum et scientia distabat (*d*) a sensu et scientia, quam sanctus Franciscus a Christo et eius spiritu inmediate doctus ad utilitatem et perpetuam firmitatem totius religionis acceperat. Set post sensum (*e*) abeuntes fratres [*f.* 18 *r*] plurimi elegerunt arctam viam regule, *que* ducebat (*f*) *ad vitam* [1], contra testamentum et mandata patris ampliare, honore (*g*) patris et obedientia fidei regularis perfectionis et puritatis operibus obmissa (*h*) et verbo retenta (*i*).

Ut autem periculum receptionis infidelium personarum et in fide errantium vitaretur, vult quod *ministri examinent* venientes ad ordinem *de fide,* idest de articulis fidei credendorum (*k*), *et ecclesiasticis sacramentis,* quibus regeneramur et Christum induimus et confitemur et ecclesie unitati subditi et obedientes efficimur. Quorum fidei puritate et sinceritate percepta, et libertate ab omni vinculo et inpedimento rationabili, quo inepti et insufficientes ad religionis ingressum sunt plurimi, diligentius explorata, et presertim si *uxores non habent,* vel *monasterium intraverunt* (*l*) *uxores vel licentiam* (*m*) etc. Et quia de (*n*) iure evangelico post consummatum matrimonium divortium per ingressum ad religionem et votum castitatis sollempniter coram episcopo emissum potest fieri, et per Christum et non per purum hominem introductum, qui verus Deus est, et quia tale divortium est pure de iure divino: ideo singulariter facit de hoc vinculo mentionem. Alia vero inpedimenta non tangit, quia in hoc uno vult reliqua intelligi et a ministrorum vigili providentia et discreta consideratione (*o*) debere perquiri et solum tales recipi, qui et sua iuxta Christi consilium (*p*)

(*a*) BCE om. *Et sepe - ista non.* — (*b*) D add. *Set ministri etc.* — (*c*) D om. *Quoniam* usque ad finem Cap. II, ubi de statua symbolica (p. 73). — (*d*) B cor. *distat.* — (*e*) B add. in margine *suum.* — (*f*) E *ducit.* — (*g*) C *honoris.* — (*h*) E *obmissio.* — (*i*) E *retentis.* — (*k*) BC *credendis,* E *de ecclesiasticis sacramentis et de articulis fidei credendorum.* — (*l*) C *intraverint.* — (*m*) BCE add. *eis dederint.* — (*n*) BCE om. *de.* — (*o*) E *custodia.* — (*p*) B *consilium Xpi.*

[1] Cf. Matth. VII 14.

velint dare et per portam legitime et recte (*a*) intrent ad evangelice vite perfectionem et regulam, et hanc tenentur ministri ostendere ad religionem venire volentibus et per ipsam introducere ad Christi vitam et regulam quos recipiunt, ut sanctum habeant ingressum et purum initium, ac medium conversationis et finis exitum iungant (*b*) initio consonum (*c*).

Nam Christus illi adolescenti, qui mandata a iuventute sua servaverat, hanc ianuam ostendit dicens [1]: *Si vis perfectus esse, vade,* (*d*) *vende omnia que habes et da pauperibus et veni sequere me et habebis thesaurum in celo.* Et hoc (*e*) est quod ministris regula mandat quod venientibus ad religionem *verbum sancti evangelii dicant, quod vadant et vendant omnia sua et ea studeant pauperibus erogare.* Regule evangelice ministri verbum perfectionis evangelij hiis, quos ad vitam evangelicam recipiunt, ex debito sui officij annuntiant, qui studiose et fideliter cum summa letitia et fervore Christi [*f.* 18*v*] consilium ante religionis ingressum inplere debent, ut signa et opera discipulorum ostendant et cum spei fiducia nudi post Christum a mundanorum et proprie voluntatis pondere deorsum deprimente nudam crucem, solum celestia et eterna querentes et sapientes, usque in finem ferant. Unde cuidam petenti ad ordinem recipi sanctus Franciscus respondit [2]: Si vis Christi pauperibus iungi: mundi pauperibus tua distribue. Cui cum sua parentibus reliquisset nichilque pauperibus dedisset, denuo dixit: Vade fr. musca. Incepisti a carne, ruginosum (*f*) fundamentum spirituali fabrice (*g*) collocasti, non es dignus iungi pauperibus sanctis.

Beatus vero Basilius scripsit ad abbatem, qui senatorem quendam receperat, suis facultatibus non ex toto nudatum: «Senatorem perdidisti et monachum non fecisti [3]».

Dixit sanctus Antonius [4] illi adolescenti, qui volebat fieri monachus et sibi (*h*) pauca de suis reservaverat (*i*): Si vis fieri mona-

(*a*) E *iuste,* in margine *aliter: recte.* — (*b*) E *iungantur.* — (*c*) B *consortium.* — (*d*) B add. *et.* — (*e*) BC *hinc.* — (*f*) CE *ruinosam.* — (*g*) B *fabricare.* — (*h*) E *et pauca de suis sibi.* — (*i*) B *seruauerat.*

[1] Matth. XIX, 21.

[2] Cf. 2 Cel. 2, 49, p. 231.

[3] Hoc narrat Cassianus, *De Coenob. instit.* VII, 19, Migne, P. L. 49, 312.

[4] *S. Antonii dicta quaedam,* Migne, P. G. 40, 1099. Idem narratur in *Vitis Patrum,* V, 6, 1. Migne, P. L. 73, 888. Verba non omnia correspondent; Clarenus forsan textum graecum prae se habuit, qui hodie videtur deperditus.

chus vade in vicum et eme carnes et nudo corpori superpone et veni ad me. Qui mandatum complens venit ad eum avium unguibus et morsibus ac muscarum punctionibus corpore cruentato. Et ait (*a*): Illi qui renuntiant seculo et volunt pecuniam habere: ecce ita inpugnati a demonibus discerpuntur.

Et quia fundamentum primarium totius evangelice perfectionis paupertas spiritus est, cui de iure Christi promissionis debetur regnum celorum: *non intrat per hostium* [1] ad evangelicam vitam, nec *supra petram* (*b*) Christum collocat *fundamentum* [2], qui sibi partem de suis reservat, vel ea carnaliter dispensat, cum sine inpedimento antequam religionem intret, valeat si vult, que possidet pauperibus erogare. Denique « paupertatem sui dicebat ordinis fundamentum, cui sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur et eversione funditus evertatur [3] ». Suo [4] quoque vicario petenti an pro necessitate venientium liceret de rebus novitiorum, que dantur (*c*) pauperibus, aliqua reservare, respondit: Malo te altare Virginis gloriose nudare cum necessitas id (*d*) requirit, quam contra paupertatis votum et observantiam evangelij aliquid vel modicum attentare.

Ut igitur habeant [*f.* 19 *r*] thesaurum in celo (*e*) [5], quem (*f*) Christus omnia sua pauperibus erogantibus repromictit, debent, si possunt, ad (*g*) Christi vitam et discipulatum accedentes cum promtitudine pauperibus que possident dare. *Quod si facere non potuerint* (*h*), *sufficit eis bona voluntas.* Cum enim locorum distantia et litigiosa iurgia et mine parentum et seditiose contemptiones (*i*) aut (*k*) alia gravia inpedimenta volentes Deo servire vetant, ne sua vendant et pauperibus tribuant iuxta consilium Christi, tunc voluntas bona eis pro facto reputatur, iuxta illud sancti Ieronimi ad Paulinum [6]: « Si habes, res tuas vende, si non habes, proice ». « Nemo renuntiaturus seculo potest velle que (*l*) contempsit ut venderet ». *Nemo*

(*a*) E *et ait illi, qui.* — (*b*) C *petram* in margine. — (*c*) A *dant.* — (*d*) C om. — (*e*) C *celis.* — (*f*) A *quod.* — (*g*) C repetit *ad.* — (*h*) B *possunt.* — (*i*) Lege *contentiones.* — (*k*) BCE *et.* — (*l*) BC *quod.*

[1] Ioh. X, 1.
[2] Luc. VI, 48.
[3] Ex S. Bonav. *Leg. mai.* VII, 2, p. 70.
[4] Cf. S. Bonav. *Leg. mai.* VII, 4, p. 71; 2 Cel. 2, 37, p. 221.
[5] Matth. XIX, 21; Marc. X, 21; Luc. XVIII, 22.
[6] Ep. 53, Migne, P. L. 22, 549. Duos locos ordine inverso adducit Clarenus.

enim *mictens manum ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei*[1] dixit Christus dicenti sibi: *sequar te*, Domine, *set permicte me* (*a*) *renuntiare primum hijs, qui* (*b*) *in domo sunt*[2]. Talis enim inplicatio animum frequenter involvit et plerumque nobis *spine* inde suborientes (*c*) suffocant verbum[3].

Et caveant sibi fratres et eorum ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis quicquid Dominus inspiraverit eis. Extraneos et alienos voluit (*d*) esse omnes fratres ab omni inplicatione (*e*) et sollicitudine dispensationis rerum advenientium ad religionem, et a consilio distributionis earum et receptione. Quoniam secundum quod sanctus Basilius in sua regula[4] explicat, multa inconvenientia ex talium rerum distributione et receptione et occasiones (*f*) multorum malorum causari possent in (*g*) recipientibus et receptis. Et dicit quod talium rerum distributio in pauperes et erogatio per yconomos ecclesie, qui curam et notitiam pauperum habent, debet et potest congruentius fieri, ita quod fratres de illis rebus penitus nichil recipiant. Ita et sanctus Franciscus a spiritu Christi doctus quasi similia (*h*) in sua regula docet. Ait enim: *Si tamen consilium requiratur licentiam habeant* (*i*) *ministri mictendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur.*

A consilio et sollicitudine etiam (*k*) distributionis talium rerum sub interdicto fratres omnes et ministros sibi ipsis (*l*) cavere iubet, ut a periculis et scandalis et inquinamentis intrinsecis et (*m*) extrinsecis, que ex hoc incurrere faciliter possunt, tam ipsi quam tota (*n*) religio essent penitus sequestrati, exemplo Domini nostri Ihesu Christi (*o*), dicentis: *Vende omnia que habes et da pauperibus*[5]. Hoc enim dicens [*f.* 19 *v*] nichil reservandum vel collegio docet

(*a*) B om. — (*b*) C *que*. — (*c*) B *suborigentes*, E *exortę*, in margine *aliter: suborientes*. — (*d*) E *esse voluit fratres omnes*. — (*e*) E *implicamento*. — (*f*) C *occasione*. — (*g*) B om. *in - receptis*. — (*h*) E *consimilia*. — (*i*) B *habere*. — (*k*) C *et*. — (*l*) E om. — (*m*) BCD om. *et extrinsecis*. — (*n*) A *tata*. — (*o*) A in margine.

[1] Luc. IX, 62.

[2] Luc. IX, 61.

[3] Cf. Matth. XIII, 7.

[4] *Reg. fusius tractata*, Resp. 8 et 9, Migne, P. G. 31, 934 ss. Non citatur ad verbum.

[5] Matth. XIX, 21.

esse dandum aut divitibus vel propinquis. Quia aliter difficile est vulnera spinarum effugere seculi, que cruentant et retinent et revocant currentem ad Deum. Sicut de illo in *Vitis patrum* [1] legitur, quem demones inpediebant iactantes pulverem multum in eum ne iret ad desertum, qui, depositis indumentis, nudus currebat ad heremum. De quo uni sanctorum dixit angelus: Surge et occurre adlete Christi.

Nam et (*a*) ille magnus Domini (*b*) servus, Andreas [2], qui se stultum simulans nudus Christo, qui nudus pro nobis in cruce pedendit, serviebat, tantum naturalia (*c*) membra vili quadam operiens petia, quam demoni litiganti cum eo, et eum impedire volenti ne suum pergeret iter, proiecit in faciem dicens: Recede a me, ecce quod de seculo teneo, tuum sit. Qui statim confusus recedens ab eo disparuit.

Nudatum enim innocentia et vita gratie et spe glorie per peccatum genus humanum Christus gratia et sanctitate vestivit, nudus nascens [3], et pauper vivens et paupertatem docens, quam dedicavit et sibi desponsavit in cruce et consecravit et consignavit in morte, clarificavit in resurrectione et ascendens in celum exaltavit in throno, ut per eam lapso restitueret innocentiam, redderet gratie vitam, et reconciliatum Deo ditaret virtutibus et ad regnum glorie revocaret.

Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio et cingulum et bracchas et caperonem (*d*) *usque ad cingulum.* Pauperibus iam Christi amore factis, et rogantibus ac desiderantibus et amore paupertatis ac vilificationis proprie ardenter accensis, concedant desideratum et postulatum ab eis habitum vilitatis et paupertatis. Ex lege enim et doctrina sanctorum patrum et traditionibus et regulis per Spiritum Sanctum inspiritatis eisdem ad informationem perfecte et religiose Christo servire volentium distinctio habitus incipientium et profexorum in-

(*a*) B om. — (*b*) C *dei*, E *magnus Andreas domini seruus.* — (*c*) B cor. *uirilia.* — (*d*) BE *capparonem.*

[1] III, 67, Migne, P. L. 73, 772; VII, 2, 1, Migne, P. L. 73, 1028.

[2] Haec narratio solum alia versio videtur facti praecedentis.

[3] Quod sequitur ex *Sacro Commercio Beati Francisci cum Domina Paupertate*, ed. P. Ed. Alenconiensis, Romae - Parisiis 1900, p. 10, videtur inspiratum. Infra pluries Auctor similia repetit.

troducta est, ut probationis sue tempore odium ostendant sui sensus et proprie voluntatis et displicentiam vanitatum mundi et superbie vite et inimicitiam delitiarum et concupiscentie carnis et stabilitatem fixam et invariabi- [*f.* 20 *r*] lem (*a*) et immutabilem a proposito sancte conversationis et immitationis Christi vite, et eius humilis et pauperis servitutis perpetue.

Nam a quibusdam sanctorum concedebantur novitijs tres anni probationis ad similitudinem evangelice ficus (*b*) post tres annos stercorationis (*c*) succidende, si sterilis permaneret [1]. Ab aliis VII, ut post VII^tem^ annos (*d*) servitutis et probationis sue, quasi ad quandam (*e*) prime resurrectionis gratiam pervenientes, in VIII^vo^ profexionis habitum sumerent. In aliquibus vero monasterijs, ut refert beatus Iohannes Climacus [2], usque ad annum XXX^m^ novitij probabantur, ut ad monasticam perfectionem signatam in triginta annis plenitudinis (*f*) perfecte etatis Christi et eius baptismatis sacramento sincere et solide pervenirent. Nam (*g*) in XXX^ta^ gradibus ascensionis virtutum librum suum, quem *Scalam* seu *scalarem* vocavit (*h*), incipiens a perfecta rerum morum et affectuum abrenuntiatione, in huius rei simbolum in perfectissime caritatis, que foras mictit timorem et *nunquam excidit* [3], tricesimo gradu finivit. Cum enim novitius in vinea Domini (*i*) fructificans humiliter stabilitur, tunc ad obedientiam recipitur, se ipsum firma sponsione et immobili Domino (*k*) offerendo et penitus abdicando, *qui cum lacrimis et clamore valido* [4], pro nobis seipsum obtulit in cruce Patri, ut et (*l*) nos in cruce penitentie et sanctitatis vite cum timore et humilitate usque in finem perseverantes similiter faciamus. Distinguit autem habitum novitiorum ab habitu profexorum per capparonem quem antiqui paramenti (*m*) [5] vocabant et in signum eorum stabilitatis examinande et probande conceditur.

(*a*) C *inuiolabilem.* — (*b*) E *fici.* — (*c*) A *stercoricationis.* — (*d*) E *annos septem.* — (*e*) B add. *sue.* — (*f*) E *plenitudinis christi.* — (*g*) C add. *et.* — (*h*) C *vocant,* item B, sed postea *n* delevit. E *appellant,* in margine *aliter: uocant.* — (*i*) C *dei.* — (*k*) C *deo.* — (*l*) E om. — (*m*) A *paramanti.*

[1] Cf. Luc. XIII, 6-9.

[2] *Scala,* Grad. IV, Migne, P. G. 88, 695.

[3] I Cor. XIII, 8.

[4] Heb. V, 7.

[5] Hoc vocabulum deest ap. Du Cange-Henschel, nec alibi inveni.

Per tunicam vero *cum caputio,* quam monachi cucullam, fratres autem habitum appellant, antiqui vero patres cuculium [1], quod cuculium erat (*a*) parvum caputium capud tegens cum alis ante et retro pendentibus, analavo [2] corpori astrictis (*b*), et signum erat humilitatis et illius innocentie et puritatis parvulorum de qua Dominus dixit: Quia *nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum celorum* [3]. Quare frustra et dampnose habitus [4] ampliatur et elongatur et gracili et molli fit panno, ut oculis mundanorum placeat et vanitati deserviat, et signis (*c*), quibus debuit humilitas et [*f.* 20 *v*] innocentia habituari, ostendi et predicari, predicetur vanitas et secularis pompositas et effeminata mollities ostendatur. Relinquitur vero in ministrorum libertate non dare novitiorum habitum, eo quod viris gravibus et maturis et peritis in scripturis divinis et sacerdotalem dignitatem habentibus et vite sanctitatem probationis signa, non esset dare conveniens. Beatus vero Basilius [5] voluit, quod recipiendi tamdiu dimicterentur in veste seculari sub seniore et in sequestrata domo probari, donec sue constantie et bone voluntatis experimenta certa dedissent (*d*) et omnium habitum, tunicam et pallium iuxta evangelij litteram voluit esse, et vestimenti mutationem et obedientie profexionem simul fieri debere decrevit; et propter rationes predictas dicit regula: *Nisi eisdem ministris aliud secundum Deum aliquando videatur.*

Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam promictentes vitam istam semper et regulam observare. Et nullo modo licebit eis (*e*) *de ista religione exire, iuxta mandatum domini*

(*a*) E *paruum erat.* — (*b*) B *astrictus.* — (*c*) B cor. *singularis.* — (*d*) E *didicissent.* — (*e*) B om.

---

[1] Hic textus inspiratus est e Ioh. Cassiani *De Coenob. instit.* I, 4: *De cucullis Aegyptiorum,* Migne, P. L. 49, 68.

[2] Scil. *analabus,* cf. Cassian. l. c. I, 6: *De rebrachiatoriis,* Migne, l. c. 71 (textus et nota).

[3] Matth. XVIII, 3.

[4] Clarenus hic invehitur in quosdam abusus sui temporis sicut et Ubertinus a Casali in scriptis polemicis fecit.

Dum autem Communitas aliquando peccavit per excessum, zelatores non minus refrenuerunt a ridiculo et superstitione. Cf. Bullam *Sancta Romana, Bull. Franc.* V, 134ss; In fine *Chronicae Tribulationum,* ALKG, II, 153, habetur descriptio habitus iuxta ideale Angeli Clareni.

[5] Cf. *Reg. fusius tract.* Resp. 15, 1, Migne, P. G. 31, 951.

pape, quia secundum sanctum evangelium: Nemo mictens manum ad aratrum et aspiciens retro, aptus est regno Dei [1]. Qui bene probati et virtutibus exercitati et in caritate Dei et proximi et in paupertatis et humilitatis et castitatis sunt amore ferventes, *finito anno probationis, recipiantur ad obedientiam,* quia in obedientia evangelica quam promictunt, omnium virtutum perfectio continetur. Idcirco promissionem evangelice vite et regule, receptionem ad obedientiam nominat, eo quod per Christi obedientiam redempti et salvati sumus et ad vitam gratie et glorie vocati.

Est enim obedientia per mortificationem omnium nostrarum voluntatum, animarum salus, fidelium vita, virtutum genitrix, regni celorum inventrix, sapientie clavis, archanorum custos, suave iugum hominem sursum ferens, angelorum operatio, sanctorum perfectorum corona et firmamentum, crucis fructus et hostium, et via tutissima, perducens ad pacis Christi ineffabilem requiem et sapientie ipsius divinissimum gustum, per quam invicem et religioni et superioribus et (*a*) ecclesie, et Christo omnium capiti insolubiliter colligamur. Sicut vero solis ministris recipiendi fratres secundum regulam licentia conceditur, ita eorundem ministrorum est receptos ad obedientiam recipere. Quia si ipsi soli debent venientes ad religionem recipere: relinquitur eisdem solis profitentium vota suscipere, quia maius est ad profexionem quam ad probationem recipere fratres [2]. Promictunt [*f.* 21 *r*] autem vitam et regulam evangelicam, quam Christus et eius mater et apostoli tenuerunt, iuxta id (*b*) quod immitabilem se nobis et in exemplum prebuit dicens [3]: *Venite ad me omnes qui laboratis et honerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est et honus meum leve.* Et secundum quod ipsi apostoli et evangeliste docuerunt et tradiderunt

(*a*) E om. — (*b*) B *illud.*

[1] Luc. IX, 62.

[2] Quattuor Magistri, c. 2, *Firm.* Paris. 1512, IV, fol. 18 rb-va (ed. Venet. 1513, III, 16 va): *Hic queritur an guardiani et custodes possint fratres recipere ad obedientiam.... Sed econtra: si quod minus est, prima scilicet fratrum receptio, ordinatione et auctoritate sit eis penitus interdictum, per consequens nec quod maius est, scilicet receptio ad professionem, ex regula videtur eis esse concessum.*

[3] Matth. XI, 28-30.

eam sub voto cadere [1] et servari debere. Et quia talis modus perfecte et religiose vite evangelice tempore beati Francisci relaxatus, reperiebatur in paucis: voluit Deus quod ex auctoritate summi pontificis per eum in ecclesia reformationem haberet.

Et quoniam super Christi vitam et regulam evangelicam nulla perfectior [2]: ideo denuntiat omnibus promictentibus eam, quod *nullo modo licebit eis* post (*a*) promissionem *de ista religione exire,* quia rectitudo et iustitia (*b*) et sanctitas, quam statuit et inponit evangelica vita, habet in suppremo et optimo statu, quoad actum et contemplationem, permanentiam et perpetuam firmitatem, et ideo promictentibus eam, aliam non licet promictere, quia non ascenderet per votum set descenderet, et ab ea sub quacunque specie, animo et bona voluntate et operatione substantiali recedere: est deficere, et a (*c*) mandato Christi [3] et summi pontificis [4] et sancti Francisci [5] per inobedientiam resilire et contra evangelicum testimonium ab assumpta et promissa perfectione retro converti et apostatare, et consequenter regno celorum indignum et ineptum se facere.

Qui vero iam promiserunt obedientiam habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio, qui voluerint habere. Quoniam habitum et tunicam inferiorem volenti eam habere evangelica regula (*d*) et vita concedit, habitum videlicet et tunicam inferiorem portantibus loco pallij, quod sanctorum patrum (*e*) moribus consonat [6], qui brevi cucullio capud operiebant et sacco vel collobio et manforti [7] corpus, et sandalijs pedes, se habitu Christo et apostolis conformantes; consonat et Christi mandato, qui discipulos ad predicandum mictens una tunica vult esse contentos et pallio. Et quia per Spiritum Sanctum Christus apostolos et patres docuit

(*a*) E *de ista religione post promissionem exire.* — (*b*) C *sanctitas et iustitia.* — (*c*) BC om. — (*d*) E *uita et regula* — (*e*) B *patruum.*

[1] Cf. supra, p. 15, textus et nota 1.
[2] Cf. supra, p. 28, nota 1.
[3] Luc. IX, 62.
[4] *Cum secundum, Bull. Franc.* I, 6.
[5] Locus citatus Reg. 2.
[6] Cf. praesertim Cassian. *De Coenobiorum institutis,* I, 3-10, Migne, P. L. 49, 64-78, ubi illa vestimenta commemorantur describunturque. Cf. etiam, Ruf. *Hist. Monach.* c. 3, Migne, P. L. 21, 407; *Regula S. Pachomii,* n. 81-105, Migne, P. L. 23, 73-75; *Vitae Patrum,* IV, 15, Migne, P. L. 73, 825.
[7] Ordinarie *mafors* vel *mavors,* Migne, P. L. 49, 72, nota.

omnem veritatem [1] necessariam ad salutem et perfecte vivendi eis tradidit modum et formam, ideo repletus eodem Spiritu in habitu et perfectione spirituali Christo et patribus se conformat beatus Franciscus et primi fratres sicut ipse in suo *Testamento* [2] dicit, erant *contenti una tunica intus et foris repetiata* (*a*). Ait enim: Nam *et illi qui veniebant ad recipiendam vitam istam* (*b*), *omnia que habere poterant,* vende- [*f.* 21 *v*] bant et *dabant pauperibus et erant contenti tunica* (*c*) *una intus et foris repetiata, qui volebant, cum* (*d*) *cingulo et bracchis et nolebamus plus habere.*

Utebantur autem vili et brevi mantello de sacco vel de alio (*e*) rudi panno [3], set post sancti Francisci ab hac vita exitum, fr. Elyas [4] portari extra locum prohibuit, quando fratri Bernardo de Quintavalle et fratri Cesario, et fratri Symoni de Comitissa et eorum sotiis, qui una contenti tunicula in habitu et in (*f*) ceteris intentioni fundatoris (*g*) et moribus inherebant, persecutionem ex auctoritate papali intulit satis gravem. Ipsos enim apud summum pontificem, quia (*h*) non consentiebant suis relaxationibus, diffamavit et accusavit in multis et propter vite conformitatem, quam habebant cum Sancto, qui una et (*i*) vili tunica (*k*) veteri et repetiata (*l*) et brevi mantello utebantur, et regulam simpliciter et ad litteram observabant, sicut Sanctus in fine mandaverat, atrociter persecutus est; et ad maiorem eorum exprobationem sectam Mantellatorum [5] ipsos (*m*) et eis adherentes fecit appellari.

Voluntas autem Dei, quam per revelationem se a Christo didicisse et accipisse sanctus Franciscus testabatur et ad quam amandam et faciendam verbo predicationis et exemplo operum omnes fratres exortabatur et animabat, ista fuit, quod nullus frater deberet habere nisi vestimentum sicut regula concedit et cingulum et fe-

(*a*) B *reapetiata.* — (*b*) A om. B in margine. — (*c*) B *tunica una.* — (*d*) E *et.* — (*e*) E *uili panno et rudi.* — (*f*) C om. — (*g*) C om. — (*h*) BE *qui.* — (*i*) E om. — (*k*) B *tunicula.* — (*l*) B *reapetiata.* — (*m*) C om. *ipsos - adherentes,* B in margine.

[1] Cf. Ioh. XVI, 13. [2] *Opusc.* p. 79.

[3] Cf. simile testimonium Ubertini a Casali, ALKG, III, 56; 57.

[4] Similia in Trib. 2, ed. Tocco, p. 72 ss; Döllinger, II, 461 ss.

[5] *Chronica 24 Gen., Anal. Franc.* III, 263, repressionem « sectae » eorum qui potabant « mantellos curtos usque ad nates » Crescentio ab Oesio (1244-47) adscribit. De persecutione sociorum S. Franc. sub Elia cf. Lempp, *Frère Elie de Cortone,* Paris 1901, 110-14; Balthasar, O. F. M., *Geschichte des Armutstreites im Franziskanerorden bis zum Konzil von Vienne,* Münster i. W. 1911, p. 111-112.

moralia et tempore manifeste necessitatis et infirmitatis calciamenta. Et sicut fr. Leo scribit [1] et alii sotii eiusdem Sancti, qui multis annis post ipsius transitum de hac vita superfuerunt, testabantur, in deserto huius mundi suos fratres docebat (*a*) nichil preter indumentum despectum et vile debere habere. Et tanquam peregrini aspirant ad patriam et detenti in carcere et vinculis libertatem affectant, ita peregrinationem a (*b*) carcere huius mundi et corporis et multo amplius Christi pauperes et qui mundi inimicitiam propter Christum et regnum eius denuo iuraverunt, desiderare tenentur.

Nam et fratri Ricerio et fratri Masseo et ministro volenti (*c*) libros, quos habebat, de sua tenere licentia, et novitio postulanti ad spirituale solatium de suo consensu habere psalterium, secundum quod a Deo acceperat, cum multo spiritus fervore respondit quod « sicut regula dicit, qui vult esse Frater Minor et evangelium quod promisit pure servare, non debet habere nisi tunicam et cingulum et bracchas et cal- [*f.* 22 *r*] ciamenta [2] » propter manifestam infirmitatem (*d*). Et hanc responsionem quamdiu vixit et in mortis articulo omnibus eum de pura regule observantia et intelligentia interrogantibus fecit, et doctrinam quam dabat, confirmabat exemplo operis vivens et moriens. Nam vivens (*e*) quantumcunque fuerit infirmus, nunquam preter unam tunicam vilem et rudem, qua emortuum (*f*) operiebat (*g*) corpusculum, aliquid habuit, qua circa mortis horam terre prostratus se expolians, nudus remansit in oculis astantium fratrum dicens [3]: « Quod meum est feci, quod vestrum est edoceat Christus », opere confirmans et (*h*) verbo docebat, ut in fine non haberet habitum nisi per obedientiam sibi ab alio commodatum (*i*).

Fr. vero Iohannes de Celano [4] scribit de beato Francisco: « Execrabatur vestitos triplicibus et eos qui preter necessitatem mollibus (*k*) utebantur in ordine », et carnem triplicatis ac mollibus

(*a*) BC *dicebat.* — (*b*) E *ab huius mundi carcere.* — (*c*) B add. in margine *habere.* — (*d*) C *necessitatem et infirmitatem.* — (*e*) BCE add. *et moriens.* — (*f*) B *et mortuum.* — (*g*) E *cooperiebat.* — (*h*) BE *quod.* — (*i*) B cor. *acomodatum.* — (*k*) B in margine.

[1] *Intentio Regulae,* ed. Lemmens, *Doc. ant. franc.* I, 83 ss ubi sequentia sparsim habentur, sicut etiam in *Spec. perf.* ed. Sabatier, c. 2 ss, p. 4 ss.

[2] *Intentio Regulae,* l. c. p. 94; *Spec. perf.* c. 4, p. 12.

[3] S. Bonav. *Leg. mai.* c. XIV, 3, p. 151.

[4] Scil. *Thomas* de Celano, 2 Leg. 2, 39, p. 223.

fovere vestibus esse signum extincti in anima spiritus asserebat. Et fr. (*a*) Bonaventura [1] dicit: Quod « interrogatus aliquando quomodo se posset (*b*) vestitu tam vili ac tenui ab yemalis frigoris asperitate tueri, in spiritus fervore respondit: Si superne patrie flamma per desiderium contingeremur interius, frigus istud (*c*) exterius facile portaremus. Unica paupere contectus tunicula in frigore et nuditate Domino (*d*) serviebat. Si quando vero in data sibi tunica lenitatem sentiret, cordulis eam contexebat interius, quia non in casulis pauperum set in palatiis principum iuxta Veritatis verbum [2], vestimentorum dicebat (*e*) esse requirendam mollitiem ». Satis namque ex vita ipsius et ex scriptis in regula et testamento claret, quod habere habitum et unam tunicam de vili panno et non plures, est intentio regule et evangelica forma, habere vero plures est infirmitatis vel dispensationis regularis, ex papalis condescentionis auctoritate facte, que (*f*) curam ministris tantum et custodibus providendi fratribus de indumentis commictit *secundum loca et tempora et frigidas regiones* [3].

Et iuxta hunc condescensionis modum sanctus Ieronymus *ad Ebidiam* scribit [4]: Quid si Scithye frigora (*g*) sunt et Alpine nives, que non duabus et tribus tunicis, set vix pecudum pellibus repelluntur? Quicquid (*h*) ergo corpori (*i*) non (*k*) sufficere potest, et humane succurrere inbec- [*f.* 22 *v*] cillitati, hoc (*l*) una appellanda est tunica, et quicquid in presentibus alimentis necessarium est, hoc unius diei victus appellatur ». Et idem dicit Rabbanus *super Matheum* (*m*) [5]: « In duabus, inquid, tunicis videtur michi duplex ostendere vestimentum; non quod in locis Scithie et glaciali nive rigentibus una quis tunica debeat esse contentus, set quod in tunica vestimentum intelligimus (*n*), ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore servemus ».

(*a*) BCE om. — (*b*) B *posse.* — (*c*) BE *illud.* — (*d*) C *deo.* — (*e*) E *esse dicebat mollitiem requirendam.* — (*f*) B cor. *quam.* — (*g*) BCE *loca frigida.* — (*h*) BE *Quod.* — (*i*) BCE add. *nostro.* — (*k*) C om. — (*l*) B *hec.* — (*m*) E *Marcum.* — (*n*) E *intelligamus.*

---

[1] *Leg. mai.* c. V, 2, p. 46.

[2] Matth. XI, 8; Luc. VII, 25.

[3] Reg. 2, c. 4, *Opusc.* p. 67.

[4] Ep. 120, *ad Hebidiam,* c. 1, Migne, P. L. 22, 985, cum parva omissione ap. Clarenum.

[5] Rabanus Maurus, *in Matthaeum,* lib. III, c. 8, Migne, P. L. 107, 893.

Tu vero attende, cum varias de perfectione sententias legis, quia sancti aliqua secundum condescensionem infirmis et (*a*) incipientibus humane oportuna locuntur, que condescensio cum perfectione illa concurrit, quam humana inbecciillitas fideliter se exercitans potest attingere, aliquando magis ardua proficientibus et viriliter contra se ipsos et malignitates (*b*) demonum pugnantibus locuntur. Que quamvis infirmis et incipientibus sint gravia et inportabilia: illis (*c*) sunt levia et minima, eo quod semper ad maiora aspirant. Quedam vero de perfectissimis viris locuntur et tradunt, sicut de apostolis et aliis Christi discipulis et magnis martyribus, anachoritis et perfectis, sanctis ordinum fundatoribus, qui Spiritu Sancto repleti opera supernaturalia faciebant et nulli naturaliter possibilia, et ad illam perfectionem qui pervenerant, in suis oculis nichil erant, quia seipsos perfecte intelligentes et locum et carcerem sui incolatus flentes, desiderabant *dissolvi et esse cum Christo* [1].

Inferiores vero aspicientes in eos, desiderijs sanctis ad eorum perfectionem consurgere satagentes, et quantum ab ipsorum divina et celesti conversatione longinqui essent intelligentes, humiliabantur profundius et de seipsis vilia sentiebant. Inpassibilitatem enim ab infirmitatibus anime et corporis perfectissimi quidam sanctorum ex parte pregustantes, et in exemplum volentibus Christum sequi divinitus dati, christianam perfectionem non esse humane virtutis fidelibus et infidelibus, signis et virtutibus et Sancti Spiritus susceptis distributionibus, irrefragabiliter probaverunt. Regule autem sanctorum, qui suscipiuntur et approbate sunt ab ecclesia, ita ad perfectionem incipientes initiant, quod proficientes roborant et informant et omnis perfectionis supernaturalis consumationem insinuant et commendant.

Quamvis enim sanctus Basilius in regula [*f.* 23 *r*] sua [2] fratres volentes evangelice vivere una tantum tunica et aque potu et pane et vilibus ad nutrimentum oportunis et de labore manuum acquisitis doceat debere esse contentos, et iam ipse extra seculum (*d*) solitario loco cum suis fratribus soli Deo vacaret, tamen *ad Gregorium Naçaçenum* de se scribens dicit (*e*) [3]. « Antequam

(*a*) B om. — (*b*) B cor. *malignantes*. — (*c*) BCE add. *tamen*. — (*d*) BCE add. *in*. — (*e*) E *ait*.

[1] Philip. I, 23.

[2] Cf. *Reg. fusius tract.*, Resp. 16, Migne, P. G. 31, 958; Resp. 19-22, l. c. 970 ss.

[3] *Epist.* class. I, ep. 2. Migne, P. G. 32, 223.

aliquid, ut postulasti, de modo et conversatione quam (*a*) discas, tuum vere erat hoc excogitare et tue anime omnia (*b*) nichil ponentis que hic sunt ad repositam nobis in promissionibus beatitudinem. Ego autem quid (*c*) quidem facio ipse in extremitate istius noctis (*d*) et diei scribere confundor. Nam derelinquens que sunt in civitate moras et actritiones (*e*), sicut innumerorum malorum occasiones, meipsum nondum relinquere potui ». Et alias multe humilitatis et abiectionis proprie subiungit sententias, quas hic scribere longum esset. Faciebat quidem que alios facere docebat, et quanto maiora faciebat, tanto se magis longinquum cognoscebat ab illa summa (*f*) perfectione, ad quam aspirabat.

Ad Anphilocium[1] vero scribit se ab episcopo quodam magno, in divinis doctore et animarum illuminatore, accepisse et didicisse pertinentia ad doctrinam et formam perfectionis evangelice vite. Et post plura, que de abrenuntiatione et paupertate, obedientia et humilitate scribit, infert quomodo scripturarum testimonijs et Christi et apostolorum et precedentium sanctorum vita et exemplis confirmabat, una tantum tunicula corpusculum operire debere et non pluribus, eos qui evangelice perfectionis vitam et regulam immitari et servare cupiebant, exortaturque eum accedere ad prefatum sanctum et plenius de omnibus informari.

Sanctus Maximus, re et nomine monachus, in *libro* quarundam *questionum* veteris et novi Testamenti, respondens *ad sanctum Thalasium presbiterum*[2], de illo verbo evangelij sancti Iohannis[3]: *Milites vero cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta sua et fecerunt IIII*^{or} *partes, unicuique militi partem et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis,* etcetera, probat Christum unam tantum tunicam habuisse et pallium, quod ymation dicitur et in plurali (*g*) vestimenta, ipsum vero pallium in IIII^{or} partes asserit fuisse divisum. Apostolos autem et evangelistas ad exemplum Christi unam tantum cum pallio tunicam portasse dif-

(*a*) B add. inter lineas *tenemus.* — (*b*) E *nihil omnia.* — (*c*) A *qui,* B *quid* cor. ex *qui quidem,* E *quid quidem ipse in extremitate istius noctis et describere confundor.* — (*d*) C om. *noctis et scribere,* B in margine. — (*e*) C *actiones.* — (*f*) BC om. — (*g*) B *Inpl'uari* (?)

[1] *Epist.,* class. II, ep. 150, Migne, P. G. 32, 603 s.
[2] Quaestio IV, Migne, P. G. 90, 275.
[3] XIX, 23.

finit (*a*)[1]. Et sancti doctores Basilius, Anphilochius, [*f.* 23 *v*] Gregorius Naçaçenus et Nisenus (*b*), Eusebius Cesariensis, Epifanius et Crisostomus, Symeon Metafrastes (*c*) et Iohannes Damascenus, Ambrosius et Ieronimus concorditer id ipsum sentiunt et scribunt pariter omnes.

Manifesta autem necessitas et corporalis infirmitas, quamvis dispensatione indigeant iuxta caritatis et pietatis regulam, tamen propter (*d*) obedientiam, patientiam, humilitatem et fervens desiderium operum perfectorum, ad que viri sancti, corpore debiles et infirmi, semper aspirant, perfectionis merito et premio non privantur. Sane, cum a principio sue conversionis sanctus Franciscus nudus in aliquo deserto Christo servire desideraret[2], responsum accepit a Domino (*e*), quod vocatus et missus erat « non sibi soli vivere[3] », set ut opere et sermone alijs sanctitatis et penitentie exempla preberet. Hinc est quod ad formam crucis habitum despectum, vilem et brevem assumpsit, ut mundi vanitatem, mundo crucifixus pro Christo, qui ei velud crucifixus apparuerat, esse fugiendam et conculcandam actibus, eloquiis et habitu predicaret.

(*a*) B *diffiniuit.* — (*b*) B *Niseus.* — (*c*) B *metafrastris.* — (*d*) BC *per.* — (*e*) C *deo.*

[1] S. Maximus l. c. de apostolis et evangelistis nihil statuit, ut praetendit Clarenus.

[2] Cf. S. Bonav. *Leg. mai.* c. XII, 1-2, p. 124-27; *Actus S. Franc.* c. 16, ed. Sabatier, Paris 1902, p. 55. Quod S. Franciscus *nudus* vellet Domino servire, in fontibus citatis non habetur sed adiectum est a Clareno, qui tamen forsan prae oculis habuit valdeque large interpretatus est verba S. Bonav. *Leg. mai.* c. XIV, 4, p. 152: « Propter quod et *in principio conversionis suae nudus* remansit coram antistite, et in consummatione vitae [scl. in morte] *nudus voluit de mundo exire* ». Clarenus de caetero etiam infra pluries (cf. p. 71; 72) refert anachoretas nudos Domino servisse, quod monstrat ei familiares fuisse *Vitas Patrum* Orientis, in quibus similes expressiones non raro inveniuntur, sive sensu proprio, ex. gr. Ioh. Moschus, *Pratum spirit.* c. 122, Migne, P. G. 87, pars III, 2983; c. 167, l. c. 3034, sive translato, uti occurrit ap. Cassian. *De Coenob. inst.* VIII, 28: *Quod adversus philargyriam victoria non aliter possit nisi nuditate conquiri;* c. 29: *In quo monastica nuditas consistat* (habentes victum et vestitum), Migne, P. L. 49, 319-20. Idem Cass. Collat. XXIV, c. 23, Migne P. L. 49, 1316: *Quo, inquam, familiaris rei cruciabitur damno, qui, perfecta nuditate gloriosus, voluntarie pro Christo universas huius mundi respuit facultates....?* Eodem modo metaphorico hic intelligi debere clarum est ex eo quod Clarenus infra, c. 6, scribit Ordinem Minorum « per omnimodam expropriationem et *nuditatem ab omnibus, que sunt mundi* » Christum sequi debere.

[3] Offic. lit. S. Francisci, auctore Iuliano de Spira, Ant. 1 ad *Laudes.*

Sanctus Symeon Metafrastis de sancto Gregorio Tamasturgo[1] archiepiscopo (*a*) Neocesariense, viro vita, sapientia et miraculis apostolico, scribit quod çelo immitationis Christi vite et paupertatis a pueritia accensus, etiam postquam Archiepiscopus est consecratus, una semper tantum tunica in illis borealibus Ponti locis, et pallio paupere et vili opertus incedebat. Et quod in proprio archiepiscopatu cellam ad stramentum ad corporis quietem vel sepulturam in fine (*b*) recusavit, ut per omnia, quantum ei (*c*) possibile erat, se suo Domino (*d*) et magistro conformaret, qui *ubi capud reclinaret* non habuit[2], set *extra portam passus est*[3], ut scirent sui ymmitatores se non habere in hoc seculo *manentem civitatem, set* ex omnibus viribus et igneis (*e*) desiderijs oportere eos *futuram* inquirere[4], idest celestem.

Et fratres (*f*) *omnes vestimentis vilibus induantur et possint ea repetiare de saccis et aliis petiis cum benedictione Dei.* « Vestis horrebat mollitiem, asperitatem amabat asserens propter hoc Iohannem Baptistam ore Dominico fuisse laudatum », dicit fr. (*g*) Bonaventura[5]. « Experientia[6] enim certa didicerat demones asperitate terreri, delitiosis autem et mollibus ad (*h*) temptandum fortius animari ». Nam teste sancto Ieronimo, et ceteris sanctis, qui sanctorum *patrum Vitas* scripserunt[7], magnus ille (*i*) Antonius et Macharij duo[8], Pambo, Ysi- [*f.* 24 *r*] dorus Pylusiotes,

---

(*a*) E *episcopo Necresariense.* — (*b*) B intra lineas add. *habere.* — (*c*) E om. — (*d*) C *deo.* — (*e*) C *ignitis.* — (*f*) C *omnes fratres.* — (*g*) C *S.* — (*h*) E om. *ad temptandum.* — (*i*) E om.

---

[1] In collectione Vitarum, auctore Simeone Metaphraste, ap. Migne, P. G. 114-116, Vita S. Gregorii Thaumaturgi desideratur. Quaedam allusiones ad textum citatum a Clareno de Sancti scilicet amore paupertatis et sepultura, inveniuntur in Vita S. Greg. Thaum., auctore S. Gregorio Nysseno, Migne, P. G. 46, 955. — Metaphrastes a Clareno dicitur *Sanctus*, et revera ap. Migne, P. G. 114, 199 ss habetur eius *Officium liturgicum* diei 28 nov. assignatum.

[2] Cf. Luc. IX, 58; Matth. VIII, 20.

[3] Cf. Heb. XIII, 12.

[4] Cf. Heb. XIII, 14.

[5] *Leg. mai.* c. V, 2. p. 46.

[6] Ibid.

[7] S. Hieronymus solum monographias quasdam Sanctorum Monachorum scripsit, quae ap. Migne P. L. 23, 17 ss. Clarenus vero videtur ei adscribere Rufini *Historiam Monachorum* (Migne, P. L. 21) nam infra, c. 5 et alibi locos citat ex hac historia, sub nomine Hieronymi.

[8] Scilicet Macarius Aegyptius, senior, et Macarius Alexandrinus, iunior. Cf. Rufin. *Historia Monachorum,* c. 23, Migne, P. L. 21. 449.

Amonius, Ysidorus Scithyotis (*a*), Mutius, Elenus [1] et omnes illi primi fratres, homines divini et angeli terrestres, vilibus, vetustis et asperis vestimentis et de multis petiis resarcitis, communiter utebantur. Nam de sancto (*b*) Paphnutio scribit Ieronimus [2] quod octoginta annis una tantum rudi et vili tunica operuit membra. Et vite religiose decertationem esse docebant mollibus et pretiosis vestibus et cibarijs (*c*) uti. Sancti vero anachorite, iam ex parte inpassibiles effecti, ut plurimum nudi Domino (*d*) serviebant [3] et ad nudam glorie Dei visionem flammeis affectibus aspirantes cupiebant *dissolvi* a corpore *et esse cum Christo* [4].

Nam et in (*e*) hiis nostris regionibus sapientia et vite sanctitate preclarus doctor et predicator regni Dei Fulgentius [5] una tantum vilissima tunica incedebat opertus (*f*), tam (*g*) yeme quam in estate et nudis pedibus ambulans, intra monasterium interdum soleas accipiebat [6]. Hoc ipsum fecisse sanctos Dei Vallaricum (*h*), Rogatianum (*i*), Leofredum, Eligium, Norinbertum, Iohannem Plusanensem, Iohelem, Danielem et Iordanum et alios innumeros, propter ymmitationem vite Christi et evangelij observantiam, legimus.

Concessit autem *calciamenta,* que Christus portare discipulis interdixit, tempore manifeste necessitatis, et hoc fecit, ne in hoc casu (*k*) fratrum ferventium spiritu et nimium çelantium pro pura observantia regule plus debito artaretur (*l*). Nec licere calciamenta (*m*) portare determinat, nisi manifesta et evidens necessitas cogat. Et in tali necessitate vel infirmitate talia conceduntur (*n*)

(*a*) B *siriotis,* E *Scithiotes.* — (*b*) E om. — (*c*) A *cibaijs.* — (*d*) C *deo.* — (*e*) BC om. *et in,* E om. *in.* — (*f*) B cor. *coopertus.* — (*g*) BC add. *in.* — (*h*) B *Vallariacum.* — (*i*) C om. *Rogatianum - plusanensem.* — (*k*) C add. *corpora.* — (*l*) BC *arctarentur.* — (*m*) E *portare calciamenta.* — (*n*) C *calciamenta conceduntur.*

[1] Scilicet Helenus, de quo Ruf. *Hist. Monach.*, c. 11, Migne, P. L. 21, 429.

[2] Ubi, non inveni.

[3] Cf. supra p. 69, nota 2.

[4] Philip. I, 23.

[5] Scil. Fulgentius Ruspensis.

[6] *Nunquam* (S. Fulgentius) *denique pretiosa vestimenta quaesivit.... sed una tantum vilissima tunica, sive per aestatem, sive per hiemem patienter indutus.... Nec ipsa calceamenta suscipiens clericorum, aut ultimis caligis in tempore aestatis uteretur. Intra monasterium sane soleas interdum accipiebat, frequenter nudis pedibus ambulabat.* Vita S. Fulgentii Ruspensis, c. 18, Migne P. L. 65, 136.

calciamenta, qualia portare convenit profexoribus altissime paupertatis. Nec est de tali necessitate standum vel credendum iudicio et conscientie viventium tepide, et hesitantium ne in laboribus et doloribus penitentie et austeritate et macerationibus carnis regulariter assumptis fidelibus servis suis assistat pie divina virtus et providentia et in (*a*) ipsis (*b*) mirabiliter operetur et (*c*) tueatur et gubernet corpora et mentes ad Christi gloriam, mortificantium membra sua et crucifigentium *cum vitiis et concupiscentijs* [1], quin potius est illorum iudicio standum, qui ex hiis que passi sunt, didicerunt sancte et discrete determinare infirmitates et necessitates calciamenta portare [*f.* 24 *v*] cogentes.

Licet enim sanctus Franciscus ad (*d*) exemplum, quasi semper fuerit infirmus, tamen nudis pedibus et una tantum vetusta et vili tunica repetiata de sacco indutus incessit usque ad mortem, ut operibus ostenderet quod docebat. Voluit autem quod tali panno ubique fratres vestirentur, qui vilis (*e*) et despectus ab hominibus illius regionis, in quibus morarentur fratres, et a quibus victum mendicarent, quoad materiam, pretium et colorem communiter haberetur (*f*). Nec erubescerent vestimenta *de saccis et alijs petijs* resarcire, quia pleni Spiritu Sancto patres vetustis et repetiatis saccis operiebant membra, ut Christi paupertati et humilitati se conformarent et eius Precursori et magnis illis sanctis, qui *circuierunt in melotis et in* (*g*) *pellibus caprinis, egentes, afflicti* (*h*), *angustiati, quibus dignus non erat mundus* [2]. Redemptor enim noster *similitudinem carnis peccati* [3] suscepit, ut opera peccati deleret veritate sanctitatis sue et mortalitatis, tanquam vetusta indutus est veste, ut indueret seipsos despicientes et humiliantes servos suos stola candida novitatis sue, et doceret eos pretiosa secundum mundum et cara, vilia (*i*) et contemptibilia, et alta et sublimia apud homines esse infirma (*k*) et abhominabilia apud Deum [4]. Hinc est quod aliqui nudi [5], quidam saccis veteribus et

(*a*) B om. — (*b*) B *ipsius.* — (*c*) C om. *et tueatur,* B in margine. — (*d*) E om. *ad exemplum.* — (*e*) Ita recte BC, A *uile,* E *uili.* — (*f*) E *haberentur.* — (*g*) C om. — (*h*) E *angustiati, afflicti.* — (*i*) E add. *esse.* — (*k*) C *infirma,* B *infima* cor. ex *infirma.*

[1] Cf. Gal. V, 24.

[2] Heb. XI, 37-38.

[3] Rom. VIII, 3.

[4] Cf. 1 Cor. I, 26-28; Luc. XVI, 15.

[5] Cf. supra, p. 69, nota 2.

asperis, alij de foliis palmarum [1], alij vero una tantum tunica operiebant membra, ut Christi paupertati et vite, quantum eis possibile erat, se plene conformarent (*a*), scientes quia plena similitudo ad eum est omnis perfectionis gratie et glorie beatissimus finis.

Similiter (*b*) prescius futurorum beatus Franciscus previdebat quomodo in fine dierum abiectionem paupertatis et vilitatis (*c*) et humilitatis insignia sub spetie maioris honestatis et uniformitatis et maioris status religionis, in moribus et habitu relinquere (*d*) fratres non solum licitum et utile dicerent, set in alijs talia inpedire et inpugnare iustum predicarent (*e*). Frequenter enim (*f*) et multis modis certificatus a Domino (*g*) de venturis post eum in religione, una [2] tamen dierum, dum oraret in loco sancte Marie de Angelis, apparuit ei angelus Domini (*h*) sub forma et aspectu stupendo. Erat enim capud eius aureum, brachia (*i*) et pectus de argento, venter ereus, crura ferrea (*k*), pedes ferrei (*l*) et fictiles, humeri eius cooperti sacco vili et aspero. Pretendebatque angelus

(*a*) C *conformaret.* — (*b*) D incipit: *Futurorum presciens.* — (*c*) E *humilitatis et uilitatis.* — (*d*) B *relinquerent.* — (*e*) D add. *et sanctum.* — (*f*) D om. — (*g*) C *deo.* — (*h*) D om. C *dei.* — (*i*) D *pectus et brachia.* — (*k*) D add. *et.* — (*l*) E *fictiles et ferrei.*

[1] Cf. S. Hieron. in *Vita Pauli eremitae,* Migne, P. L. 23, 26: *Hoc autem beatus Paulus rogavit, non quod magnopere curaret, utrum tectum putresceret cadaver, an nudum, (quippe qui tanto temporis spatio, contextis palmarum foliis vestiebatur).*

[2] Hic textus de statua Nabuchodonosoris (cf. Dan. II, 31 ss) habetur in « Leg. Vet. » ed. Sabatier, *Opusc. de crit.* I, 99 ss. et quidem in forma breviore. Comparando enim cum eo textum hunc nostrum invenimus Clarenum plures explicationes habere, quae desunt in « Leg. vet. »; quod si « Leg. vet. » hausisset e Clareno, bene non explicatur cur omisisset illos locos, praesertim cum agatur de narratione prophetico-symbolica. Relationem vero quamdam existere inter hunc locum Clareni et textum « Leg. vet. » videtur ex eo, quod uterque in fine habet epilogum incipientem: *Et una de rationibus* (Clar. p. 75), *Et haec una de rationibus* (« Leg. vet. » l. c. p. 102), qui epilogus deest in aliis textibus statim citandis. Sed et hic textus Clareni sat amplior est. — Idem textus pariter cum quibusdam aliis explicationibus ap. Clarenum in Proemio *septem Trib.*, ed. Tocco p. 25; ed. Döllinger, II, 432; *Leg. ant.* c. 9, p. 22 ss; *Misc. franc.* VIII, 97; *Actus S. Francisci* ed. Sabatier, c. 25, p. 83 ss; Barth. Pis., *Liber Conform.*, lib. II, fruct. VI; ed. Mediol. 1510, f. 181 v a; *Anal. Franc.* V, 163 et in *Floreto,* Sevilla 1492, part. II, c. 83; Rodulphius Toss., *Hist. Seraph. Relig.*, Venetiis 1586, fol. 172 v. — Nucleus narrationis ap. 2 Cel. 2, 50, p. 232-33. — In *Spec. Vitae,* Venetiis 1504, f. 170 r ponitur in ore Greg. IX haec narratio, occasione depositionis fratris Eliae a. 1239, et idem repetitur in *Anal. Franc.* III, 231.

quandam erubescentiam [*f.* 25 *r*] se habere de sacci illius vili (*a*) operimento. Qui (*b*) obstupuit videns. Dixitque ad eum angelus: Quare stupes et miraris? Forma ista, quam in me vides, initium, progressum et finem significat, quem habitura est tua religio usque ad tempus partus eius et reformationis Christi vite et ecclesiastici status. Tu enim cum omnibus sotijs tuis, qui estis Dei amore repleti et Christum et mortem eius in corpore (*c*) et corde portatis et diebus ac noctibus pro vestra et omnium (*d*) salute indesinenter oratis, vestra et aliorum peccata plorantes et nichil sub celo pro ipsius amore habere volentes: es capud aureum. Qui autem post vos venturi sunt, oratione postposita, ad scientiam que inflat et lectionis studium et librorum multitudinem cumulandam, paupertatis amore et çelo dimisso, sub spetie salutis animarum et (*e*) hedificationis proximorum, se convertent (*f*). Et quia preponent verba virtutibus, et scientiam sanctitati, non prosperabuntur, set remanebunt intus frigidi et caritate vacui, facta (*g*) commutatione auri in argentum frigidum et porosum [1]. Et quoniam multa loquentur et pauca facient [2] et soliditatem humilitatis et fundamentalis eorum substantie, videlicet veritatem paupertatis incipient conculcare, curas et sollicitudines et dissipationes assumendo, argentum in es convertent. Nec curabunt ad priora perfectionis bona redire, orationem videlicet devotam, et caritatis fervorem, set exterius mores religiosos et humiles ac magne sanctitatis ostendent, intus vero relaxationes fovebunt et ad laudes et honores inhiabunt (*h*), omnibus aliis meliores et sanctiores non esse, set reputari et apparere volentes. Sicque cum multo detrimento quasi mali mercatores argentum eloquentie et scientie in simulationem eream et ypocritalem transferentes ad captandam (*i*) humanam laudem et temporalia (*k*) lucra, opera sua facient. Quia vero eorum simulatio et ypocrisis diu latere nequibit (*l*), vilescent in oculis laudatorum. Quod cum senserint (*m*), indignabuntur et irascentur adversus eos quibus placere

(*a*) BE *uilis.* — (*b*) E add. *b. Fr.* — (*c*) B *in corde et corpore.* — (*d*) E *aliorum.* — (*e*) C *ac.* — (*f*) D *conuertentur.* — (*g*) D *sueta* (?) — (*h*) A *hyniabunt.* — (*i*) E *captandas humanas laudes.* — (*k*) D *spiritualia.* — (*l*) E *non poterunt.* — (*m*) C *sentient.*

[1] Ordinarie hic legitur *ponderosum* sed in Cod. 1/92 S. Isidori (A) scribitur *pōsū.*

[2] Hoc in memoria revocat dictum B. Aegidii: *Bo, bo, molto dico e poco fo,* cf. *Dicta b. Aeg.*, Ad Cl. Aq. 1905, p. 91; *Anal. Franc.* III, p. 86.

studuerant et per impatientiam occasiones (*a*) persequendi eos et affligendi (*b*), qui ab eorum reverentia et commendatione cessabunt, actentius exquirent, sicque es sonorum et rufum in ferrum durum et asperum commutabunt. Et [1] in ferream naturam conversi, erunt promti et audaces non tantum ad se vindicandum de illatis iniuriis, set etiam ad inferendum mala innocuis (*c*), et ad tollerandas (*d*) iniurias quasque illatas pusillanimes (*e*) [*f.* 25 *v*] fragiles et inpatientes. Et sicut ferrum cum testa mixtum cernis in meis (*f*) pedibus, ita finaliter erunt fratres veloces et diri ad mala inferenda discordantibus ab eis ut ferrum, et ad substinendum fragiles et inpatientes ut testa. Et ita qui fuerunt a principio auro purissimo (*g*) Christi caritatis amicti, reputabuntur ut testea vasa in fine dierum, quando ad partum venerit per te fundata religio. Saccus autem iste asper, vilis et brevis, quo humeros tego, et de quo erubescere me ostendo, est vilitas et austeritas paupertatis, quam glorianter et lete portare fratres Domino (*h*) promiserunt. Set prima caritate relicta, qua Deo uniti, humilitatis et paupertatis abiectionem habere in omnibus et servare, arram celestis honoris esse (*i*) et pignus eterne glorie (*k*) sentiebant, labores et defectus paupertatis (*l*) portare refugient et ad delitias et (*m*) rerum habundantiam inveniendum et (*n*) habendum, animum relaxantes, rerum et habitus vilitate et brevitate se dehonestari putabunt et humana verecundia et spiritus tepiditate superati, pro bono statu ordinis in vestibus et in omnibus (*o*) eorum actibus relaxationes et excessus enormes introducere non timebunt. Et quia in paupertatis nomine et fama apud homines tantum inaniter letabuntur, operibus autem et moribus de ea erubescent et in se et in alijs ipsam persequentur et acriter inpugnabunt, ideo cum rubore me hunc saccum portare demonstro.

Et una de rationibus quare signanter dicit in regula quod *fratres omnes vestimentis vilibus induantur et possint ea repetiare de saccis et aliis petijs cum benedictione Dei,* est, ut fratres qui hoc facere nollent et alios facere prohyberent, nullam in conscientijs propris

(*a*) D *occasionem.* — (*b*) E add. *eos.* — (*c*) C *innoxiis.* — (*d*) D *tollerandum.* — (*e*) D add. *et.* — (*f*) C *in pedibus meis.* — (*g*) E *charitatis christi purissimo.* — (*h*) C *deo.* — (*i*) E om. — (*k*) E add. *esse.* — (*l*) D *portare paupertatis.* — (*m*) E add. *ad.* — (*n*) D om. *et habendum.* — (*o*) E om. *omnibus eorum.*

[1] Ampliatio quae sequitur usque *Saccus autem iste,* adiungitur a Clareno et videtur allusio ad visionem Iacobi de Massa, *Actus S. Francisci,* c. 76, p. 216 ss.

nec apud Deum excusationem haberent, cum ex operibus ipsius Sancti et expresso regule precepto et voto, benedictionis eius (*a*) dono (*b*) essent plenissime informati super hoc, tam de Christi beneplacito ei regulam revelantis, quam de ipsius fundatoris intentione et ultima voluntate. Quam devote inplentes sanctam Dei benedictionem et patris eorum merentur habere (*c*).

Quos (*d*) *moneo et exortor ne despiciant neque iudicent homines, quos viderint mollibus vestitos* (*e*) *et coloratis* (*f*) *indutos, uti cibis et potibus delicatis, set magis unusquisque iudicet et despiciat semetipsum.* Quoniam ex institutione regule et vite promisse et sue vocationis excellentiam, debitores sunt Fratres [*f.* 26 *r*] Minores asperis et despectis vestibus indui et cibis et potibus vilibus (*g*) communibus et pauperibus uti, exortatur et monet eos (*h*), quod ex talis vite humili abiectione et regulari rigiditate et austeritate ad perfectionis altissimum et necessarium culmen omnium servorum Dei, se ex toto corde, ex (*i*) tota mente et tota virtute convertant, quod est, ut (*k*) *unusquisque iudicet et despiciat semetipsum.*

Hoc enim respondit [1] abbas montis Nitrie Theophylo patriarche Alexandrino interroganti eum: « Quid invenisti amplius, pater, in via (*l*) ista? Respondit, quia nichil melius quam inculpare et reprehendere meipsum sine cessatione. Et dixit ei episcopus: Non est (*m*) alia via sequenda nisi ista ».

Et abbas Pastor dixit (*n*): Hec est (*o*) enim sola hominis iustitia, ut semetipsum reprehendat et despiciat servus Dei, tunc enim iustus est, cum sua delicta condempnat [2]. *Nolite*, inquid, *iudicare et non iudicabimini* [3] etcetera (*p*). Qui humilis et minor (*q*) est omnibus, sicut promisit, iste se sentit et cognoscit et confitetur maximum omnium peccatorum, et semper scrutatur mala sua et a defectibus et culpis aliorum avertit faciem suam et misericordiam quam (*r*)

(*a*) D add. *et.* — (*b*) E *essent dono.* — (*c*) E *accipere,* in marg.: *aliter habere.* — (*d*) Quae sequuntur D omittit usque *Et ubicumque sunt fratres* in cap. X, et postea sequitur in D narratio de compositione Reg. 2 in Monte Columbo, ex cap. VI. — (*e*) E *uestimentis.* — (*f*) B add. *uestibus.* — (*g*) E add. *et.* — (*h*) E *ipsos.* — (*i*) E om. *ex tota mente.* — (*k*) C om. — (*l*) E *uita.* — (*m*) B om. — (*n*) BC *dicebat,* E *Et dixit abbas Pastor.* — (*o*) B *Hec enim... iustitia est.* — (*p*) C om. — (*q*) B *maior.* — (*r*) C om. B intra lineam.

---

[1] *Vitae Patrum,* V, 15, 19, Migne, P. L. 73, 957.

[2] Ubi Pastor dixerit, non inveni.

[3] Luc. VI. 37; Matth. VII, 1.

a Deo postulat (*a*), omnibus exorat, et quanto magis sibi vilescit, tanto magis proximi memoria, quantumcunque peccatoris, ei est munda et reverenda. Humilitas enim dum querit et diligit a superbia elongari, pietatis affectum equaliter gerit ad omnes et iustitie rectitudini in veritate se offerens, dum sue vilitatis et culpe confessionem ardenter sitit, ab omni temeritatis et arrogantie et suspitionis et presumptionis iudicio avertit cogitatum. A paupere enim et humili Domino et magistro ad paupertatis et humilitatis adiscendam (*b*), amandam et tenendam perfectionem altissimam et celestem et divinam dignitatem, gratis electi et vocati indesinenter considerare debent, quomodo ex debito suscepti doni obligati sunt in odio radicis *omnium malorum* scilicet cupiditatis [1] semper crescere et inimicam Deo et suo nomini contrariam superbiam horrere et abhominari. Pauperes spiritu, corde purgato a superbie inquinamento et errore mendacij, seipsos odiunt, iudicant et despiciunt, et omnem hominem secularem, clericum et religiosum amant (*c*), beatificant et [*f.* 26 *v*] honorant. Nec reminiscuntur malorum, que ab (*d*) hominibus patiuntur, set de manu Dei (*e*) cum gratiarum actione recipiunt omnia. Et Christi mortis et Dei iustitie et suarum culparum memoriam tenentes, confitentur et intelligunt solum se ipsos suorum malorum esse auctores, et condigna commissis se non posse in hac vita suscipere certissime sciunt. Hinc est quod causam vel (*f*) querelam adversus quemquam (*g*) non habent, etiam si (*h*) habere, cogentibus (*i*) emulis, videantur, quoniam Christi spiritus in veritate ex caritate pro laude Dei et gloria et persequentium utilitate loquitur in eis; nec in hiis que locuntur et agunt, *querunt que sua sunt,* set *que Ihesu Christi* [2]. Pauperes enim spiritu sunt vere humiles et vere omnibus (*k*) minores et contra suum nomen et (*l*) veritatem perfecte humilitatis agunt, si lesi et iniurias recipientes, offendentibus et inferentibus iniurias primi, corde purgato et mente subiecta, in caritate non occurrant. Ego enim *dixi, nunc cepi* in soliditate humilitatis meipsum fun-

(*a*) BC add. *pro.* — (*b*) B add. *et.* — (*c*) BE add. *et.* — (*d*) E *patiuntur ab hominibus.* — (*e*) C *domini.* — (*f*) C *et.* — (*g*) C *nullum.* — (*h*) E *etsi.* — (*i*) B *emulis cogentibus.* — (*k*) E *minores omnibus.* — (*l*) E om. *et ueritatem.*

[1] Cf. 1 Tim. VI, 10.

[2] Philip. II, 21.

dare, *hec mutatio dextere excelsi* [1], qua a sinistra transitur in (*a*) dexteram, ut Christi crucis communicata virtute et mortis ipsius vitali operatione suscepta in corde, humilitate veraciter minorato (*b*), miraculo grandi et stupendo et antichristiane superbie confutativo, facta est despectio vera laus, et paupertatis penuria divitie (*c*) permanentes et vere, et (*d*) obprobria et contumelie dignitates et honores perpetui et celo digni, sitis et exuries quasi delitie incorruptibiles et epule sempiterne. Profecto qui iustitia humilitatis minor est, nunquam moritur, quia recte credit et pie Deum colit, nec extollitur, nec dolum fabricat adversus fratrem suum, nec in passiones inmunditie cadit, nec demonum errores et insanias sequitur, set studium et affectum et omnes vires convertit ad veritatem humilitatis, quam suscipiens semper scrutatur mala sua et in seipso et in libro crucis legit ea, et a Christo virtutem accipit in humilitate standi et seipsum intelligendi et reprehendendi et neminem despiciendi et iudicandi, cum desiderio inextinguibili sue reprehensionis et correctionis; et in hoc vixit et crevit et permansit usque in finem, omnium (*e*) minimus, immitator et innovator Christi perfectionis et vite, signatus in signum ruine et resurrectionis multorum [2], sextus angelus [3] Franciscus.

(*a*) C *ad.* — (*b*) E *myrrhato.* — (*c*) E *uerę diuitię et permanentes.* — (*d*) B *et* delevit. — (*e*) B in margine add. *minorum.*

[1] Ps. 76, 11.

[2] Cf. Luc. II, 34.

[3] Apoc. VII, 2, qui locus saepe, et ab ipso S. Bonaventura in Prologo *Leg. mai.*, et iuxta testimonium Ubertini a Casali, *Arbor Vitae,* V, 3 (secunda columna capituli), in Capitulo Parisiensi a. 1266, S. Francisco applicabatur.

[Tertium Capitulum] (*a*).

Clerici faciant divinum officium (*b*) [1] etcetera. Data doctrina et diffinitione in primo capitulo de substantialitate vite et regule Minorum et eorum obedientia (*c*) ad ecclesiam et Romanum pontificem et Franciscum et eius successores, et in (*d*) II° capitulo declarata et determinata forma recipi- [*f.* 27 *r*] endi fratres ad eandem vitam evangelicam (*e*), regulam et habitum humilitatis, in III° capitulo ad opera precipue sanctitatis eos breviter et plene informat. Et primo ad opera divini cultus et reverentie. De (*f*) quo primo (*g*) in prima regula [2] sic erat scriptum:

Dicit (*h*) *Dominus in evangelio:* Hoc genus demoniorum non potest exire nisi in ieiunio (*i*) et oratione [3]. *Et iterum* [4]*:* Cum ieiunatis (*k*) nolite fieri sicut ypocrite tristes. *Et* [5] vigilate et orate, ne intretis in temptationem (*l*). *Et* [6] cum oratis, dicite: Pater noster *etcetera. Propter hoc omnes fratres, sive clerici sive layci, faciant divinum officium, laudes et orationes, secundum quod debent facere. Clerici faciant divinum officium*

(*a*) A add. manu posteriore, E (rubrica): *Cap. III. De diuino officio et ieiunio et quomodo ire debeant per mundum,* B *de diuino officio,* C *De diuino officio et ieiunio, et quomodo fratres debeant ire per mundum, Capitulum 3.* — (*b*) BCE add. *secundum ordinem sancte romane ecclesie.* — (*c*) A *obedientiam.* — (*d*) C om. B postea adiecit. — (*e*) C add. *et.* — (*f*) C om. quae sequuntur ex regula prima. — (*g*) E om. — (*h*) BE *dominus dicit.* — (*i*) E *oratione et ieiunio.* — (*k*) A *ieiunati.* — (*l*) E add. *etc.*

[1] *Opusc.* p. 66.

[2] Reg. 1, c. 3, *Opusc.* p. 27-29.

[3] Matth. XI, 8; Luc. VII. 25; Marc. IX, 28.

[4] Matth. VI, 16.

[5] Matth. XXVI, 41; Marc. XIV, 38.

[6] Luc. XI, 2, cf. Matth. VI, 9. Hi duo loci e Scriptura desunt in textu vulgato Reg. 1, c. 3, *Opusc.* p. 28.

et dicant secundum consuetudinem clericorum Romane ecclesie pro vivis et pro (*a*) *mortuis. Et pro defectu et negligentia fratrum dicant omni die* Miserere mei Deus *et* Pater noster; *pro defunctis dicant:* De profundis *cum* Pater noster. *Et libros tantum necessarios ad inplendum eorum officium possint habere. Et laycis scientibus legere psalterium, liceat habere illud. Alijs vero nescientibus literas, librum habere non liceat. Layci vero dicant:* Credo in Deum *et XXIIII*^{or} Pater noster *pro matutino, pro laudibus vero V*^{e}*, pro prima* Credo in Deum *et VII*^{em} Pater noster *cum* Gloria Patri. *Pro III*^{a}*, VI*^{a} *et IX*^{a}*, pro unaquaque earum* (*b*) *VII*^{em}*, pro vesperis XII, pro completorio* Credo in Deum *et VII* Pater noster *cum* Gloria Patri. *Pro mortuis VII* Pater noster *cum* Requiem eternam. *Et pro defectu et negligentia fratrum tria* (*c*) Pater noster *quolibet* (*d*) *die. Et similiter omnes fratres ieiunent a festo omnium sanctorum usque ad natale* (*e*) *Domini. Et ab epiphanya, quando Dominus noster Ihesus Christus incepit ieiunare, usque ad pascha. Aliis autem temporibus non teneantur secundum hanc vitam nisi VI*^{a} *feria ieiunare. Et liceat eis de omnibus cibis, qui* (*f*) *apponuntur, manducare secundum evangelium* [1].

Ista de ieiunio et divino cultu erant scripta in prima regula. Qui divinus cultus in omni religione debet esse principalissimus, eo quod ad ipsum et propter ipsum omnia ordinari et fieri debent a servis Dei, quia a divino cultu cuncta (*g*) dependent sicut ab ultimo suo perfectissimo fine. *Nam et Pater tales querit,* dicit Christus ad Samaritanam, *qui adorent eum* (*h*). *Spiritus* enim *est* (*i*) *Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* [2]. Colere enim Deum est adorare et orare eum fideliter (*k*), reverenter, humiliter (*l*), sapienter (*m*), cum caritate et gratiarum actione et laude. Mente enim nostra (*n*) Christi menti unita (*o*), sacrificium laudis et Deo grate confessionis et honorificentie corde, ore et opere in Spiritu Sancto offert continue Patri. Inpossibile enim est absque Christi inhabitatione hominem quempiam cogita-

---

(*a*) B om. — (*b*) E *istarum,* in margine: *earum.* — (*c*) B *ter.* — (*d*) E *pro qualibet die.* — (*e*) B *natalis.* — (*f*) A *que.* — (*g*) A *cunta,* C *omnia.* — (*h*) C *ipsum.* — (*i*) BE *deus est.* — (*k*) B add. *et.* — (*l*) B add. *et.* — (*m*) E om. — (*n*) C *vestra.* — (*o*) C *linita.*

---

[1] Luc. X, 8.

[2] Ioh. IV, 23-24.

tionum et affectualium desideriorum rectificationem habere et possidere sanctimoniam et in- [*f.* 27 *v*] divisibilem ad Deum et ad sepsum et ad proximum, ad salutem necessariam unitatem. Set neque inimicorum dilectionem et in adversitatibus et (*a*) iniurijs pacem inperturbabilem et spiritus letitiam sentiet, qui Christum veraciter (*b*) in se manentem non habet. Omnis enim ordo et regularis status principalissime ad divinum cultum et ad caritatis obedientis et subiecte insolubile vinculum per Christi (*c*) spiritum introductus et institutus est. Unde naturalis lex et scripta et Christi gratia et evangelium divinum cultum cum perfecta Dei et proximi caritate docent, predicant et mandant. *In ore* enim *trium* (*d*) *vel duorum testium* horum *stat omne verbum* [1], a Deo hominibus inditum, datum et inspiratum, ut eum sine oblivione ex omnibus et in omnibus habeant in memoria et viriliter et inpredabiliter teneant, prudenter et sapienter intelligant et sincere (*e*), ardenter et perseveranter ament, laudent, glorificent et adorent.

Divine autem laudes et presertim hore canonice a viris apostolicis institute sunt ad laudandum et colendum Deum (*f*): iugis sacrificij et sacre ministrationis thymiamatis et incensi oblati Domino (*g*) *in odorem suavitatis* [2] intellectualiter et affectualiter locum tenent. Quare vigilanter et devote et cum summa reverentia ad exemplum conditoris (*h*) huius regule et principalissime qui voverunt eam, si *Deo placere* [3] desiderant, obligati sunt horarum vota Christo persolvere, omnibusque aliis curis et sollicitudinibus postpositis (*i*), sacram (*k*) horarum ministrationem ex tota mentis intentione et affectione quasi *holocaustum medullatum* per Christum Patri *offerre* [4]. In quibus laudibus sequi debent consuetudinem sancte Romane ecclesie, que est mater et domina et magistra omnium ecclesiarum Dei. Ad quam respicere et in omnibus eam sequi perfectionibus sanctis et divinis doctrinis et semper eidem reverenter subditos et (*l*) obedientes omnes fratres vult singulariter esse. Dicit

(*a*) E add. *in.* — (*b*) E *in se ueraciter.* — (*c*) C *christum.* — (*d*) C *duorum vel trium,* E in margine *horum testium.* — (*e*) C *sinceriter et,* B add. *et.* — (*f*) BC add. *et.* — (*g*) BC *deo.* — (*h*) C *conditionis.* — (*i*) C om. — (*k*) BC *sacrarum.* — (*l*) E add. *esse.*

[1] Matth. XVIII, 16.
[2] Cf. Exod. XXIX, 41.
[3] Cf. Rom. VIII, 8.
[4] Cf. Ps. 65, 15.

autem *ex quo habere poterunt breviaria* (*a*). Quia quando non habebant breviaria, faciebant officium iuxta morem illarum ecclesiarum vel clericorum, cum quibus inveniebantur. Et quoniam ad usum absque omni appropriatione singularis persone volebat quod fratres breviaria haberent, et sicut mendicatum panem ad cotidianam (*b*) et necessariam corporis substentationem absque appropriatione aliqua invenientium ex regulari ordinatione recipiebant, ita habitis libris ad divinum cultum necessarijs vel oblatis a fidelibus fratres uti voluit tanquam Domino (*c*) dedicatis ex obedientia et mandato evangelice regule sine omni utentium dominio et appropriatione. Tempore namque sancti Francisci convenerunt Assisij in capitulo generali usque ad quinque milia fratres, qui in quodam armario seu tinello ligneo breviaria, quibus utebantur, deponentes, recessuri nullus eorum (*d*) [*f.* 28 *r*] breviarium quod deposuerat, set quod primo manibus occurreret, reportabat, unoquoque de usu vilioris et magis pauperis breviarij, utpote promisse paupertati magis conformis, singulariter exultante [1].

Intelligebant enim, se Christi spiritu et paupertatis amatore Francisco docente, et (*e*) quam admirabilis dignitas et quam alta sublimitas esset omnia propter Christum et eius evangelij observantiam perfecte relinquere et ab amore visibilium omnium affectum segregare, et ex totis precordiis ad sola manentia et eterna, flamantibus desiderijs aspirare et soli Deo intrinsecari (*f*) et adherere ex caritate perfecta, semper sitire, vehementius concupiscere et ardentius amare. *Hec est* enim, ait Christus [2], *vita eterna, ut* ex infusa gratis sapientia caritatis *cognoscant te Deum verum et quem misisti Iesum Christum*. Qui, ut nos doceret paupertatis, que iura regni tenet, celestem et altissimam perfectionem amare, de pauper-

(*a*) C add. *id est propter quod habere poterunt breviaria.* — (*b*) E om. *cotidianam et.* — (*c*) C *deo.* — (*d*) E om. — (*e*) BCE om. — (*f*) C om. *intrinsecari et.*

[1] In fontibus notis Vitae S. Francisci hoc non narratur, quaedam allusio potest videri in *Leg.* trad. *3 Soc.* c. 11, ed. Amoni, p. 66: *Nihil insuper sibi proprium vendicabant, sed libris et aliis collatis, eisdem utebantur communiter secundum regulam ab Apostolis traditam et observatam.* Etiam aliis locis S. Francisci voluntas libros communi usui inservire debere commemoratur; cf. *Spec. perf.* c. 5, p. 14-15; 2 Cel. 2, 32, p. 217; Ubert. a Cas. *Arbor Vitae,* V, 5, fol. E III vb et ALKG, III, 75.

[2] Ioh. XVII, 3.

cula matre natus, que, teste Crisostomo [1], vix una vili operiebatur tunicula, non ad ornatum set ad operimentum corporis, *pannis* involutus, reclinatus est *in presepio, quia non* habebat locum *in diversorio* [2]. Ieiunans erat cum bestiis in deserto, predicans et laborans pernoctabat solitarius vigilans in oratione Dei, hospitio, tecto et lecto carens, nudusque in medio latronum in cruce pendens, *cum lacrimis et clamore valido* [3] spiritum in manibus Patris commendans exivit de mundo; depositusque (*a*) de cruce involutus data a Iosep sindone, clauditur in alieno sepulcro, ut glorie regni Dei evangeliçate (*b*) pauperibus et promisse eisdem possessionem eternam et hereditariam testamento inmobili per crucem, mortem et sanguinem confirmaret [4].

Quia vero ex revelatione certa tenebat fratres in universo orbe multiplicari debere et Romanum psalterium tantum in Romanis partibus est in usu, excipit psalterium, ut in psalmis cum ceteris ecclesiis (*c*) conformitatem haberent et ea uterentur interpretatione, quam Greci et Latini concorditer habent et in ecclesiis cantant.

Layci vero dicant XXIIII Pater noster *pro matutino, pro laudibus V, pro prima, III*ª, *VI*ª (*d*), *IX*ª, *pro qualibet istarum VII, pro vesperis autem XII, pro completorio VII; et orent pro defunctis.* Sicut magnus ille Iohannes Climacus docet in libro suo qui dicitur *Scala,* capitulo XXVI° (*e*), in quo tractat *de discretione cogitationum, vitiorum et virtutum* [5]: « Alphabetum [6] universis

(*a*) B *depositus,* C *depositum.* — (*b*) C *euangelizante,* B cor. ut A. — (*c*) C om. — (*d*) E add. *et.* — (*e*) B falso: *XXVII.*

[1] Ubi praecise dixerit, non inveni, cf. quaedam similia in Homilia in illud *Salutate Priscillam et Aquilam* (Rom. 16, 3), Migne, P. G. 51, 193.

[2] Cf. Luc. II, 7.

[3] Heb. V, 7.

[4] Cf. supra, p. 59, nota 3, et infra, p. 97.

[5] Titulus *Gradus XXVI,* Migne, P. G. 88, 1014.

[6] Duo Alphabeta paraenetica, quae sequuntur, ad verbum desumpta sunt ex *Scala,* Grad. XXVI, Migne, P. G. 88, 1018: Pauca verba inter utrumque Alphabetum existentia Clarenus omittit. Cum Clarenus *Scalam* latine reddiderit, hi duo loci proculdubio ex hac eius versione desumpti sunt. Revera versio antiqua italica, facta a Gentili de Fulgineo O. S. A., iuxta versionem latinam Clareni, plane correspondet in locis citatis textui nostro, dum parumper discrepat ab illa facta ab Ambrosio Traversari O. Cam., edita ap. Migne, l. c. Tam in hac versione latina Clareni, quam in versione italica Gentilis Fulginatensis, *La Scala del Paradiso di S. Giovanni Climaco, testo di lingua, corretto su antichi Co-*

incipientibus Deo servire in XXIIII^{or}, inquid, elementis consistit. Que sunt obedientia, ieiunium, cilicium, cinis, lacrime, confessio, silentium, humilitas, vigilie, fortitudo, frigoris, nuditatis (*a*), [*f.* 28 *v*] famis, sitis, laboris, doloris (*b*), infirmitatis (*c*) et miserie (*d*) leta sufferentia, contemptus, contritio, non retribuere malum pro malo set malitie oblivisci, amor fraternitatis, mansuetudo, fides simplex et firma sine curiositate questionum, privatio curarum seculi, sollicitudinis mundi et cure carnis, odium, sine odio, parentum, regionis proprie et locorum delitiosorum, non affici ad se vel ad domesticos, aut ad aliud aliquid vitiose, simplicitas cum innocentia, mortificatio voluntatis, spontanea vilitas ». « Lex autem et alphabetum spirituum et corporum in carne perfectorum est: incaptivabile cor, perfecta caritas, humilitatis fons, mentis (*e*) ad Deum peregrinatio, Iesu Christi adventus et (*f*) induitio (*g*), luminis et orationis impredabilitas, Dei illuminationis supersubstantialis superhabundantia, desiderium et concupiscentia mortis, odium vite, fuga corporis, mundi interpellator et intercessor, Dei violentator, angelorum comminister (*h*), scientie abyssus, misteriorum domus, dominator (*i*) et rex corporis et mentis, nature tutor, a peccato peregrinus, inpassibilitatis dominus (*k*), immitator Domini ex auxilio Domini [1] ». Senium enim ad religiosos et caritatem et perfectorum perfectionem pertinet, sicut iuventus et virilitas et profectus in virtutibus ad clerum, et spei fiducia ad proficientes et pugnantes, et tanquam adolescentia ad secularium et coniugatorum seu incipientium statum et fidei firmitatem per appropriationem quandam pertinere distinguitur.

Hec autem XXIIII^{or} initiantium (*l*) et perfectorum spiritualia elementa in XXIIII^{or} *Pater noster,* qui (*m*) pro maiori hora laycis

(*a*) B *nuditas.* — (*b*) B *labor, dolor* cor. — (*c*) B *infirmitas.* — (*d*) B *miseria.* — (*e*) E om. — (*f*) E om. — (*g*) C *in iudicio ecc.* quae sequuntur omittit usque *et orent pro defunctis.* — (*h*) E *minister.* — (*i*) Sic BE, A *dator.* — (*k*) BE *domus.* — (*l*) B manu posteriore in margine *initiantium - XXIIII^{or}.* — (*m*) E *que.*

dici Mss. per Ant. Ceruti, Bologna 1874, p. 357-58, desunt litterae Alphabeti quae in originali habentur. Addam in versione italica hinc inde adici verbum explicationis, quod deest in originali et in versione Clareni.

[1] Hucusque locus ex *Scala* l. c. Pauca quae sequuntur ex terminologia Ioachimismi desumpta sunt; nam clare apparet divisio trium statuum, scl. religiosorum, (Evangelium aeternum), clericorum (Nov. Test.), coniugatorum (Vet. Test.).

regulariter inponuntur et velud in quibusdam typicis signaculis decantati ad laudem agni et in throno sedentis, consonantiam habent sacram cum XXIIII^or senioribus habentibus *cytharas et phyalas aureas plenas odoramentorum* [1], et coram agno (*a*) procedentibus (*b*) et *novum* vere prefatum perfectorum *canticum* (*c*) cantantibus coram eo [2].

Possunt etiam (*d*) designare illa XXIIII^or *Pater noster,* XXIIII^or Christi opera sacra, ad que omnia alia ipsius opera reducuntur. Videlicet (*e*) ad (*f*) predestinationem, A, Alpha [3]; prefigurationem, B, vita (*g*); prophetyam, Γ, gamma; promissionem, Δ, deltha; exibitionem eius in annuntiatione et Virginis (*h*) consensu, seu incarnationem, E, epsilon (*i*); nativitatem et nascentis (*k*) revelationem factam pastoribus cum angelica glorificatione, Z, çita; circumcisionem, H, ita; apparitionem stelle regibus in oriente et eorum inquisitionem, inventionem, adorationem, oblationem et angelicam ammonitionem, Θ, thita (*l*); oblationem in templo et sancti Simeonis occursum, susceptionem pueri Ihesu, canticum, benedictionem et prophetyam et confessionem et colloquium Anne prophetisse, I, iota; fugam in Egiptum, moram [*f.* 29 *r*] et reditum, angelo ammonente Iosep scilicet (*m*), et habitationem in Naçareth, K, cappa; absenta-

(*a*) E om. — (*b*) BE *procidentibus.* — (*c*) BE *cantum.* — (*d*) E *et.* — (*e*) BE *usque.* — (*f*) B om. — (*g*) E *bita.* — (*h*) E *uirginis consensu.* — (*i*) Sic recte E, A *ephente.* — (*k*) BE *natiuitatis.* — (*l*) B *thila.* — (*m*) E *factum,* B *scm* (?)

[1] Apoc. V, 8.

[2] Apoc. V, 9; XIV, 3.

[3] Clarenus hic imitatur Alphabetum paraeneticum graecum. Hic textus enim videtur esse compositio eius propria, quamvis usus litterarum graecarum innuere posset, eum aliunde hausisse. Quaedam vestigia talis Alphabeti habentur etiam in Tribulatione 6. ed. Ehrle, ALKG, II, 137-38 (Döllinger omisit). — De usu Alphabeti paraenetici ap. Graecos cf. Dragutin N. Anastasijewić, *Die paränetischen Alphabete in der griechischen Literatur.* Inaugural-Dissertation. München 1905, qui auctor, p. 79, referens illa duo Alphabeta ex Climaco (supra, p. 83s.) merito observat talia non esse Alphabeta in sensu vero, classico, cum non sint versibus etc. composita: « *Das sind natürlich keine « Alphabete » im wahren Sinne des Wortes, sondern nur — wenn man so sagen darf — Schein-Alphabete, in denen anstatt der wahren Akrostichis eine Schein-Akrostichis, und anstatt von 24 Paränesen 24 moralisch-asketische Begriffe figurieren. Dennoch konnten sie aber Iohannes und sein Scholiast metaphorisch « Alphabete » nennen.* l. c. p. 80, nota 1. — Clarenus vero vitam Christi et totam oeconomiam salutis suo Alphabeto complectitur. Litterae quas adhibet sunt graecae illius temporis, quas, uti consentaneum est, hic litteris hodiernis transcribimus. Codex E saepe scribit formam latinam litterarum.

tionem a parentibus (*a*) Ierusalem, inquisitionem cum dolore, inventionem post triduum in medio doctorum, admirationem, allocutionem matris, responsionem, descensum cum eis in Naçareth et subiectam parentibus archanam conversationem, Λ, landa (*b*); baptisma et in baptismate orationem, aquarum sanctificationem, apertionem celorum, vocem Patris et testimonium, descensum Sancti Spiritus super eum et ducatum in desertum, M, mi; quadraginta dierum ieiunium, orationes, vigilias, famem, temptationem, trinam victoriam et ministrationem angelicam, N, ni; predicationem, discipulorum electionem, vitam et conversationem, sacramenta, miracula, precepta, consilia, exempla, Ξ, xi; passionem, crucem, mortem et sepulturam triduanam, O, omicro (*c*), oparvum (*d*); descensum ad inferos, confractionem portarum averni, ligationem principis mortis, liberationem sanctorum et eductionem de limbo, Π, py; resurrectionem et suscitationem (*e*) sue resurrectionis testium, et apparitiones per dies XL[a], illuminationem et confirmationem discipulorum, P, ro; ascensionem in celum, et tronum et sessionem ad dexteram Patris, Σ, syma; Spiritus Sancti missionem et carismatum dona, T, tau (*f*); fundationem ecclesie, dilatationem et gubernationem, Y, ypsilo; antechristi (*g*) adventum, tribulationem, interfectionem et exterminationem regni eius et celestem ecclesie finalem statum, Φ, fy; adventum eius ad iudicandum orbem in sede et (*h*) gloria maiestatis sue, in flamma ignis, cum angelis virtutis eius, X, chy; resurrectionem mortuorum in novissima tuba, in voce virtutis eius, assistentiam (*i*) omnium ante tribunal eius, discussionem meritorum, segregationem, maledictionem reproborum et sententiam dampnationis eterne, Ψ, psi; benedictionem sanctorum electorum, assumptionem et corporeitatem (*k*), unionem, conformitatem, configurationem (*l*), assimilationem, glorificationem, beatificationem ineffabilem et eternam, Ω, omega (*m*).

Et hec sunt elementa, quasi sortes XXIIII[or] eterni Christi sacerdotij, hiis qui seipsos in holocaustum et spirituales hostias sacerdotaliter offerunt Deo, misericorditer distribute a *Patre misericordiarum*[1],

(*a*) BE add. *in*. — (*b*) B *lauda*, E *Lambda*. — (*c*) E *Omicron*. — (*d*) E *operimen* (!) — (*e*) B add. *et*. — (*f*) E *Thaf*. — (*g*) B *antiX*[i]. — (*h*) E om. *et gloria*. — (*i*) B *assistentia*. — (*k*) E *charitatem*. — (*l*) B add. *et*. — (*m*) Sic recte E, A *otomega*.

[1] 2 Cor. I, 3.

ut ascendant *matutine* preces eorum (*a*) ante tronum gratie (*b*) eius *in odorem suavitatis* (*c*) [1].

Quinque vero *pro laudibus,* ut sanctificatis corporis sensibus et anime in virtute et sentimento quinque plagarum Christi et rectificatione fidei, patientie, humilitatis (*d*), fiducie et spei et caritatis ipsius, resuscitati cum Christo et ipsius morti configurati, humilitatis magistro conformes, spe celestia querant et cari- [*f.* 29 *v*] tatis veritate (*e*) participent, *Agnum, qui tollit peccata mundi* [2], cum Patre et Spiritu Sancto sine fine laudantes.

Pro vesperis vero (*f*) *XII, et reliquis horis VII,* ut operum virtutum Christi sanctificationes in septenario figuratas habere satagant, atque fructibus (*g*) spiritus repleti in duodenario designatis affectibus cruciformibus in Christum transformentur, illuminati fulgoribus existentibus in facie claritatis eius.

Et orent pro defunctis. Quoniam unum est corpus Christi misticum, et orare tenemur *pro invicem ut* salvemur [3], vel quod iuxta morem Romane ecclesie, et (*h*) apostolorum et sanctorum traditiones per Spiritum Sanctum datas, qui a principio statuerunt in orationibus publicis et privatis, in missis et in horis canonicis pro laborantibus in purgatorio iugem habere memoriam et orare, *ut a peccatis solvantur* [4], et quod simul cum disciplinis et alijs penitentie et pietatis operibus pro ipsorum celeri liberatione et salute inpetranda, instanter fiat oratio cotidie apud Deum. Idcirco iubet pro defunctis semper orare et ex caritatis affectu pro ipsis continuas et efficaces apud (*i*) Deum fundere preces.

Predicti magistri dicunt [5] quod eis tutum non videtur, quod fratres iam quater detruncaverunt aliquid (*k*) de officio et ipsum

(*a*) BE om. — (*b*) BE *glorie.* — (*c*) E add. *Amen.* — (*d*) E add. *et.* — (*e*) E *virtute.* — (*f*) E *autem.* — (*g*) B *fructus.* — (*h*) E om. — (*i*) E *ad.* — (*k*) B *aliqua.*

[1] Cf. Exod. XXIX, 41.

[2] Ioh. I, 29.

[3] Cf. Iac. V, 16.

[4] 2 Mach. XII, 46.

[5] Quattuor Magistri, c. 3, *Firm.* Paris. 1512, IV, fol. 18 vb (ed. Venet. 1513, III, 16 vb.): *Item cum levitas sit in nobis maxime reprobanda et fratres multi proniores sint ad ocium quam ad orationem, et in paucis locis comparatione partis residue sint studentes, et fratres clerici ad faciendum officium divinum s. romane ecclesie teneantur, mutatio facta officii multum gravat. Tum quia possumus argui levitatis, a tempore constitutionis regule officio ter mutato,*

variaverunt, quamvis privilegium hoc faciendi a Romana curia inpetrassent. Regula enim mandat fratribus (a) *officium* facere *secundum* consuetudinem *sancte Romane ecclesie,* ex quo sequitur quod in futurum iuxta variationem et determinationem (b) officij ab ecclesia factam, fratres officium facere tenentur ex regula. Inpetrare vero ab ecclesia precum inportunitate officium detruncandi et variandi (c), licet ecclesia concedat, non (d) consonat regule puritati.

Cum enim fratres super hoc a papa Gregorio (e), qui multum ordinem dilexit, privilegium postularent, ipse pro ipsorum et aliorum hedificatione conatus est piis exortationibus eos inducere ad tenendum officium ecclesie indecisum, dicens eis: Fratres, si vultis absque detruncatione aliqua officium ecclesie facere, omnibus religiosis, qui sunt in ecclesia, exceptis canonicis regularibus et monachis sancti Benedicti, mandabo quod vestrum officium faciant. Et noluerunt fratres ei assentire (f), set inportunis precibus inpetraverunt privilegium [1] *suffragia sanctorum* dimictendi in matutinis et vesperis, tam in festis quam in ferialibus horis et *miserere mei Deus* in matutinis ferialibus et *canticum graduum* in adventu Domini (g) et detruncandi letanias. Officium autem usque in presens

(a) E om. — (b) C *detruncationem.* — (c) E add. *priuilegia.* — (d) E add. *tamen.* — (e) C add. *nono.* — (f) B ex *absentire* cor. *consentire.* — (g) C om.

nec occasionem ocii fratribus prestare est securum, nec aliquo modo expedit a breviario fratribus qui student, quibus scientie occupatio est salubris, ne per privilegium impetratum ab obligatione regule sint securi, nisi de officio mutato, quod sit secundum ordinem romane ecclesie, constiterit evidenter.

Non igitur *quater* sicut vellet Clarenus, sed *ter* officium divinum tempore Quattuor Magistrorum (1241-42) mutatum erat, qua de re nihil fere notum est. Ex textu Quat. Mag. videtur usus officii brevis introductus studiorum causa.

[1] Unde Clarenus tales notitias hauserit, non liquet. Hic evidenter sermo fit de reformatione Haymonis de Faversham (1240-1244). Gregorii IX vero habetur unica bulla de breviario franciscano *Pio vestro* data 7 Iunii a. 1241, *Bull. Franc.* I, 296, qua approbatur generatim breviarium reformatum: *Vestrae,* inquit Pontifex, *precibus devotionis inducti, ut observantia moderni Divini Officii, quod in Breviariis vestris ex acta diligentia correctum a Nobis, ex statuto Regulae vestrae iuxta Ecclesiae Romanae morem, excepto Psalterio, celebrare debetis, sitis contenti perpetuo.... vobis auctoritate praesentium indulgemus.*

De hac bulla videtur loqui Clarenus, qui in singulis explicat, in quibus reformatio consistebat. Alia bulla de officio divino Frat. Min. extat, illa scil. Innoc. IV, *Pio vestro,* data 20 Iunii a. 1244, *Bull. Franc.* I, 344, in qua tamen nihil novi.

in ordinarijs Romane ecclesie [1] sine detruncatione invenitur ordinatum.

Unde interfui quando Fratres Minores de hoc coram quibusdam personis sollempnibus et antiquiori cardinali, qui esset in curia [2], loquentes, affirmabant [*f.* 30 *r*] quod Romana ecclesia eorum receperat ordinarium: ostendit eis prefatus cardinalis (*a*) quod ipsi decipiebantur, et fecit portari ordinarium, quo usi fuerant omnes pontifices sui temporis, et probavit eis quod ecclesia in nullo mutaverat suum breviarium, set clerici aut ex ignorantia aut ex tepiditate spiritus talem detruncationem receperant [3], et tunc (*b*), quod credideram esse certum, verti in dubium, videlicet quod talis breviatio ab ecclesia fuisset facta, recepta et approbata, quamvis tali breviatione omnes quasi communiter utantur et gaudeant.

Et ieiunent a festo omnium sanctorum usque ad nativitatem Domini etcetera. Quoniam religiose viventes exhibere debent *corpora* sua *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* [4], ideo secundario per opera penitentie ad cultum divinum realiter pertinentia, videlicet per devota ieiunia et rationabilia ordinat divini obsequii [5]

(*a*) E add. *et.* — (*b*) CE om. *tunc - ab ecclesia,* B habet in margine.

[1] Nicolaus III (1277-1280) econtra introduxit iuxta Rodulphum Tongrensem in ecclesias Urbis breviarium Frat. Min. Avenione vero tantum a Benedicto XII, a. 1337, introductum est. Cum autem ea, quae narrat hic Clarenus, ad Avenionem referenda esse videntur, ideo improbabilia non sunt. Patet autem has notitias Clareni de Officio divino Frat. Min. non esse sine quodam momento pro historia Breviarii franciscani et Breviarii generatim. Pro historia Brev. franc. cf. Golubovich, *Caeremoniale Ord. Minorum vetustissimum,* ap. AFH, III, 1910, 55 ss. (ubi corrigenda dicta de anno Capituli Metensis, iuxta Bihl, AFH, IV, 1911, 425 ss., scil. a. 1254); Bäumer, O. S. B., *Geschichte des Breviers,* Freiburg i. B. 1895, 319 ss., versio gallica a Biron, O. S. B., *Histoire du Bréviaire,* Paris 1895, II, 22 ss.; Batiffol, *Histoire du Bréviaire Romain,* ed. 3., Paris 1911, 242 ss.

[2] Forsan Iohannes Columna, apud quem Clarenus Avenione morabatur, et qui, creatus Cardinalis a. 1278, mortuus est Aven. 14 Aug. a. 1318; Eubel, *Hier. cath.* I, 9; vel vero similius Napoleo Ursinus, et ipse Spiritualium amicus, creatus Cardinalis a. 1288, mortuus a. 1342, Eubel l. c. 11; De Card. Nap. Ursino a. 1334 expressis verbis dicitur: *qui erat in cardinalatu antiquior omnibus Cardinalibus.* Vita V Ioannis XXII, Baluzius, *Vitae Pap. Aven.*, I, Paris. 1693, 178, et ap. Muratori, *Rer. Ital. Script.* III, pars II, Mediolani 1734, 504.

[3] Cf. supra, nota 1. De influxu Exsilii Avenionensis in Breviarium cf. Bäumer, l. c. 364 ss.

[4] Rom. XII, 1.

[5] Rom. l. c.

cultum et presertim illis temporibus, que ad reverentiam et piam memoriam Christi incarnationis et nativitatis et sue quadragesime et passionis et resurrectionis a (*a*) patribus et apostolicis viris sunt sollempniter celebrata, in hoc sicut et (*b*) in alijs Christi exemplum sequens, qui suis discipulis pauca ieiunia inposuit, set determinata a lege et prophetis, sue vite perfectionem sequendo, habundantius sufficere decrevit. Non enim *possunt filij sponsi,* ait, ieiunare et servare alta Precursoris mei ieiunia, *quamdiu sponsus cum illis est.* Veniet tempus quando *auferetur* (*c*) *sponsus et tunc* (*d*) Sancti Spiritus dono repleti, *ieiunabunt* [1] et inpassibiles erunt.

Aliis autem temporibus non teneantur nisi VI^a^ feria ieiunare ex regulari subauditur (*e*) precepto et auctoritate. Quadragesimam vero epiphanie noluit (*f*) sub precepto ponere, set propter maioris meriti premium et remedium necessarium dandum conscientijs et infirmitatibus et penurijs fratrum, nil habentium (*g*), nil (*h*) portantium in discursibus varijs et laboriosis sue peregrinationis propter çelum evangelice paupertatis sub Dominice benedictionis obtentu, pie in arbitrio et libertate devotorum, et consecratarum Christo mentium ponit, quia ex tali modo, Christo et non sibi viventes, ad ipsam ieiunandam magis inducebantur et ardentius aspirabant. Et qui (*i*) propter diversas conditiones debilitatis aut infirmitatis penurie aut laboris ieiunare non poterant, nullius anxietatis vel tristitie tedio, vel hesitationis indiscrete, aut nimium tenere conscientie stimulo gravarentur.

Solent plerumque ferventium spiritu (*k*) conscientie (*l*) superflua et (*m*) mandatorum eius custodia nimium rigide vigilare et dum se contra seipsos evangelico odio viriliter pugnant [*f.* 30 *v*] per indiscretionem et austeritatem nimiam (*n*), eorum necessitati pie et iuste concessa, suscipere formidant (*o*). Propterea dicit: *Tempore vero manifeste necessitatis non teneantur fratres ieiunio corporali.* Quia defectus substentationis nature propter rerum (*p*) penuriam et peregrinationis laborem et debilitas (*q*) nimia et gravis infirmitas sunt necessitates plerumque cogentes iniuncta ieiunia sol-

(*a*) E om. *a patribus - uiris.* — (*b*) C om., B intra lineam ponit. — (*c*) E add. *ab illis.* — (*d*) BE om. — (*e*) A *subaditur.* — (*f*) BC *ponere noluit sub precepto.* — (*g*) E add. *et.* — (*h*) C *uel.* — (*i*) B *quia,* E om. — (*k*) E *spiritus.* — (*l*) E om. — (*m*) E om. — (*n*) CE om. B in margine. — (*o*) E *formidare.* — (*p*) E om. — (*q*) C *debilitatis nimiam.*

[1] Matth. IX, 15; Marc. II, 19.

vere (*a*) et tutius est in dubiis precepta servare, ne per nimiam rigiditatem discretionis mensuram excedant, vet incurrant relaxationem indebitam, ideo dicit: *tempore vero manifeste necessitatis non* (*b*) *teneantur fratres ieiunio corporali.*

Fuerunt vero quidam fratres post mortem sancti (*c*) Francisci, qui opinati sunt ad ieiunandum quatuor tempora et alia ieiunia, que mandat ecclesia non teneri, et aliqui qui (*d*) opinati sunt ex illo verbo regule: *de omnibus que apponuntur eis liceat manducare,* quod in diebus ieiuniorum regule possent cibis non quadragesimalibus non procuratis, set sibi appositis, quando per mundum ibant, licite uti [1]. Quibus fr. Iohannes de Parma respondit quod eorum opinio nullum habebat veritatis (*e*) fundamentum, quoniam tam rationibus quam scripture auctoritatibus, quam (*f*) Romane ecclesie et ipsius fundatoris et totius (*g*) ordinis et omnium sanctorum moribus et institutis, ieiunia regule debere in cibo quadragesimali servari, et generali statuto ita sub precepto per totum ordinem semper et ab omnibus fieri (*h*) iussit [2].

Quatuor vero magistri [3] et fr. Aymo tunc generalis (*i*) declaraverunt et statuerunt, quod absque omni dubio omnes fratres, quanto perfectiores tenentur ex voto esse quam ceteri Christiani, tanto magis obligati sunt ad pure servandum omnia ieiunia, que ecclesia instituit a cunctis Christianis indifferenter servari. Nam sanctus Franciscus et totus ordo ante (*k*) eos cum magna devotione et reverentia omnia ecclesiastica ieiunia observabant.

Consulo vero etcetera. Tertio informat ad modestam, mitem (*l*), humilem et pacificam conversationem et immaculatam et virtuosam vitam, sine qua omnis predicantium sermo insulsus est, et obscura et tetra omnis eorum scientia quantumcunque singularis et magna.

(*a*) E add. *propter humanę miseriam fragilitatis.* — (*b*) C om. *non - corporali.* — (*c*) BE *beati.* — (*d*) E om. — (*e*) E *fundamentum ueritatis.* — (*f*) E *quamque.* — (*g*) E add. *et.* — (*h*) B *iussit fieri.* — (*i*) E add. *minister.* — (*k*) C *antea,* om. *eos.* — (*l*) B add. *et.*

---

[1] Hae quorumdam Fratrum opiniones referuntur a Quatt. Mag. c. 3, *Firm.* Paris. 1512, IV, f. 18 vb; ed. Venet. 1513, III, f. 16 vb.

[2] De hac ordinatione B. Iohannis a Parma aliunde nihil notum est. Ex hoc vero loco patet praeceptum in *Constitutionibus Narbonensibus* a. 1260, Rub. 5: *Ieiunia Regulae in cibo quadragesimali serventur,* S. Bonav. *Opera omn.*, VIII, 453; Ehrle, ALKG, VI, 97, Ioh. Parmensi attribuendum esse.

[3] L. c. nota 1.

Predicatio enim verbi Dei (*a*) et procuratio salutis animarum, propter quam maxime debent ire *per mundum* fratres, cum sit pietatis et misericordie principalissimum opus, perfectiones altissimas et vitam sanctissimam cum divina scientia requirit necessario in suis preconibus (*b*); ideo non inperat set consulit, monet et exortatur, ut *non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent,* quia vite *Agni Dei, qui tollit peccata mundi* [1], vita, moribus et sermone predicatores Christo similes esse debent, cuius sunt servi et nuntij. Qui mictit eos *sicut agnos in medio luporum* [2], ut lesi non ledant, percussi non repercutiant (*c*), maledicti non maledicant, iudicati non [*f.* 31 *r*] iudicent; set simplices nullum malum cogitantes, loquentes aut facientes.

Mites, inprobitatibus non resistendo, set lenitate morum et verborum et affectuum christiane pietatis innocentiam ostendendo, ut (*d*) inprobos quantum in se est, ad Christum probitatis magistrum trahant. *Pacifici,* in corde et (*e*) ore et opere pacem servantes et (*f*) ad illam aspirantes, *que exuperat omnem sensum* [3]. *Modesti* in verbis et factis, christiane perfectionis modum servantes, quam modestiam crucis Christi virtus et scientia in agendis, loquendis et diligendis docet. *Mansueti,* omnis furoris et ire motum, innatum vel inmissum, potenter refrenando, et mortis Christi memoria persequendo et exterminando, et a se et ab alijs actibus et sermonibus repellendo. *Humiles,* propriam complacentiam et excellentiam contempnentes, displicentes sibi ipsis et vilescentes et ex tota animi affectione semper magis displicere et vilescere sitientes. *Honeste loquentes omnibus sicut decet,* idest cum reverentia et humilitate et caritate veritatis ad utilitatem eorum et hedificationem, quibus loquentur (*g*), nil terrenum ab eis querentes aut volentes, set soli Deo placere cupientes, Christi honorem et gloriam totis viribus sitiant, vanas hominum laudes et (*h*) complacentias abhominentur et spernant.

Et non debeant equitare nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. Mandat ut exemplo Domini nostri Ihesu Christi

(*a*) BC om. — (*b*) E *predicatoribus,* in margine *preconibus.* — (*c*) B *percutiant.* — (*d*) C *non.* — (*e*) E om. *et.* — (*f*) BC om. *et - aspirantes.* — (*g*) E *loquuntur.* — (*h*) B om.

[1] Ioh. I, 29.

[2] Matth. X, 16; Luc. X, 3.

[3] Philip. IV, 7.

et apostolorum eius, qui *fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem* [1] et *circuibat* villas et *civitates predicans evangelium regni* [2] et discipulos sine calciamentis, sine pecunia et duabus tunicis et pane et pera (*a*) et virga [3] misit dicens [4]: *Ecce* (*b*) *micto vos sicut oves in medio luporum* etcetera (*c*) et iterum [5]: *Ite et predicate evangelium omni creature:* pauperes et humiles predicando incedant. Quia nunquam legimus in (*d*) evangelio Christum equitasse nec eius discipulos, set semel tantum, et hoc misterio magis deserviens quam corporali quieti, super asinum sedisse. Ad omnium credentium stuporem, exemplum et doctrinam, et non credentium iustum iudicium et condempnationem, clavis in (*e*) cruce affixus sedet, ut ad se traheret omnia [6], et *cum clamore valido* [7] in cruce per mortem, infinite caritatis (*f*) sue et Patris et Spiritus Sancti operationem, complet et in exemplum ponit, omnium bonorum gratie et glorie communicabiliter et incommunicabiliter contentivum.

Et quoniam evangelice perfectionis profexores tenentur Christi vite et moribus conformari, idcirco solum manifesta necessitas et infirmitas et non omnis, set iusta, utilis et hedificatoria et urgens necessitas et evidens et manifesta infirmitas sunt casus, in quibus eis cum paupertate et humilitate equitare permictitur, et (*g*) non cum pompa humana et abundantia rerum.

In quamcunque domum intraverint primum dicant: Pax (*h*) *huic domui* [*f.* 31 *v*]. In omnibus forme (*i*) vitę evangelice se coaptat, ita enim dicit in *Testamento* [8] suo: *Salutationem hanc michi* (*k*) *Dominus revelavit, ut diceremus: Dominus det tibi pacem.* Hanc resurgens a (*l*) mortuis Christus dedit discipulis suis, ut pacis sue suppremas excellentias ostenderet et doceret, quod pacis affectum et signa et operationem (*m*) tenemur (*n*) habere ad omnes.

(*a*) E *uirga et pera.* — (*b*) BCE add. *ego.* — (*c*) CE om. — (*d*) BC om. *in euangelio.* — (*e*) E *affixus sedit in cruce.* — (*f*) E *claritatis.* — (*g*) BC om. — (*h*) E *etc.* — (*i*) BC *summe.* — (*k*) BE om. — (*l*) C *ex.* — (*m*) E add. *habere.* — (*n*) C *teneremur.*

[1] Ioh. IV, 6.
[2] Matth. IX 35.
[3] Cf. Matth. X, 9-10.
[4] Matth. X, 16; Luc. X, 3.
[5] Marc. XVI, 15.
[6] Cf. Ioh. XII, 32.
[7] Heb. V, 7.
[8] *Opusc.* p. 80.

Ipse enim Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum[1], cuius pacis communicatio *exuperat omnem sensum*[2] et est cordium et intelligentiarum sanctorum perfectorum certa custodia, beatitudinum suprema perfectio, que est amanda ex toto corde et querenda ex totis viribus et ardentibus desiderijs, voluntatem nostram voluntati divine in omnibus conformantes et gloriam ipsius et laudem et iustitiam et regnum (*a*), operibus et vita predicantes et querentes, quia *pax multa diligentibus*[3] Deum, et delectantur in multitudine *pacis*[4] homines bone voluntatis in ecclesia sanctorum.

Et de omnibus cibis, qui (*b*) *apponuntur eis, liceat manducare.* Ut ad Christum, pacis dominum et magistrum, pacis ipsius evangelicatores et nuntij condescensione et sobrietatis et parcitatis exemplo trahant suos auditores: appositis vult (*c*) esse contentos, et exiguis (*d*) et vilibus exultare.

Unde Crisostomus *super Matheum,* omelia ultima[5], dicit: « Intende qualiter eos omnibus denudans omnia eis dedit, permictens eos in domibus eorum, qui docentur, manere et nichil habentes introire. Ita enim et a sollicitudine eruebantur (*e*) et illis suadebant quoniam propter solam salutem eorum advenerant, et hoc in nichil habendo et in (*f*) nichil ab eis amplius neccessarijs expetendo ».

Et Ieronimus in *epistola ad Titum*[6]: « Episcopus (*g*), inquid, qui apostolorum ymitator esse cupit, habens victum et vestitum, hijs tantum debet esse contentus ».

Predicatoribus pacis nulla superflua requirentibus et nichil portantibus aut volentibus et iactantibus *in Domino* (*h*) *curam*[7] sui et *primum querentibus regnum Dei: adiciuntur omnia*[8] et a fide-

(*a*) B *regimentum.* — (*b*) Codices *que.* — (*c*) E om. — (*d*) E add. *uult.* — (*e*) B *erupebantur.* — (*f*) BE om. — (*g*) E *qui (inquid) imitator apostolorum.* — (*h*) C *deo.*

[1] Eph. II, 14.

[2] Philip. IV, 7.

[3] Ps. 118, 165.

[4] Cf. Is. XXXII, 18: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.*

[5] Non est hom. ultima, sed XXXII, al. XXXIII, in Matth. Migne, P. G. 57, 383-84.

[6] Migne, P. L. 26, 602.

[7] Cf. Ps. 54, 23.

[8] Cf. Luc. XII, 31.

libus libere (*a*) offeruntur. Qui autem superflua querunt et appositis non sunt contenti, dignum est, ut eis et (*b*) necessaria subtrahantur. Non enim hic alicuius relaxationis viris evangelicis licentia datur, set potius humilis et attractive condescensionis ad virtutem se recipientium, et libertas communicandi cum sobrietate appositis nichil habentibus et portantibus cum gratiarum actione, non quasi ab hominibus, set quasi a Deo sollicitam curam gerenti (*c*) ubique et semper de discipulis suis.

(*a*) E om. — (*b*) E *etiam*, B om. — (*c*) BE *gerente*.

[Quartum Capitulum] (*a*).

Precipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam [1]. Quoniam accedentem ad Christi discipulatum fidem et confessionem *ad iustitiam* (*b*) et *salutem* [2] cum soliditate humilitatis Dei magnificativa et laudativa oportet habere, ut per altissime spei fiduciam *conversationem* habeat *in celis* [3] et sola illa sapiat, illa sitiat, illa querat *que sursum sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens* [4]: idcirco diffinit (*c*) in primo capitulo quid est *Minorum regula et vita scilicet* (*d*) *Domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare*. In II° vero determinat assumptionis, idest realis et verbalis confessionis et promissionis modum et formam. In III° autem magnifice, humilis et devote laudis Dei modum declarat. In hoc vero IIII°, V° et (*e*) VI° consequenter cruciformis celestisque vite, *conversationem in celis* [5] habentis et solum ea que Christi sunt sapientis (*f*), querentis, modum et formam tradit, quam firmissimi mandati obedientia et statuto vallat et munit, ut *omnium malorum radicem* (*g*), *cupiditatem* [6] auri, argentique (*h*) et pecunie omnis amorem, tanquam inmundissimum et Deo abhominabilem ydolorum cultum ab ea procul pellat, et funditus eradicatum destruat et disperdat.

(*a*) A add. manu posteriore, B *Quod fratres non recipiant denarios uel pecuniam, Capitulum IIII.* E (rubr.) *Quod fratres non recipiant pecuniam, cap. IIII.* — (*b*) E om. *iustitiam et.* — (*c*) E *diffiniuit.* — (*d*) E *uidelicet.* — (*e*) B om. — (*f*) BCE add. *et.* — (*g*) B *radice.* — (*h*) E *et argenti.*

[1] *Opusc.* p. 67.
[2] Cf. Rom. X, 10.
[3] Cf. Philip. III, 20,
[4] Col. III, 1.
[5] Cf. Philip. III, 20.
[6] Cf. 1 Tim. VI, 10.

Nam sancto Francisco Christus ut crucifixus apparens, docuit eum crucis et sue vite sequi et promictere nuditatem, et que ipsis (*a*) suis mandaverat discipulis, videlicet non possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in çonis portare, eadem sue regule professoribus sub precepto mandare, ut cum Petro et Iohanne non (*b*) inaniter posset de evangelici voti promissione et observantia gloriari, dicentibus pauperi ab eis (*c*) elemosynam postulanti: *Argentum et aurum*, magistri nostri servantes preceptum, non habemus, set per gratis nobis ab eo datam virtutem, accipe sanitatem [1].

Nichil ita gressus ad vitam eternam dirigit et incruento cursu perducit a divitiarum spinis, sicut evangelice paupertatis amor et observatio. Ipsa ydropem cupiditatis curat et insatiabilem sitim avaritie extinguit et a magistro veritatis regni celorum cautionem et iura suscipit, et spei fiducia cum angelis mansionem habet in celis, sancti sanctorum Christi et regis regum comes individua [2], nato in via et in presepio reclinato, ieiunanti in deserto, predicanti et pernoctanti sine hospitio in oratione Dei semper astitit (*d*), et nudo in medio latronum in cruce pendenti et (*e*) in manus Patris *cum lacrimis et clamore valido* [3] spiritum commendanti sponsaliter adhesit, conse- [*f.* 32 *v*] pulta ei et ad inferos cum eo descendens et resurgenti et in celum ascendenti et ad dexteram Patris in trono (*f*) sedenti astat (*g*), congenita (*h*) ei ab initio et ante secula seculorum sine fine cum ipso in celestibus regnat.

Regnum enim Christi et evangelice paupertatis eius *non est de hoc mundo* [4] et ideo Christi ymitatores aurum et argentum et pecuniam, in quibus mundi amatores confidunt, spernunt, eo quod divites et *in pecunijs confidentes* [5] *difficile* intrabunt *in regnum*

(*a*) BC om. — (*b*) E *possent non in antiter.* — (*c*) E om. *ab eis.* — (*d*) C *assistit.* — (*e*) B om. — (*f*) B *sedenti in throno.* — (*g*) A inter *sedenti* et *astat* habet spatium vacuum linea pertractum; C add. *et.* — (*h*) B om. *congenita - regnat.*

[1] Cf. Act. III, 1-6.

[2] Cf. supra, p. 59, nota 3 et p. 83, et *Leg.* trad. *3 Soc.* c. 7, ed. Amoni p. 40: *Ita volontarie oportet te vivere amore illius, qui pauper natus, pauperrimus vixit in saeculo ac remansit nudus et pauper in patibulo, sepultusque in alieno sepulcro.*

[3] Cf. Hebr. V, 7.

[4] Ioh. XVIII, 36.

[5] Marc. X, 24.

celorum [1]. Teste enim Christo, *facilius est camelum per foramen acus transire* (*a*), *quam divitem intrare* (*b*) *regnum Dei* (*c*) [2]. *Non enim est possibile Deo servire et mamone* [3], quoniam divitie spine sunt, que super omnia inpediunt servitium Dei. Unde scriptum est: *Avaro nichil est scelestius et nichil est iniquius quam amare pecuniam* [4]. *Beatus* vero vir, *qui inventus est sine macula et qui post aurum non habijt* (*d*) *nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic* [5] nisi Christi pauperis ymitator? qui avaritiam, que *est ydolorum servitus* [6], funditus eradicavit per amorem et promissionem observantie evangelice paupertatis, qui nichil visibile (*e*), nichil terrenum concupiscit et appetit, nec acquirere studet aut cogitat, nec thesauricat in crastinum, nec acquisita vel congregata est custodire sollicitus, seu dispensare et defensare coactus.

Talem Christus effecit sue gratie dono paupertatis et humilitatis evangelice (*f*) innovatorem Franciscum, qui, ut summe illecebrosum et periculosum, omnem usum et dominium et receptionem denariorum et pecunie in regula firmiter interdicit. Cognoscebat enim per Spiritum Sanctum veris sectatoribus (*g*) Christi paupertatis pecuniarum dominium et receptionem sathanicarum malignitatum et fraudum esse fomentum et venenum insanabile, fiducie, spei et vite caritatis penitus (*h*) extintivum. *Nam qui volunt divites fieri* et auri et argenti et pecunie agregare thesauros, *incidunt in temptationes et laqueos diaboli et in desideria multa et inutilia et nociva, que demergunt homines in interitum et perditionem* [7].

Certe Achor auro et pretioso seductus pallio tulit de anathemate, quare ut prevaricator divini mandati et (*i*) conturbator exercitus Domini (*k*) ab omni populo lapidatur [8]. Triginta denariorum

(*a*) B *intrare.* — (*b*) C add. *in.* — (*c*) E *cęlorum,* in margine *dei.* — (*d*) E *abiit.* — (*e*) E *terrenum et nil uisibile.* — (*f*) C om. — (*g*) A *septatoribus.* — (*h*) BCE om. — (*i*) E om. *et-domini.* — (*k*) C *dei.*

[1] Matth. XIX, 23.
[2] Marc. X, 25; Matth. XIX, 24.
[3] Matth. VI, 24; Luc. XVI, 13.
[4] Eccli. X, 9-10.
[5] Eccli. XXXI, 8-9.
[6] Cf. Eph. V, 5.
[7] I Tim. VI, 9.
[8] Ios. VII, 1; Par. II, 7.

numero Iudas Christum Iudeis vendidit et commissi sceleris pondus non ferens, habijt (*a*) et *laqueo se suspendit*[1]. Pretium divini muneris contra Helysey voluntatem Gieçi a Naaman (*b*) Syro argentum et vestes accepit et lepram cum sua posteritate incurrit[2]. [*f.* 33 *r*]. Symon (*c*) voluit Spiritus Sancti donum pecunia ab apostolorum principe emere, quare exors gratie et donorum Spiritus factus, non solum symoniace heresis extitit seminator, set *amaritudinis et iniquitatis felle* repletus[3] totum se tradidit inpijssime servituti principis tenebrarum. At vero sanctorum perfectorum duces et exemplaria sacra, Helyas propheta, cuius *verbum* ut (*d*) *facula* ardebat[4], et precursor Domini (*e*) Iohannes[5], *lucerna ardens et lucens*[6], divinissime et perfectissime evangelice Christi vite operibus et sermonibus operatores et preparatores, ut duo candelabra et duo testes et duo cherubym, docent, testantur et clamant, quia non tantum (*f*) contemptus et abdicatio et odium et cruciformis nuditas mundanorum et visibilium omnium, sunt perfectis Christi discipulis oportuna, set eorum oblivio et perfectarum (*g*) Christi virtutum habituatio et fructus, spiritus certa possessio, ut *celestis hominis* Christi (*h*) *ymaginem* et similitudinem, munde et sancte *portent*[7], deposito confusionis ammictu cupiditatis mundanorum et omnium que sunt mundi, quo vestiti, celestia et eterna bona hereditare non possunt. Iuste namque tepidis et cupidis, visibilium et temporalium amatoribus clauditur Christi (*i*) perfectionis et eius altissime paupertatis hostium, quod pauperibus, humilibus, *clamore valido* et lacrimarum[8] et precum ipsius ac mortis merito aperitur.

Est enim Christus testis fidelis et verus, nature (*k*), legis, gratie et (*l*) glorie principium et finis, cui Moyses, Helyas et Iohannes

(*a*) E *abiit.* — (*b*) B *Anaman.* — (*c*) C add. *magus.* — (*d*) E *ardebat ut facula.* — (*e*) A *Dei.* — (*f*) CE om. B intra lineam. — (*g*) CE *perfecta.* — (*h*) C om. B intra lineam. — (*i*) E *perfectionis christi.* — (*k*) B *nostre,* cor. ex *nature.* — (*l*) BE om.

[1] Matth. XXVII, 5.
[2] 4 Reg. V.
[3] Act. VIII, 9 ss.
[4] Eccli. XLVIII, 1.
[5] Cf. supra, p. 27, nota 4.
[6] Ioh. V, 35.
[7] Cf. 1 Cor. XV, 47; 49.
[8] Cf. Heb. V, 7.

precursor *testimonium perhibent*[1], *ut in ore duorum vel trium stet omne verbum*[2], quia Christi *regnum non est de hoc mundo*[3]. Dei virtute et sapientia Christi pleni, cum ipso sanctorum sancto, testi fideli et vero, operibus et sermone concorditer testantur et clamant, quia opera mundi *in maligno positi*[4] mala sunt, et ideo a mundo, qui post *concupiscentiam carnis et oculorum et superbiam vite*[5], totus preceps, igne infernali succensus currit, sunt odio habiti, eo quod lucis eterne et incorruptibilis vite, quam mors peccati *et tenebre* erroris *comprehendere*[6] nequeunt, testes erant fideles et veri.

Sol enim evangelice vite et regule et doctrine Christo (*a*) concrucifixos et mundo totaliter mortuos, preceptorum infrangibili firmitate facit suos professores et [*f.* 33*v*] servatores et iudaica perfidia et inpietate corruptos et veritatis agnite inpugnatores et gratie contumeliosos ostendit, ipsam ficte et ypocritaliter assumentes et sub habitu et professione sanctitatis, suis desiderijs et voluntatibus et non Christo viventes, factis inpugnantes votum et in solo nomine cum fatuis virginibus gloriantes.

Ut autem mundi cupiditas et ypocritalis malignitas, que septemplici veh obligata et obnoxia veritatis testimonio conprobatur, non inficeret professores (*b*) regule evangelice et corrumperet, paupertatis et veritatis magister Christus revelavit sue vite innovatori Francisco, suis *fratribus universis firmiter* (*c*) precipere, *ut nullo modo denarios vel pecuniam reciperent* (*d*), *per se vel per interpositam personam,* quia omnia pericula et occasiones malorum, que sunt in divitijs, habundantius in amore pecuniarum et thesauriçatione inundant. Predicebat enim quod, appropinquante filij perditionis adventu, in fratribus cupiditatis et avaritie ignem sathanas accendet (*e*) et ad recipiendum denarios et pecuniam ordinem inclinaret, et paupertatis evangelice et fratrum ipsam servare volentium odium suscitaturus tunc erat in ipsis professoribus Christi

(*a*) B cor. *X*ˢ. — (*b*) E *regulę euangelicę professores et eos corrumperet.* — (*c*) BC om. — (*d*) C *recipiant.* — (*e*) E *accenderet.*

[1] Cf. Ioh. I, 8.
[2] Matth. XVIII, 16; cf. Deut. XVII, 6.
[3] Ioh. XVIII, 36.
[4] Cf. I Ioh. V. 19.
[5] Cf. I Ioh. II, 16.
[6] Cf. Ioh. I, 5.

vite in tantum, quod veros amatores pure et fidelis observantie regularis animo obstinato et amarissimo çelo persequi, et tanquam hereticos diffamare et verborum astutijs (*a*) circumvenire et circumventos occulte diffamare et publice dampnare et morti tradere esse *Dei obsequium* [1] predicarent, et totis viribus conarentur ex officio et auctoritate et privilegijs et iniquis processibus, suis adinventionibus et statutis et prevaricationis operibus, iustitie et sanctitatis et observantie promisse perfectionis et vite nomen inponere, et solaris lucis et claritatis purissime et divinitus sibi revelate multipliciter (*b*) et astute (*c*) fulgorem obtenebrare querelis et edictis silere facere totis nisibus (*d*) procurarent [2].

Ideo voluit Christus ut trino precepto eis preciperetur ex regula, *ut nullo modo denarios vel pecuniam per se vel per interpositam personam reciperent,* ut de prevaricatione voti et persecutione volentium regulare mandatum simpliciter observare, nullam penitus neque in conscientijs propriis, neque coram Deo excusationem haberent. Affirmabat enim quod subtracto de ordine [*f.* 34 *r*] fundamento altissime paupertatis, religio tota corrueret et innumeris obligata malis, ad paucorum numerum deveniret.

Unde in regula, quam sibi papa Innocentius concessit (*e*) et approbavit et in concilio Lateranensi eam se approbasse et eidem Sancto et suis fratribus concessisse omnibus annuntiavit [3], ita erat scriptum [4]:

Dominus precipit in evangelio: Videte et cavete ab omni *malitia et* avaritia. Et attendite vobis *a sollicitudine huius seculi,* et a curis huius vite [5], *unde nullus frater ubicunque sit et* (*f*) *quocunque vadit, aliquo modo tollat nec recipiat, nec recipi faciat*

(*a*) A *austutijs.* — (*b*) Sic recte BE, A *multiplicite.* — (*c*) A *austute.* — (*d*) B *uiribus.* — (*e*) E om. *concessit - fratribus.* — (*f*) E *aut.*

---

[1] Cf. Ioh. XVI, 2.

[2] Cf. similia in *Chron. sept. Trib.* ed. Döllinger, II, 427-28; ed. Tocco, p. 19 s. In his et similibus verbis clare perspicitur allusio ad eventus temporis Auctoris, praesertim ad magnam litem inter Communitatem et Spirituales habitam tempore Clementis V, et ad subsequentes rigores Ordinis contra zelantes. Cf. quaerelas consimiles Ubertini a Casali contra Communitatem, ALKG, III, 66; 68; 82 et passim.

[3] Cf. supra, p. 6; 16, textus, et nota 3.

[4] Reg. 1, c. 8, *Opusc.* p. 35.

[5] Luc. XII, 15; XXI, 34.

pecuniam aut denarios, neque (*a*) *occasione vestimentorum nec* (*b*) *librorum, nec pro pretio alicuius laboris, immo nulla occasione* (*c*) [1], *quia non debemus maiorem utilitatem habere et reputare in pecunia et* (*d*) *denarijs, quam in lapidibus. Et illos vult dyabolus excecare, qui eam appetunt vel meliorem lapidibus reputant. Caveamus ergo nos qui omnia reliquimus* (*e*), *ne pro tam modico regnum celorum perdamus. Et si in aliquo loco inveniremus denarios de hijs non curemus, tanquam de pulvere, quem pedibus calcamus, quia* vanitas vanitatum et omnia vanitas [2]. *Et si forte, quod absit, aliquem fratrem contingeret pecuniam vel denarios colligere vel habere, excepta* (*f*) *solum modo pro necessitate infirmorum, omnes fratres teneamus eum pro falso fratre et pro apostata et fure et latrone et loculos habente, nisi vere penituerit. Et nullo modo fratres recipiant nec recipi faciant, non querant nec queri faciant pecuniam vel pecunie elemosinam neque denarios pro aliquibus domibus vel locis, neque cum persona pro talibus locis pecunias vel denarios querente* (*g*) *vadant. Alia autem servitia, que non sunt contraria vite nostre, possunt fratres in* (*h*) *locis facere cum benedictione Dei. Fratres tamen in magna necessitate leprosorum possunt* (*i*) *pro eis querere helemosinam. Caveant autem multum a pecunia. Similiter caveant fratres omnes, ut* (*k*) *pro nullo* (*l*) *turpi lucro terras circumeant.*

Denarios autem et *pecuniam nullo modo per se vel per interpositam personam* posse recipere *fratribus firmiter* mandat, quia nullam rem ut venderent aut thesauriçarent vel in horreis vel cellarijs, ut granum aut vinum et similia, voluit ut sui fratres reciperent vel procurarent, set solum pro presenti et imminenti

(*a*) E *nec.* — (*b*) E *aut,* in margine *nec.* — (*c*) B add. in margine *nisi propter manifestam necessitatem infirmorum fratrum.* — (*d*) E add. *in.* — (*e*) B *relinquimus.* — (*f*) C om. *excepta - infirmorum,* B in margine, A *ex. so. m°. p. n. ī. fi.* — (*g*) B cor. *querendo.* — (*h*) E om. *in locis.* — (*i*) E *possint.* — (*k*) E delevit *ut.* — (*l*) CE om. *nullo turpi.*

[1] Textus editus *Opusc.* l. c. hic habet incisum, quod apud Clarenum desideratur, scl. *nisi propter manifestam necessitatem infirmorum fratrum,* quod solus codex B in margine adiunxit. De caetero etiam alias similes discrepantias in textu Reg. I. existere notum est et etiam aliis locis huius textus apparet, qua de re cf. Pasch. Robinson, O. F. M., *The writings of Saint Francis of Assisi,* Philadelphia 1906, p. 29.

[2] Eccle. I, 2.

necessitate victui oportuna (*a*) de labore manuum aut oblata vel amore Domini (*b*) humiliter mendicata reciperent. Pecunia [1] est

(*a*) Ita BCE, A *oportunam.* — (*b*) C *dei.*

[1] Haec de diffinitione pecuniae sumpta sunt ex *Expos. Quatt. Mag.* c. 4, ubi dicitur, *Firm.*. Paris. 1512, IV, f. 19 r a. (ed. Venet. 1513, III, f. 17 r a): *Hic est questio necessaria. Quid dicatur pecunia. Nam constat quod pecunia dicit aliud quam denarius. Quid etiam sit recipere per se vel per interpositam personam. Ad primum per interpretationem dicit constitutio antiqua pecuniam esse quidquid recipitur ut vendatur. Unde libri et calices si reciperentur intentione ut auctoritate fratrum postmodum venderentur, inter pecuniam computantur; que intentio denariorum est in recipiente, quia quod venditur denariis venditur. Sed cum in presenti capitulo prohibeatur receptio rerum quarum fratres non possunt habere usum, visum aliquibus est genera aliquarum rerum tangi per denarios et pecuniam. Preterea visum fuit aliquibus denarios constitui in pecuniam numeratam, pecuniam vero dici omnem illam rem, qua solent uti homines, cum oportunum est, ad precium rerum emendarum, ut aurum et argentum, et si quod tale sit quo pro denariis ad precium rerum emendarum homines uterentur.... In presenti vero capitulo quarumdam rerum, que nomine denariorum designantur, omnino usus et proprietas prohibetur. Sed secundum iura pecunia est quidquid appreciatur numerata pecunia, ut aliquid ematur. Nam proprie quod emitur, precio numerate pecunie emitur. Sed si species alicuius rei pro specie alterius rei datur, commutatio est, non emptio. Si vero taxetur vel estimetur pro numerata pecunia, vel pro alia re detur, emptio est, que proprie non contrahitur nisi pecunia mediante. Videtur ergo hic prohiberi receptio denariorum et quarumlibet rerum, que acciperentur ad precium rerum vendendarum.* Haec Quatt. Mag. Principium vero Iuris civilis, quod invocant, *(constitutio antiqua)* est desumptum ex *Digestis*, lib. 50, tit. 16, lex 222: *Pecunie nomine non solum numerata pecunia, sed omnes res, tam soli, quam mobiles, et tam corpora quam iura, continentur*. Multi Expositores Regulae privati saec. XIII et subsequentibus distinxerunt, sicut Quatt. Magistri, inter pecuniam et denarios sensu legis citatae. Ita *Constitutiones Narbonenses*, Rub. 3: .... *et dicimus pecuniam non solum denarios, sed rem quamlibet, quae accipitur ut vendatur;* S. Bonav. *Opp. omn.* VIII, 452; Ehrle, ALKG, VI, 91. Hugo de Digna, *Exp. Reg.* c. 4. *Firm.* Paris. 1512, IV, f. 40 r b ss (ed. Venet. 1513, III, 38 v a) sequitur Quatt. Magistros, dicens inter alia l. c.: *Attende in hoc capitulo, primo quid dicatur pecunia, cum pecunia dicat aliud quam denarius. Omnis enim denarius pecunia, sed non omnis pecunia denarius.* Similiter Petrus Ioh. Olivi, *Exp. Reg.* c. 4, *Firm.*, Venetiis 1513, III, f. 112 r b; Ubertinus a Casali, ALKG, III, 67; 104; 106; cf. 84; Alvarus Pelagius, *De Planctu Ecclesiae,* II, 67, ed. Venetiis 1560, f. 170 r b; Barthol. Pisanus, *Liber Conf.*, fruct. IX, pars 2, *Anal. Franc.* IV, 400; *Serena Conscientia* (saec. XV), quest. 46, ap. *Firm.*, Venetiis 1513, III, f. 141 v a.

S. vero Bonaventura in *Exp. Reg.* c. 4, *Opp. omn.* VIII, 412 de illa duplici pecuniae acceptione, quam largam et strictam vocat, etiam loquitur, sed addit *praecipue loquitur de pecunia numerata.* Hanc ultimam sententiam, scl. S. Bonaventurae, secutae sunt etiam interpretationes authenticae Regulae, *Exiit* Ni-

enim non solum pecunia numerata set omnis [*f.* 34 *v*] res, qua solent uti homines, cum oportunum est ad pretium rerum emendarum, vel (*a*) quicquid recipitur ut vendatur, vel quicquid datur vel recipitur pro pecunia numerata. Quando vero una res pro alia datur, commutatio dicitur. Omne autem illud quo utuntur ad divinum cultum et necessarium victum et vestitum (*b*), qui Christo vivere in observantia evangelica (*c*) Christi vite et regule promiserunt, ex obedientia et mandato ipsius Christi et eius evangelij recipiunt (*d*) et procurant, et vera est obedientia Christi et eius evangelij et gratie et caritatis operatio et adimpletio et de libro iuris celestis ad supermundane (*e*) vivendum hijs, qui non sunt de hoc mundo ex nimia caritate a *Patre misericordiarum* [1] per Christum et Paraclitum clementer divinitus tradita sanctio, et pacis (*f*) et veritatis pietatis regula, per quam dum mundo nichil thesauriçant et nichil defendunt, et cum nullo litigant, et indigentibus illa communicant, et sibi necessaria subtrahunt, ut Christo que sunt Christi reddant, vere pauperes et ab omni proprietate alieni, digni celorum regno a magistro veritatis iudicantur.

Tamen pro necessitatibus infirmorum et aliis fratribus induendis ministri tantum et custodes sollicitam curam gerant (*g*) *secundum loca et tempora et frigidas regiones, eo semper salvo, ut sicut dictum est denarios vel pecuniam non recipiant.* Solas has duas necessitates, sicut magis consonas (*h*) pietati, nominat, pro quibus ministros (*i*) et custodes *per amicos spirituales* tanquam pios patres pro filijs sollicitam (*k*) curam gerere mandat, ita tamen quod neque pro illis pecunia recipiatur. Horum ergo subditorum et mortuorum (*l*), secundum regule perfectionis votum, mundo et suis affectibus et (*m*) *propter Deum abnegaverunt proprias voluntates* [2], non est sollicitari aut curam gerere de necessitatibus corporis sui, set potius est officium prelatorum de suis subditis, tanquam de filijs et

(*a*) B om. *uel - uendatur.* — (*b*) B om. *et uestitum.* — (*c*) BE *euangelice.* — (*d*) B om. *recipiunt - euangelii.* — (*e*) B *supermundanum.* — (*f*) B om. *et pacis.* — (*g*) B *gerunt.* — (*h*) B *consonans.* — (*i*) E *ministri.* — (*k*) E om. — (*l*) BC add. *qui.* — (*m*) E *qui.*

colai III et *Exivi* Clementis V, quae indifferenter loquuntur de denariis *seu* pecunia et de pecunia non contrectanda. Quare in posterioribus auctoribus saepe illa distinctio omittitur.

[1] 2 Cor. I, 3.

[2] Reg. 2, c. 10, *Opusc.* p. 72.

Christi (*a*) coheredibus, cum omni diligentia et vigilantia (*b*) curam habere, quia hec facientes Christum secuntur, qui *pro suis ovibus animam suam posuit* [1], et eius preceptum inplent, qui diligere et pascere subditos et pro eis animam ponere, cum (*c*) opus est, omnibus prelatis exemplum dedit, et caritatis precepto (*d*) confirmavit exemplum.

Unde ministri, custodes et guardiani, qui etiam nomine custodis intelliguntur et accipiuntur in regula, sicut etiam in ea ministri sub nomine custodis accipiuntur (*e*) [2], per seipsos et alios fratres,

(*a*) E om. — (*b*) BCE om. *et uigilantia.* — (*c*) BE *cuius.* — (*d*) E *mandato,* in margine *precepto.* — (*e*) A *accipitur.*

[1] Ioh. X, 15.

[2] Uti notum est, nomen Guardiani neque in Reg. 1, neque in Reg. 2 occurrit, sed solummodo in Testamento. Hoc iam notaverunt Quattuor Magistri, c. 8, *Firm.* Paris. 1512, IV, 20 v a (ed. Venet. 1513, III, 18 v a): *Notandum est etiam quod nomen custodis se extendit ad generalem ministrum et ad alios ministros, sicut ex alijs locis regule potest constare. Nomen vero gardiani nunquam in regula invenitur. Unde dicunt quidam quod obedire gardianis ex regula non tenentur. Propterea expediret ut nomen gardiani tolleretur, et custodes sive ministri domus convenientius dicerentur.*

Ad rem nostram, scilicet quoad provisionem fratrum, scribunt iidem Quatt. Mag. c. 4, *Firm.* Paris. 1512, IV, 19 r b (ed. Venet. 1513, III, 17 v a): *Sed ministri et custodes debent sollicitam curam gerere per auctoritatem, alij vero non. Sed debent sollicitam curam gerere per ministerium, et apud ministros et custodes residet auctoritas distribuendi vestes et alia sicut opus est. Gardiani vero intelliguntur sicut ministri et custodes, quia sic solebant primitus nominari.*

Notanda sunt etiam ea quae hac de re scribit Hugo de Digna, c. 4, *Firm.* Paris. 1512, IV, 42 v a (ed. Venet. 1513, III, 40 v a): *Per ministros et custodes non solum ipsos provinciales sed etiam locales ministros intellige, quia ministri sunt aliquando appellati, licet non generaliter, ut opinor, cum sint qui hec ignorent antiqui, sed magis in aliquibus partibus, vel mixtum cum nomine gardiani. In aliis huiusmodi sententie quemdam probatissimum et autenticum audivi, quod cum et ipse loci cui preerat minister appellatus fuisset, quodque superveniente ordinatione de nomine gardiani: inscriptum sigillum nomine ministri suasu fratrum frangere distulisset, ne forte ob hoc ordinatio mutaretur. Beatus Franciscus eos aliquando gardianos, sicut etiam ministrum generalem custodem, appellans ad officium artabat. Pecorum enim seu quarumlibet rerum custodes aliqui gardianos appellant.*

Ex indicationibus Hugonis de Digna sequitur primis Ordinis temporibus etiam Superiores locales (Guardianos) sigillum cum inscriptione *Ministri* habuisse, quod certe attendendum est ne aliquando ex tali sigillo vel subscriptione construatur Minister Provincialis, dum re vera agi potest de Ministro locali seu Guardiano. Sequitur insuper nomen Guardiani universaliter quadam ordinatione introductum fuisse, dum Quatt. Magistri adhuc a. 1241-42 huius nominis proponunt abolitionem.

et *per spirituales* et (*a*) devotas personas, sollicite et ex mandato regule procurare tenentur cum plena observantia illius precepti, quod pro (*b*) hijs pijs oportunitatibus *nec per se nec per interpositam personam denarios vel pecuniam recipiant*. Et hoc Christus sancto Francisco mandavit, ut per talem observantiam regularem mundo [*f.* 35 *r*] ostenderent (*c*) se nichil mundanum appetere et nichil terrenum (*d*) super terram habere, set *que sursum sunt* sibi et alijs non ficte set veraciter querere [1] et amare; et tota fratrum vita et conversatio esset Christi perfectionis representatio et viva et efficax promissionum nostri Salvatoris et mundi contemptus predicatio.

« Pecuniam servis Dei nichil aliud » esse dicebat [2] « quam dyaboli (*e*) laqueum et colubrum venenosum ». Quapropter volebat fratres suos ab omni receptione et contactu (*f*) ipsius (*g*) esse alienos, et contrarium facientes expellebat de ordine, vel se cum vera contritione recognoscentes graviter puniebat, sicut patet in penitentia, quam dedit illi fratri, qui denarium oblatum ignorantibus fratribus in altari sancte Marie de Angelis, posuit seorsum ut illum primo pauperi advenienti tribueret [3]. Et in penitentia quam fratri Augustino (*h*) adhuc novitio dedit, eo quod inportunis precibus cuiusdam mercatoris inclinatus pecuniam portandam in quodam itineris passu predonibus (*i*) suspecto recepisset [4]. Et in mandato illi fratri facto, qui ei suggerebat fundam illam, ut apparebat fraude dyabolica, pecunia (*k*) plenam de via tollere sub spetie pietatis, de qua dyabolus in forma serpentis visibiliter exiens et subito evanescens, quid facere intenderet, coactus sancti viri virtute monstravit [5]. Sic namque Christi discipuli omnes visibilia spernere et celestia solum querere et amare, sermonibus et operibus docuerunt.

(*a*) E *personas et deuotas*. — (*b*) B om. E *in*. — (*c*) B *ostendere*, E *ostenderent*. — (*d*) C *terreni*. — (*e*) E om. *diaboli laqueum et*. — (*f*) Sic recte B, A *contactus*. — (*g*) C add. *penitus*. — (*h*) A *Agustino*. — (*i*) E *lapredonibus* (?) — (*k*) A *pecuniam*, E *plenam pecunia*.

---

[1] Col. III 1.

[2] 2 Cel. 2, 38, p. 223; S. Bonav. *Leg. mai.* c. VII, 5, p. 72.

[3] 2 Cel. 2, 35, p. 220; *Spec. perf.* c. 14, p. 31.

[4] Unde hauserit nescio; agitur forsan de Augustino ab Assisio, primo ministro Terrae Laboris, de quo 2 Cel. 2, 164, p. 334; *Tract. mirac.* c. 14, p. 404; S. Bonav. *Leg. mai.* c. XIV, 6, p. 153; *Anal. Franc.* IV, 290; 528.

[5] 2 Cel. 2, 38, p. 222; S. Bonav. *Leg. mai.* c. VII, 5, p. 72.

Unde sanctus Ambrosius [1] exponens illud evangelij verbum: *nichil tuleritis in via* [2], dicit: Si (*a*) prohibemur aurum possidere et aliquid eripere, apostolus Petrus, primus dominice sententie executor, ostendit non in vacuum effusa Domini (*b*) mandata, cum posceretur a paupere ut ei aliquid largiretur, ait ei (*c*): *argentum et aurum non* habeo [3], tamen non tam in hoc gloriatur Petrus, quod argentum et aurum non habebat, quam quod servat Domini (*d*) mandatum, qui precepit: *Nolite possidere aurum* [4], hoc est dicere: Vides me Christi discipulum et aurum requiris (*e*) a me?

Et Augustinus [5]: In excusatione, inquid, elemosine et paupertatis professione dicit paralitico: *surge et ambula* [6], magistri preceptum servans dicentis: *Nolite possidere aurum neque argentum* [7].

Unde apostolus Thomas [8] dixit regi sibi vestem pretiosam offerenti: Ignoras quod nichil carnale nichilque terrenum gestiunt, qui cupiunt in celis habere potestatem.

Et Iohannes [9] evangelista illis duobus retro conversis discipulis: In hoc enim Dominus noster certamen statuit animarum, ut credant se eternas habituros divitias, qui pro nomine eius temporales opes habere noluerunt.

Denique cum rex Abagarus [10] preciperet Thadeo apostolo aurum et [*f.* 35 *v*] argentum dari, renuit (*f*) dicens: « Qui nostra reliquimus (*g*) quomodo recipiemus aliena? »

(*a*) BE *sicut.* — (*b*) C *dei.* — (*c*) B *enim.* — (*d*) C *dei.* — (*e*) BC *queris.* — (*f*) E add. *ille.* — (*g*) B *relinquimus.*

[1] Quoad sensum habetur ap. *De officiis Ministrorum,* II, 25, Migne, P. L. 16, 137.

[2] Luc. IX, 3.

[3] Act. III, 6.

[4] Matth. X, 9.

[5] Ubi dixerit, non inveni.

[6] Act. III, 6.

[7] Luc. IX, 3.

[8] Cf. *Acta S. Thomae,* n. 17 ss. ap. *Acta Apostolorum apocrypha,* II, 2, ed. M. Bonnet, Lipsiae 1903, p. 124 ss. ubi tamen hoc effatum S. Thomae desideratur. Idem repetitur a Clareno infra c. 6.

[9] De hoc nihil in *Act. S. Ioh.* editis a Bonnet, l. c. II, 1, p. 152 ss. De eodem argumento cf. infra c. 6. Alia *versio* eiusdem narrationis videtur haberi ap. Sim. Metaphrasten, Migne, P. G. 116, 698 ss.

[10] Cf. *Acta Thaddaei* ap. *Acta Apostolorum apocrypha,* I, ed. Lipsius, Lipsiae 1891, 273 ss., ubi tamen desunt verba a Clareno adducta; inveniuntur ap. Eusebium, H. E. I, 13, Migne, P. G. 20, 130; Act. SS., Oct. XII, 452. Clarenus dem repetit infra c. 6.

Sanctus Bartholomeus apostolus (*a*) Polimio (*b*) regi, qui camelos auro et argento et lapidibus pretiosis oneraverat, ut apostolo daret, dicit [1]: « Ut quid ad me cum auro et argento et lapidibus pretiosis tota die venire quesisti? Ista munera accepta sunt hijs qui terrena requirunt (*c*): ego autem nichil terrenum, nichil carnale desidero ».

Qui enim vere celestia querunt, terrena despiciunt. Hinc de (*d*) sancto Antonio scribit Athanasius [2] quod magno thesauro et auro vero invento tanquam a facie draconis, ita (*e*) ab illo loco, ubi thesaurum invenerat, fugiebat. Et magnus ille monachus sanctus Cariton thesaurum, quem repererat in deserto, mortem appellavit. Et sanctus ille sacerdos libicus Postunianus (*f*) sibi aurum offerenti respondit se auro non indigere et ecclesiam Dei respondit (*g*) non auro strui (*h*) set destrui [3]. Simile Barlaam Iosaphath [4] offerenti sibi pro (*i*) se et suis fratribus ad victum et vestitum oportuna responsum cum multis rationibus (*k*) fecit. Et omnes Christi discipulos et apostolice vite sectatores (*l*) professores (*m*) talia responsa pecuniam et terrenas opes et possessiones eis offerentibus dedisse reperimus.

Ita et a Christo doctus sanctus Franciscus sanctorum perfectorum adhesit vestigijs et apostolico more vivens vovit et servavit evangelicam paupertatem, et a suis fratribus voveri et servari mandavit. Et tunc suum statum veneno mortifero et lepra corrumpendum esse previdit, quando avaritie cupiditate succensus ad recipiendum pecuniam et denarios diversis et astutis (*n*) modis, relaxato freno regularis obedientie (*o*), verteretur (*p*). Sic namque discipulo suo Iohanni sanctus Macharius prophetando denuntiavit dicens [5]: Iohannes, scito quod a demone avaritie temptari debes, ut a perfectione

(*a*) E om. — (*b*) C *Polino,* B *Pollonio.* — (*c*) B *querunt.* — (*d*) B om. — (*e*) E om. — (*f*) B *Postumiano.* — (*g*) E om. — (*h*) B cor. *construi.* — (*i*) C om. *pro se.* — (*k*) E *responsum fecit.* — (*l*) CE om. — (*m*) B om. — (*n*) A *austutis.* — (*o*) E *obseruantiae.* — (*p*) C *uteretur,* E *uterentur.*

[1] *Passio sancti Bartholomaei apostoli,* n. 4. ap. *Acta Apostolorum apocrypha,* II, 1, ed. M. Bonnet, Lipsiae 1898, p. 134. Idem deinde c. 6 a Clareno repetitur.

[2] Vita S. Antonii, n. 12, Migne, P. G. 26, 862; P. L. 73, 133.

[3] Ubi haec duo narrentur, non inveni.

[4] Vide infra c. 6.

[5] Palladius, *Hist. Lausiaca,* VIII, 19-20, Migne, P. L. 73, 1109; et Heraclidis *Paradisus,* c. 6, l. c. 74, 267. Clarenus verba S. Macarii ampliavit.

promisse paupertatis sub specie pietatis et discretionis recedas, cui si assensum dederis, elephantie lepram incurres incurabilem et ita morieris. Si vero in nuditate paupertatis permanseris usque in finem, corporis et anime sanitatem habebis. Qui post mortem magistri manus ad recipiendum (*a*) aperiens, lepra percussus iuxta verbum Sancti usque ad extremum diem vivens, exemplum ceteris monachis fuit. Hoc idem Adriano [1], sancti Ylarionis discipulo, propter idem peccatum contigit. Nam et ordini in parte relaxatorum [*f.* 36 *r*] hoc ipsum intellectualiter evenisse sanctissimo viro fratri Iacobo de Auximo (*b*) [2] a multis iam preteritis annis beatus Franciscus apparens modo stupendo demonstravit (*c*).

Et scribit frater Leo [3]: sanctus Franciscus semper verbo et exemplo exortabatur et inducebat fratres suos ad amorem altissime paupertatis et acriter reprehendebat in eis omne quod a pura ipsius observantia deviabat. « Et [4] frequenter dicebat ista verba fratribus: Fratres mei, ego nunquam fui latro (*d*), idest de helemosinis, que pauperum sunt hereditas, semper minus accepi quam me contingeret, ne defraudarentur alij pauperes sorte sua, quia qui contrarium faceret, furtum esset ». Volebat enim quod omnes fratres gauderent sicut (*e*) in veris (*f*) delitijs in defectibus paupertatis et quod studerent in necessitate et egestate letari et tanquam furtum et rapinam aliquid superfluum recipere vel procurare summo opere declinarent.

(*a*) B *accipiendum*. — (*b*) B cor. *Asisio*. — (*c*) CE *monstrauit*. — (*d*) C add. *uel fur*. — (*e*) E *in defectibus paupertatis sicut in ueris diuitiis*. — (*f*) B *nature* ($\overline{ne}$).

[1] S. Hieron. *Vita Hilarionis*, n. 34, Migne, P. L. 23, 46-47.

[2] *Chron. sept. Trib.* Trib. 4, ed. Ehrle, ALKG, II, 278; *Leggenda antica*, c. 28, p. 58-59.

[3] Cf. *Spec. perf.* c. 3, p. 14-15.

[4] *Verba S. Francisci*, ed. Lemmens, *Doc. ant. franc.*, I, 100; *Spec. perf.* c. 12, p. 30; cf. etiam Barth. Pis. *Anal. Franc.* V, 116. Idem repetitur infra c. 6, p. 126.

[Quintum Capitulum] (*a*).

Fratres illi quibus dedit (*b*) *Dominus gratiam laborandi, laborent* (*c*) *fideliter et devote, ita quod, excluso otio* (*d*) *anime inimico, sancte orationis et devotionis* (*e*) *spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire* (*f*) [1]. Sanctorum apostolorum et religiosorum patrum spiritum (*g*), scientiam et doctrinam in isto regule (*h*) capitulo plene habuisse sanctus Franciscus ostenditur. Nam secte plures fuerunt in ecclesia, sicut fuit secta Euchitarum [2], sive Oratorum et Circucilliorum (*i*) [3] seu Girovagorum (*k*) [4] et eorum qui a Messeldio et Adelfio [5] habuerunt originem, et eorum, qui Angelicos [6] et Apostolicos [7] se vocabant, que secte (*l*) omnes ab operibus pietatis et exercitio virtutum declinare et elongari, et otium et requiem corporis imitari, sanctitatis et iustitie esse viam predicabant.

(*a*) A add. manu posteriore, BE (rubr.) *De modo laborandi cap°. V.* — (*b*) E *gratiam dedit dominus.* — (*c*) C om. *laborent - deseruire.* — (*d*) A om. — (*e*) E om. — (*f*) E add. *etc.* — (*g*) B add. *et.* — (*h*) E *capitulo regulę.* — (*i*) E *circucillionum.* — (*k*) B *gudugagorum,* E *guduagorum* (!) — (*l*) A *secta.*

---

[1] *Opusc.* p. 68.

[2] De Euchitis (Euphemitis, Messalianis), quorum caput Adelphius, cf. S. Epiph. Haeresis 80, Migne P. G. 42, 755 ss.

[3] De Circumcellionibus, (qui et *Agonistici* vel *milites Christi*) haereticis Donatistis, cf. S. Aug. *Contra Gaudentium,* I, c. 28, Migne, P. L. 43, 725; *contra Cresconium,* III, c. 42, l. c. 520, et in aliis operibus S. Augustini; Optatus Milevitanus, *De Schismate Donatistarum,* III, c. 4, Migne, P. L. 11, 1006 ss.

[4] De Gyrovagis cf. *Reg. S. Benedicti,* c. 1, Schmidt O. S. B., *Regula S. Patris Benedicti iuxta antiquissimos codices recognita,* ed. 2, Ratisbonae 1911, p. 14.

[5] Cf. supra, nota 2.

[6] Epiph. Haeresis 60, Migne, P. G. 41, 1038.

[7] Epiph., Haeresis 61, l. c. 1039. Clarenus solos antiquos Apostolicos prae oculis habere videtur, non vero illos saec. XII et XIII.

Contra quos doctor gentium et post eum a Christo ecclesie dati doctores et patres sancti multa scripserunt, que omnia in hoc capitulo beatus Franciscus breviter comprehendit; dicit enim: *Fratres omnes quibus gratiam dedit Dominus laborandi* (a) etcetera. Cum autem dicit *fratres omnes,* neminem excipit habentem *gratiam,* idest artem et potentiam et scientiam *laborandi.* Propterea in *Testamento* suo dicit quod hij *qui nesciunt* laborare (b) *discant* [1]. Unde fratres omnes tam ministros quam predicatores informabat ad opera dicens eis, quod propter officium ministrationis et sollicitudinem predicandi non deberent dimictere sanctam et devotam orationem, ire pro elemosina et operari manibus sicut alij fratres, propter bonum exemplum et lucrum animarum suarum. Ed dicebat: Multum hedificantur fratres subditi, cum eorum ministri et predicatores libenter vacant orationi et inclinant se et humiliant (c) et sunt coadiutores operationum et laborum fratrum aliorum, sicut in *Testamento* suo dicit: [2] [*f.* 36 *v*] *Ego manibus meis laboravi et volo laborare, et alij fratres omnes firmiter volo, quod laborent de laboritio quod pertinet ad honestatem, propter bonum exemplum et ad repellendam otiositatem,* quam qui repellit adquirit virtutem.

Cum autem dicit *fideliter et devote,* modum operandi, quem angelus sancto Antonio tradidit cum gravaretur accidia, docet [3]. Et hunc omnes sancti docuerunt discipulos suos, quia opera *fideliter et devote* propter Christum et eius legem ĩnplendam facta, veram contemplationem cum perfectione virtutum pariunt et demonum temptationes expellunt et nequitias superant et a torpore et negligentia protegunt et affectum spiritualis dovotionis et fervorem (d) dilectionis Dei et proximi nutriunt et in complacentia Dei et obsequio perseverare faciunt. *Otium* vero *anime inimicum* et corporalis requies apud Deum abhominatio esse a patribus diffinitur, quibus anima accidia captivata in oblivione (e) Dei et bonorum negligentia vivens, vacua virtutibus et gratie donis, in (f) infidelitate detenta (g) suggestionibus non repugnat (h), propterea diem (i) in

(a) E add. *laborent fideliter.* — (b) BC om. — (c) B add. *se.* — (d) E add. *diuini amoris et.* — (e) B *obliuionem.* — (f) E om. — (g) A *detempta.* — (h) B *inpugnat.* — (i) E *de die.*

[1] *Opusc.* 79.

[2] L. c.

[3] *Vitae Patrum,* V, 7, 1, Migne, P. L. 73, 893.

diem procrastinat et salutis verba non suscipit. Expandit se phantasijs et demonum inmissionibus, nec considerat intrinsecum prelium, quemadmodum propria reputatione ceca, que non sinit eam infirmitates et propria mala sentire.

Temporis perditionem otio et quieti corporali et sompnolentie et vagationibus hominis interioris et (*a*) exterioris deditus, vir otiosus non (*b*) computat, set curiositati et verbositati et vanis cogitationibus et occupationibus serviens, odium professionis et sancte conversationis et regularis informationis incurrit. Et propria insipientia corruptus Deum causatur (*c*) in corde, scrutationi archanorum et iudiciorum Dei animum (*d*) sepe convertit et pusillanimis factus, studium virtuose exercitationis relinquens, predestinationi et voluntati divine causam sue dampnationis et negligentie tribuit. Beatificat mundi sapientiam, delitias et honores, et a via (*e*) penitentie et divine servitutis affectu et opere discedere indifferens arbitratur. Hinc scriptum est: *Multam malitiam docuit otiositas* [1], accidia (*f*) servo habituata est mors, que coniuncta otio omnes virtutum divitias perdidit et (*g*) dispersit.

In prima enim regula [2] *de modo serviendi et laborandi* dicit sanctus Franciscus:

Omnes fratres in quibuscunque locis steterint apud alios ad serviendum vel laborandum, non sint cammerarij neque cellarij neque presint in domibus in quibus [*f.* 37 *r*] *serviunt, nec recipiant aliquod officium, quod scandalum generet vel anime sue detrimentum faciat, set sint minores et subditi omnibus qui in eadem domo sunt. Et fratres qui sciunt laborare, laborent, et eandem artem exerceant quam noverint, si non fuerit contra salutem anime, et honeste poterit operari. Nam* (*h*) *propheta ait* [3]: Labores manuum tuarum (*i*) manducabis, beatus es et bene tibi erit. *Et Apostolus dicit* [4]: Qui non vult operari, non manducet. *Et* [5] unusquisque *in ea arte et officio,* in quo vocatus est,

(*a*) BE om. *et exterioris.* — (*b*) C add. *cogitat nec.* — (*c*) A *cansatur.* — (*d*) E *sępe conuertit animum.* — (*e*) B om. — (*f*) A *accidie.* — (*g*) E *atque.* — (*h*) C add. *et.* — (*i*) E add. *quia.*

[1] Eccli. XXXIII, 29.

[2] Reg. 1, c. 7, *Opusc.* p. 33.

[3] Ps. 127, 2.

[4] 2 Thess. III, 10.

[5] 1 Cor. VII, 24.

permaneat. *Et* (*a*) *pro labore possint accipere omnia necessaria preter pecuniam. Et cum necesse fuerit, vadant pro elemosina sicut alij fratres* (*b*). *Et liceat eis habere ferramenta suis artibus oportuna. Et omnes fratres studeant bonis operibus insudare, quia scriptum est*[1]: « *Semper facito* (*c*) *aliquid boni operis, ut te dyabolus inveniat occupatum* » *et iterum*[2]: « *Otiositas inimica est anime* ». *Ideo servi Dei orationi semper vel alicui bone operationi insistere debent.*

Sanctus vero Basilius in regula sua[3] plenissime tradit, quomodo operari necessarium est servis Dei, nocte et die *sine intermissione orare* et *gratias agere*[4] Deo, et quomodo occasione orationum et psalmodie non debent negligere opera « Christo Domino dicente: quia *dignus est* non simpliciter unusquisque, sicut interest, set *operarius cibo suo*[5], Apostolo precinente: laborare (*d*) et operari propriis manibus, *quod bonum est, ut* habeamus *unde* tribuamus ei, qui necessitatem habet[6]. Unde manifestum est, quod Christi servum oportet operari sollicite, non occasionem otiositatis neque fugam laboris pietatis destinationem arbitrari, set magis suppositionem patientie et certamen laborum superhabundantiam, ut et nobis liceat dicere: *In labore et erumpna, in vigilijs superhabundantius, in fame et siti*[7] non solum propter castigationem corporis, proficua nobis tali institutione existente, set propter caritatem in proximum, ut in (*e*) hijs qui infirmantur ex fratribus per nos Deus sufficientiam (*f*) tribuat, secundum formam in *Actibus*[8] ab Apostolo (*g*) nobis datam, dicente: *Omnia ostendi vobis, quia ita laborantes oportet infirmos suscipere.* Et ita digni effi-

---

(*a*) B om. *et pro-pecuniam.* — (*b*) E *pauperes.* — (*c*) C *aliquid boni operis facito.* — (*d*) B *laborari.* — (*e*) BCE om. — (*f*) E *sufficientia.* — (*g*) C *apostolorum,* E *in actibus nobis a apostolo datam.*

---

[1] S. Hieron. ep. 125, n. 11, *ad Rusticum monachum,* Migne, P. L. 22, 1078.

[2] S. Anselmus, *Epistol.* lib. III, ep. 49, *ad monachos Cestrenses,* Migne, P. L. 159, 81: *Otiositatem quoque sicut rem inimicam animarum a vobis excludite.*

[3] *Fusius tractata,* Resp. 37, Migne, P. G. 31, 1010 s. ad verbum a « Christo domino dicente » etc. sed cum omissionibus.

[4] Cf. 1 Thess. V, 17-18.

[5] Matth. X, 10.

[6] Eph. IV, 28.

[7] 2 Cor. XI, 27.

[8] XX, 35.

ciamur audire: *Venite benedicti Patris* (*a*) *mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Exurivi enim et dedistis michi manducare* [1] » et sequentia (*b*).

Et ad ostendendum « quantum malum sit otiositas et quam necessaria operatio » ad sanctitatem et iustitiam possidendam plurimas auctoritates veteris et novi testamenti inducit. Et quomodo in laudem ecclesie dictum est: « *Panem otiosa non comedit* [2] ». « Et quoniam (*c*) Dominus otiositatem malignitati [*f.* 37 *v*] coniunxit dicens [3]: *Serve maligne* (*d*) *et piger* (*e*) ». « Quare timere oportet, ne quando nobis in die iudicij adversus nos inducatur ab eo qui dedit nobis ad operandum virtutem et secundum proportionem virtutis operationem requirente (*f*) id, quod in evangelio legitur, ab eo, *cui multum commendatum est, superhabundantius ab eo requiretur* (*g*) [4] ». « Corde enim in *psalmis* et *ymnis et canticis spiritualibus* [5] Deum collaudare et in operatione orationem inplere debemus, gratias agentes ei qui dedit et virtutem manuum ad opera et sapientiam mentis ad apprehensionem scientie, et materiam donanti que est instrumentis (*h*) et eam (*i*) que supposita est artibus, quas utique sortimur operantes. Oramus ergo et dirigi opera manuum nostrarum ad destinationem beneplacentie apud Deum ».

Et tali modo operantes excludunt ita *otium anime inimicum*, quod *orationis et devotionis spiritum non extinguunt* (*k*). Evidens vero et (*l*) notabile devotionis et orationis dispendium operationes inducentes sunt ille, que vanitati et cupiditati et superfluitati mundane et sollicitudinibus suffocantibus et dissipantibus distractionibus ligant et inplicant operantes. Qui enim operantur ut lucrentur et congregent et superfluis carnaliter utantur, et gule deserviant, et hedificia sumptuosa construant et secularibus negotijs se inmisceant, vel (*m*) quibuscunque litigijs insistant, hij *devo-*

(*a*) E om. *patris mei.* — (*b*) CE *cetera.* — (*c*) C *quod.* — (*d*) C *nequam.* — (*e*) A *pigre.* — (*f*) E add. intra lineam *secundum.* — (*g*) Ita B, A *requirent,* E *requiret.* — (*h*) E *instrumentalis.* — (*i*) C *ea.* — (*k*) C *extinguit.* — (*l*) E om. — (*m*) BC om. *uel - insistant.*

[1] Matth. XXV, 34-35.
[2] Prov. XXXI, 27.
[3] Matth. XXV, 26.
[4] Luc. XII, 48.
[5] Cf. Col. III, 16.

tionis spiritum et orationis extinguunt (*a*) et non spiritualiter et virtuose set (*b*) carnaliter et vitiose operi (*c*) manuum intendunt.

Sanctus Ieronimus [1] scribit quod sanctus Iohannes anachorita solum diebus dominicis eucharistiam pro cibo spirituali et vite corporalis substentamento sumens, cui Christus verbi et scientie sue superhabundantiam donavit (*d*), prophetie spiritum et gratiam sanitatum et potentiam adversus demones, cum corporali cibo non indigeret, operabatur tamen manibus cingula iumentorum.

Scribitur hoc ipsum de sancto Paulo Thebeo [2], qui victum et vestimentum de palmarum fructibus et folijs in illa vasta solitudine degens habebat, tamen operabatur manibus et illa opera annuatim quasi sacrificium per ignem Domino (*e*) offerebat. Nam omnes illi monachi [3], qui estivo tempore descendebant ad metendum in Egiptum, omne pretium sui laboris, nichil inde retinentes, Libye monachis et pauperibus erogari faciebant. Nec videbatur illis perfectis monachis absque negligentia [*f.* 38 *r*] vivere nisi de labore suo ex caritate facto pauperes et infirmos recreare valerent.

De mercede vero laboris pro se et suis fratribus corporis necessaria recipiant preter denarios vel pecuniam. Quoniam iustum et pium est corporis necessaria labore conquirere et suis fratribus, quod mensuram debite necessitatis excederet, interdictum esse servis Dei pro manifesto supponit, qui ut alijs pauperibus (*f*) subveniant, sue substentationi necessaria subtrahunt, sicut sanctum Franciscum et suos socios frequentius legimus fecisse [4], qui se ad hoc inplendum Christi exemplo et caritatis ipsius precepto obligatos esse gaudebant.

Pecuniam vero *vel denarios pro mercede laboris* prohibet recipere, ut veram habeant (*g*) conformitatem ad discipulos Domini, qui sine pecunia et auro et argento ad evangelij predicationem sunt missi. Modum vero recipiendi corporis necessaria pro labore

---

(*a*) A *extigunt.* — (*b*) B om. *set - uitiose.* — (*c*) B *operationi.* — (*d*) E add. *et.* — (*e*) BC *deo.* — (*f*) BC om. — (*g*) BE *habeat.*

---

[1] Non est Hieronymus sed Rufinus, *Hist. Monach.* c. 15, Migne, P. L. 21, 433-34. Ex hoc apparet Clarenum *Hist. Monach.* S. Hieronymo attribuere, quod ex alio quoque loco (cf. supra, p. 70, nota 7) licuit suspicari.

[2] Cassianus, *De Coenobiorum institutis,* X, 24, Migne, P. L. 49, 394 ss.

[3] L. c. X, 22, Migne, l. c. 388 ss.

[4] Hoc refertur praesertim de b. Aegidio; cf. *Anal. Franc.* III, 76 ss; Lemmens, *Doc. ant. franc.* I, 42-43.

evangelico statui consonum et debitum docet, videlicet (*a*): quod non sicut vendentes et pacto conducti vel conducentes faciunt et cum litigio sepius a non dantibus querunt et repetunt pretium pro labore, set *humiliter* et absque omni iurisdictione (*b*) et contentiosa (*c*) repetitione et appropriatione, ita quod in (*d*) recipiendo evidenter et vere ostendant se paupertatis et humilitatis Christi evangelij fideles et devotos amatores et servatores.

Operabantur autem omnes primi fratres opera sua in materia aliena, vel faciebant (*e*) opera sua de materia vili et communi et quasi nullius pretii vel valoris, more sanctorum patrum, qui de iuncis et virgulis (*f*) vel (*g*) palmarum folijs sportas et calatos et storia et fiscellas operabantur [1], quia tales materie sunt viles et communes et in nullius bonis (*h*) computande. Et illa opera non ut humana negotia, set tanquam Domini (*i*) sacrificia ad ipsius laudem et dilectionis Dei proximique (*k*) perfectionem inplendam Domino (*l*) iugiter offerebant.

Operabantur autem, secundum quod multum laute (*m*) sanctus Basilius in regula sua [2] docet, propter dominici (*n*) mandati obedientiam et propter conformitatem ad Christi vitam et matris eius et putativi patris et discipulorum Domini nostri (*o*) et sanctorum patrum, qui omnes operando Dei mandata diversimode placuerunt Deo. « Faciebant [3] autem opera decentia eorum statui et vocationi quecunque ab universa (*p*) mercatione et luxu et longioribus occupationibus et turpi lucro libera sunt. Quecunque sub tectis nobis manentibus utique perfici possunt, ut et (*q*) opus [*f.* 38 *v*] compleatur et requies custodiatur ». « Illud [4] autem scire opus est, quia qui operatur, non ut suis oportunitatibus obsequatur per opera, operari debet, set ut mandatum Domini (*r*) inpleat dicentis [5]: *Esurivi et*

(*a*) B *scilicet.* — (*b*) A *iurisditione.* — (*c*) A *contemptiosa.* — (*d*) E om. — (*e*) B om. *faciebant - sua.* — (*f*) E *uirgultis.* — (*g*) C *et.* — (*h*) BE add. *ualoris.* — (*i*) C *dei.* — (*k*) BCE *et proximi que.* — (*l*) C *deo.* — (*m*) CE *caute,* B cor. *late.* — (*n*) C *dicti.* — (*o*) C *christi.* — (*p*) E *omni.* — (*q*) B om. — (*r*) C *dei.*

[1] De hoc quamplurima exempla habentur, ex gr. Palladius, *Historia Lausiaca,* c. 1, Migne, P. L. 74, 345; c. 5, ib. 350; Sozomenus, H. E. VI, 29, Migne, P. G. 67, 1374.

[2] Quae sequuntur et a Clareno ut ex regula S. Basilii adducuntur, partim in *Reg. fusius tractata,* partim in *Constitutionibus monasticis* inveniuntur, ut singulis vicibus indicabimus.

[3] *Const. Monast.* c. 5, Migne, P. G. 31, 1359.

[4] *Reg. fusius tractata,* Resp. 42, Migne P. G. 31, 1023 s.

[5] Matth. XXV, 35.

dedistis michi manducare et (*a*) que secuntur. Hic enim (*b*) sollicitudinem habere pro seipso in omnibus et per omnia a (*c*) Domino prohibitum est dicente [1]: *Nolite sollicite esse anime vestre quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini,* et superinducente (*d*): *hec enim omnia gentes inquirunt* (*e*). Destinatio ergo unicuique in opere (*f*) esse debet posita obsequium indigentium et non propria sua oportunitas. Ita enim et amoris sui ipsius crimen effugiet et amoris fraternitatis benedictionem a Domino (*g*) recipiet dicente (*h*) [2]: *Quamdiu fecistis uni ex hijs fratribus meis minimis, michi fecistis.* Et nemo illud Apostoli contrariari nostro sermoni putet dicentis [3]: *Operantes suum panem manducent.* Hoc enim ad inordinatos et otiosos dictum est sicut consultius vita que est in otio. Hoc quoque est sibi ipsi obsequi (*i*) unumquemque (*k*) et non aliis in onus fieri. *Audivimus enim,* ait [4], *quosdam inordinate ambulantes, nichil operantes, set curiose agentes, hijs qui huiusmodi sunt denuntiamus et obsecramus, ut cum quiete operantes suum* (*l*) *panem manducent* ». « Eius vero qui ad perfectionem festinat (*m*) est *nocte et die operari* [5], *ut habeat unde necessitatem tribuat* (*n*) *habenti* [6] ».

« Oportet [7] autem eum, qui fraternitati preest, non concedere eis instrumentis artis aut operibus (*o*) uti ad quodcunque volunt vel a seipsis vendere ea (*p*) vel commutare, vel secundum aliquem alium modum tradere aut acquirere (*q*) super hijs que habet alia. Qui enim iudicavit semel neque suarum manuum esse dominus, set alteri operationem earum dispensare (*r*) permisit, quomodo hic quoque talis aget convenienter suis operibus aut instrumentis artis dominans et dominij dignitate super eis utens ? »

(*a*) CE *etc.* — (*b*) C *hoc est.* — (*c*) E *prohibitum est a domino.* — (*d*) C om. *et superinducente.* — (*e*) B *querunt.* — (*f*) C add. *suo.* — (*g*) C *deo.* — (*h*) A *dicentis.* — (*i*) B *obsequium.* — (*k*) B om. — (*l*) E *panem suum.* — (*m*) B *festinant.* — (*n*) BE postea add. *non.* — (*o*) B om. *aut operibus.* — (*p*) CE om. B postea adiecit. — (*q*) E *accipere.* — (*r*) E *dispensatori promisit.*

---

[1] Matth. VI, 25; 32.
[2] Matth. XXV, 40.
[3] 2 Thess. III, 12.
[4] Ib. 11-12.
[5] Cf. ib. 8.
[6] Cf. Ephes. IV, 28.
[7] L. c. Resp. 41, Migne, P. G. 31, 1122.

«Contra[1] perfectionem vero promissam facit, qui in seipso aut in eo qui curam oportunitatum recepit (a), sperat vel propriam ad hoc (b) coherentis operationem sufficientem occasionem ad vivendum ponit. Quia quantum in homine posuit spem, periculum habet cadere in maledictionem, que dicit[2]: *Maledictus homo qui spem suam habet* (c) *in homine et firmat carnem* (d) *brachium suum et a Domino* (e) *recessit cor eius,* sermone prohibente, per illud quidem: *qui spem habet in homine,* sperare per id (f) vero *et firmat carnem brachium suum* (g) in seipso confidere utrumque eorum a Domino (h) apostasiam nominante (i) et finem amborum superinducente (k), [3] quia *erit sicut* (l) *myrica* (m) *in deserto et non* (n) *videbit bona cum venerint,* sermone ostendente, quia in seipso aut in alio quoquam [*f.* 39 *r*] spem ponere apostatare est a Domino». Hec Basilius.

Sanctus Augustinus in libro *de opere monachorum*[4], quem fecit contra quosdam otio deditos monachos girovagos (o) qui et erronee (p) suam otiositatem et pravitatem contegebant per perversam intelligentiam verborum Christi. Qui etiam per illud[5]: *Nolite solliciti esse* etcetera, et per illud[6]: *Respicite volatilia celi,* et per illud[7]: *Nolite operari cibum qui perit, set qui permanet in vitam eternam, quem Filius hominis dabit vobis,* probare nitebantur, sicut (q) modo eodem errore seducti plures faciunt, quod non (r) debeant aliquo corporali labore, opere (s) sibi neque alijs necessaria procurare, sic scribit[8]: «Quid enim agant qui operari nolunt, cui rei vacent scire desidero. Orationibus, inquiunt, et psalmis et lectioni (t) et verbo Dei. Sancta plane vita et Christi suavitate laudabilis, set si ab hijs advocandi non sumus, nec manducandum est,

(a) BC *recipit.* — (b) BCE *adhuc.* — (c) C *ponit.* — (d) BC om. — (e) C om. — (f) E *illud.* — (g) C *brachii sui.* — (h) C *deo.* — (i) C *nominate.* — (k) C *superinducentem.* — (l) E om. — (m) Ita E, C *mirica,* AB videntur habere *mirca.* — (n) C om. — (o) B om. — (p) B om. — (q) E *sic.* — (r) BCE *nec.* — (s) BCE *operari.* — (t) BCE *lectionibus.*

[1] L. c. Resp. 42, ib. 1126-27.
[2] Ier. VII, 5.
[3] Ib. 6.
[4] Migne, P. L. 40, 547 ss.
[5] Matth. VI, 31.
[6] Ib. 26.
[7] Ioh. VI, 27.
[8] L. c. c. 17, Migne, P. L. 40, 564 ss.

nec ipse esce cotidie preparande. Si autem ad ista certis intervallis temporum ipsius infirmitas (*a*), necessitas cogit, cur non et preceptis observandis apostolicis aliquas partes temporum deputemus? Citius enim exauditur una obedientis oratio quam decemmilia contemptoris. Cantica etiam (*b*) divina cantare etiam (*c*) manibus operantes facile possunt et ipsum laborem tanquam divino (*d*) celeumate consolari. Quid ergo inpedit servum Dei manibus laborantem in lege Domini (*e*) meditari et psallere Domino, ita sane, ut ad (*f*) ea dicenda que memoriter recolit habeat seposita tempora? Ad hoc (*g*) enim et illa bona opera (*h*) fidelium, subsidio supplendorum necessariorum deesse non debent, ut hore quibus ad erudiendum animum ita vacatur, ut illa opera corporalia geri non possint, non (*i*) opprimantur egestate. Qui autem se dicunt vacare lectioni, nonne illic inveniunt quod precepit Apostolus? Que est ergo ista perversitas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare, et ut quod bonum est diutius legatur, ideo facere nolle quod legitur?»

« Si [1] autem (*k*) alicui sermo erogandum (*l*) est et ita occupat ut manibus operari non vacet; numquid hoc omnes in monasterio possunt, scilicet fratribus (*m*) vel (*n*) divinas lectiones exponere vel de aliquibus questionibus salubriter disputare? Quando ergo non omnes possunt, cur sub hoc obtemptu omnes vacare volunt? Quamquam et si omnes possent, vicissitudinem facere deberent, non solum ne ceteri a necessarijs operibus occuparentur, set etiam (*o*) quod sufficit ut audientibus pluribus unus loquatur?»

Et infert [2]: « Si verbis Apostoli » [3] « obedire vel (*p*) nolunt vel non possunt, saltem [*f.* 39 *v*] illos qui volunt meliores, qui autem et possunt, feliciores esse fateantur ». Et infra [4]: « Hos plangimus qui contra Apostolum « otiose et verbose que (*q*) non oportet, locuntur », « non solum non imitantes (*r*) obedientiam sanctorum quiete operantium, et aliorum monasteriorum in saluberrima disciplina,

---

(*a*) E add. *uel.* — (*b*) C *et.* — (*c*) C *et.* — (*d*) C om. — (*e*) C *in dei,* om. *lege.* — (*f*) B om. — (*g*) E *hec.* — (*h*) E *tempora.* — (*i*) E *ne.* — (*k*) E *ergo.* — (*l*) E *erogandus.* — (*m*) Editiones *venientibus ad se ex alio genere vitae fratribus.* — (*n*) E om. — (*o*) C *et.* — (*p*) B *non uolunt.* — (*q*) B *quod.* — (*r*) BC *mutantes.*

---

[1] L. c. c. 18, col. 565.

[2] L. c. c. 19, col. 566.

[3] Quae adducit Augustinus, Clarenus vero omittit.

[4] L. c. c. 22, col. 568-69, cum omissionibus.

secundum apostolicam normam (*a*) viventium, set etiam (*b*) insultantes melioribus, scilicet operantibus, conservationem evangelij predicantes pigritiam »; amplius ergo erogabat apostolus (*c*) Paulus quam ceteri apostoli, qui suis stipendijs militabat, transigendo (*d*) scilicet de suis laboribus victum cotidianum. Et circa finem libri dicit [1]: « Qui non operantur (*e*), saltem illos qui operantur sibi anteponendos esse non dubitent ».

Item sanctus Basilius in regula [2] suadet (*f*). « Sicut enim necessarium est unicuique cotidianum victum vel alimentum, ita necessarium est et secundum virtutem opus ». Et in ea parte regule sue (*g*) scribit ad sanctum Gregorium Naçaçenum, et ait [3]: « Christus vitam, qua (*h*) secundum carnem conversatus est, omnibus pie vivere volentibus formam et exemplum posuit, ut reliqui respicientes ad illos caractiles (*i*) sue ipsorum vite, similem (*k*) figuram et effigiem inprimant, necubi ab imitatione archetipi commutationem (*l*) divertentes. Quid enim propriam vitam Salvator regulam conversationis perfecte omnibus ei obedire volentibus posuit? Audi eum hoc manifeste docentem (*m*). *Si* [4] *quis* enim, ait, *michi ministrat, me sequatur* ». Et ostenso quomodo innocentie, longanimitatis, mititatis, honestatis, munditie, benignitatis, humilitatis, prudentie et (*n*) discretionis, Christi vita et conversatio exemplar perfectum et divinissimum fuit in illis, et innumeris directionibus cum sequentibus infert [5]:

« Que autem sunt corporis qualia et quanta, quorum gratia subinductum est exemplum. Et quidem secundum primam etatem parentibus subditus, omnem laborem et fatigationem corporalem mansuete et bene obediens comportavit (*o*); viri quidem (*p*) existentes iusti quidem et pij, pauperes vero et necessariorum non habentes facultatem. Et testimonium est presepe (*q*) honorabilis et pretiosi (*r*) partus cuna. Congrue laboribus corporalibus indesinen-

(*a*) BCE *formam.* — (*b*) C *et.* — (*c*) E om. — (*d*) Ita E, A *transiendo.* — (*e*) B *operantur.* — (*f*) BCE *sua dicit.* — (*g*) BCE om. — (*h*) B *quam.* — (*i*) BCE *caracteres.* — (*k*) E om. — (*l*) BE *consentatione.* — (*m*) B *dicentem.* — (*n*) C om. — (*o*) Ita BCE, A *comportabit.* — (*p*) C *enim.* — (*q*) C *presepium.* — (*r*) BC om. *et pretiosi.*

[1] L. c. c. 30, col. 577.

[2] *Fusius tractata,* Resp. 37, Migne, P. G. 31, 1011.

[3] *Constit. Monast.* c. 4, Migne, P. G. 31, 1351 s. ad verbum.

[4] Ioh. XII, 26.

[5] L. c. col. 1355-59.

tibus colloquebantur, necessariam indigentiam hoc modo sibi ipsis conquirentes. Ihesus vero hijs subditus, sicut ait scriptura, penitus ex eo quod simul (*a*) sufferebat labores et fatigationes, subiectionem et bonam obedientiam (*b*) ostendebat. Procedens vero, et (*c*) dominativas et divinas [*f.* 40 *r*] beneficentias denudans, et discipulos eligens, et predicare celeste regnum excogitans non in uno angulo positus et reclusus corpore, ab alijs indigentiam ministrationis recipiebat, set modo quidem itinere fatigatus et pedestris incedens continue simul discipulis ministrabat, sicut ipse dicit [1]: *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat.* Et [2] *secundum quod Filius hominis non venit ministrari set ministrare*, modo lavans pedes discipulorum (*d*), rursus autem (*e*) doctrine insistens in longum, locum vero ex loco transmutans, sine otio, propter nostram salutem persistebat. Semel autem subiugali et isto solum ad modicum utens apparet, non ut corpus quietaret, set ut operibus prophetiam sigillaret. Quid vero apostoli? Nonne Dominum imitati sunt, nonne (*f*) laboribus colloquebantur indesinenter? Intende in Paulum operantem incessanter, itinerantem cum fortitudine, navigantem, periclitantem, fluctibus iactatum, persecutum, flagellatum, lapidatum, sufficientem in omnibus temptationibus, promptitudine anime et virtute corporis. Si vero inmoderantia resolvisset corporis potentiam, non quoque in istis fuisset coronatus. Bonum est ergo Domini (*g*) vitam et apostolorum discipulorum (*h*) eius et per spirituales virtutes atque per corporales exercitationes imitantem, operans (*i*) exibere corpus virtuosis famulans actionibus. Anime quidem est preeligere bona quecunque corporis cooperatione perficiuntur, corporis autem est operari ea, que anima preelegit. Debilitato autem eo ad operationem, semiperfecta est directio in electione arbitrii abscondita, velud quedam pululatio in finibus terre marcescens et non proveniens ad usum horum (*k*), propter quos orta est.

Set ait quis: Et Dominus sine cibo extensum ieiunium pertulit, et (*l*) Moyses vero nil minus et Helyas propheta. Set et hoc intende quia Dominus noster semel tantum istud fecit, et Moyses

(*a*) E *sufferebat simul.* — (*b*) E *ostendebat obedientiam.* — (*c*) C om. — (*d*) C add. *et.* — (*e*) C *aut.* — (*f*) BC om. *nonne - indesinenter.* — (*g*) C *dei.* — (*h*) B om. — (*i*) E *exhibere operans.* — (*k*) E *eorum.* — (*l*) E om.

[1] Luc. XXII, 27.

[2] Matth. XX, 28.

et Helyas similiter, reliquum vero tempus universum in ordine congruo gubernantes corpus et ipsum operans prebentes laboribus et fatigationibus semper alloquentes, ita virtutes anime corporis cooperatione declarabant, activam vitam signaculum et perfectionem spiritualis conversationis (*a*) facientes. Hoc quidem Moyses, hoc vero Helyas, hoc autem et Iohannes, ipse dispensatione (*b*) quidem archana diuturnam in deserto moram faciens, post vero dispensationis complementum [*f.* 40 *v*] ad mundanam regionem veniens predicavit atque bapticavit, que operationes sunt, et per confidentiam contra Herodem certamen perfecit. Hoc et omnis sanctorum cathalogus et Ihesus ipse operando complevit, ut esset undique manifestum ex legibus nature (*c*) atque doctrine (*d*) scripturarum sanctarum, atque ex hijs que sunt acta ab universis sanctis, ac ex conversatione Salvatoris nostri, et exemplar (*e*) vite ipsorum qui pie in Christo vixerunt, quia bonum et congruum est magis corporis infirmitatem habere, quam remissum esse et operans (*f*) hoc exibere bonis actionibus, quam otiosum voluntarie efficere ». Hec Basilius.

Quibus intellectis pie et catholice, omnis multiplicitas (*g*) questionum et hesitationum, que de hoc haberi et moveri solet a pluribus, absorta est, et operationum multiplex differentia et dignitas declarata, inter quas *sancte orationis et devotionis* laboriosa operatio primatum tenet, a qua et in qua cetere regulantur, et ad quam et propter quam relique operationes virtuose et meritorie reducuntur et fiunt.

(*a*) E *operis.* — (*b*) C *quidem dispensatione.* — (*c*) C *veteris,* B *uere.* — (*d*) E *doctrina.* — (*e*) C *exemplaris,* BE *exemplari.* — (*f*) BE *operando.* — (*g*) B *multiplicans.*

[Sextum Capitulum] (*a*).

Fratres nichil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem [1] etcetera. Per (*b*) evangelice paupertatis altissimam (*c*), fundamentalem et radicalem Ordinis Minorum et (*d*) propriam (*e*) perfectionem, omnium malorum radicem in suis professoribus et servatoribus fidelibus exterminat et evellit radicitus, et dilectionis mutue viscerosam exibitionem, in qua omnis conservationis (*f*) divine legis plenitudo consistit, sanctus Franciscus in hoc sexto sue regule (*g*) capitulo habunde ac (*h*) compendiose docuit et expressit.

Erat etiam (*i*) in prima regula de hoc satis clara et manifesta explicatio, in qua regula [2] dicit:

Regula et vita istorum fratrum hec est: vivere in obedientia, in castitate et sine proprio, et Domini nostri Ihesu Christi doctrinam et vestigia sequi, qui dicit [3]: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia que habes et da pauperibus et habebis thesaurum in celis (*k*), et veni sequere me. *Et* [4] si quis vult venire post me, abneget (*l*) semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. *Item* [5]: si quis vult venire ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et [6] omnis qui re-

(*a*) A add. manu posteriore, B *Quod fratres nil sibi approprient. Cap° VI*, E prosequitur: *et de elemosyna petenda et de fratribus infirmis. Cap. VI.* — (*b*) Sic BCE, A om. — (*c*) E om. — (*d*) E om. — (*e*) E add. *altissimam.* — (*f*) B *conuersationis.* — (*g*) C om. *sue regule.* — (*h*) E *et.* — (*i*) C *et.* — (*k*) C *celo et veni et*, B *celo et sequere me*, E *cęlo.* — (*l*) C om. *abneget-ad me.*

[1] *Opusc.* p. 68.
[2] Reg. 1, c. 1, *Opusc.* p. 25.
[3] Matth. XIX, 21.
[4] Matth. XVI, 24.
[5] Luc. XIV, 26.
[6] Matth. XIX, 29.

liquerit (*a*) patrem aut matrem (*b*) aut fratres aut sorores aut uxorem aut filios, domum aut agros propter me, centuplum accipiet et vitam eternam possidebit.

Et in *Testamento* suo dicit [1]: *Et postquam dedit michi Dominus de fratribus, nemo ostendebat michi quid deberem facere, set ipse Altissimus revelavit michi quod ego deberem vivere secundum formam sancti evangelij, et ego paucis verbis et simpliciter feci scribi, et dominus papa confirmavit michi. Et illi qui* [*f.* 41 *r*] *veniebant ad recipiendum vitam istam, omnia que habere poterant, pauperibus erogabant, et eramus contenti una tunica intus et foris repetiata qui volebant, et nolebamus plus habere.*

Unde intentio beati Francisci prima et ultima fuit quod fratres nichil proprium haberent, neque in speciali neque in communi. Et dicebat [2] omnibus quod Christus sibi revelaverat, quod qui vult esse Frater Minor, non debet habere nisi tunicam et cordam et femoralia, sicut regula concedit, et qui necessitate coguntur, calciamenta. Unde in prima (*c*) regula [3] erat scriptum:

Caveant sibi fratres ubicunque fuerint, in heremitorijs vel in (*d*) *alijs locis, quod nullum locum sibi approprient, nec alicui defendant. Et quicunque ad eos venerit, amicus vel adversarius, fur vel latro, benigne recipiantur* (*e*).

Et [4] *omnes studeant sequi humilitatem et paupertatem Domini nostri Ihesu Christi, et recordentur quod nichil aliud oportet habere de toto mundo, nisi sicut dicit Apostolus* [5]: habentes alimenta et quibus tegamur, hijs contenti simus (*f*). *Et debent gaudere quando conversantur inter viles et despectas personas et debiles et infirmos et leprosos, et iuxta viam mendicantes. Et cum necesse fuerit, vadant pro elemosinis et non verecundentur set magis recordentur quia Dominus noster Ihesus Christus filius Dei vivi omnipotentis* posuit faciem suam ut petram duris-

(*a*) B *relinquit.* — (*b*) BC add. *aut filios.* — (*c*) C *regula prima.* — (*d*) C om. — (*e*) E *recipiatur,* sic etiam cor. B. — (*f*) BC *sumus.*

[1] *Opusc.* p. 79.

[2] *Intentio Regulae, Doc. ant. franc.* I, 84; *Spec. perf.* c. 2, p. 6; *Legg. ant.* c. 16, p. 41.

[3] C. 7. *Opusc.* p. 34.

[4] Reg. 1, c. 9, *Opusc.* p. 36.

[5] 1 Tim. VI, 8.

simam [1], *nec verecundatus est fieri pro nobis pauper et hospes, et vixit de helemosinis ipse et beata virgo Maria et discipuli eius. Et quando facerent eis homines verecundias et nollent eis dare elemosinas, referant inde gratias Deo, quia de verecundijs recipient magnum honorem ante tribunal Domini nostri Ihesu Christi. Et sciant quod verecundia non patientibus set inferentibus inputatur, et elemosina est hereditas et iustitia, que debetur pauperibus, quam adquisivit nobis Dominus noster Ihesus Christus. Et fratres qui eam adquirendo laborant, magnam mercedem habebunt et faciunt lucrari et adquirere tribuentes, quia omnia que relinquent homines in mundo peribunt, set de caritate et de helemosinis quas fecerunt* (*a*), *habebunt premium a Domino.*

Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam, ut sibi necessaria inveniat et ministret. Et quilibet diligat et nutriat (*b*) *fratrem suum sicut mater diligit et nutrit filium suum, in quibus ei Dominus gratiam largietur. Et* qui (*c*) non manducat, manducantem non iudicet [2]. *Et quandocunque necessitas supervenerit, liceat universis fratribus ubicunque fuerint, uti omnibus cibis, quos possunt homines manducare, sicut Dominus dicit* [3] *de David, qui comedit* [*f.* 41 *v*] panes propositionis quos manducare non licebat nisi solis sacerdotibus; *et recordentur quod Dominus dixit* [4]: actendite autem vobis ne forte graventur corda vestra in (*d*) crapula et ebrietate et curis huius vite et superveniat in (*e*) vobis repentina dies illa; tanquam enim laqueus superveniet in omnes qui sedent super faciem orbis terre.

Similiter et tempore manifeste (*f*) *necessitatis faciant omnes fratres de eorum* (*g*) *necessarijs, sicut eis Dominus gratiam largietur, quia necessitas non habet legem.*

Quando [5] *fratres vadunt per mundum, nichil portent in via,* neque sacculum, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque virgam. Et in quamcunque domum intraverint primum dicant:

(*a*) BCE *fecerint.* — (*b*) B *nutriet.* — (*c*) BC add. *manducat, non manducantem non spernat, et qui.* — (*d*) BCE om. — (*e*) B om. — (*f*) E om. — (*g*) E *omnibus.*

---

[1] Is. L, 7.

[2] Cf. Rom. XIV, 3.

[3] Marc. II, 26.

[4] Luc. XXI, 34-35.

[5] Reg. I, c. 14, *Opusc.* p. 42.

Pax huic domui. Et in eadem domo manentes edant et bibant que apud illos sunt [1]. Non resistant malo [2], *set* qui eos percusserit in maxillam, prebeant ei (*a*) et (*b*) alteram. Qui aufert eis vestimentum, et tunicam non prohibeant. Omni petenti se tribuant, et qui aufert que sua sunt, non repetant [3].

Et in *Testamento* suo dicit [4]: *Caveant sibi* (*c*) *fratres, ut ecclesias et habitacula paupercula et* (*d*) *omnia alia que pro ipsis construuntur, quod penitus ea* (*e*) *non recipiant, nisi essent secundum quod decet sanctam paupertatem quam in regula promisimus, semper ibi habitantes* (*f*) *sicut advene* (*g*) *et peregini. Precipio firmiter fratribus universis quod ubicunque sunt, non audeant petere aliquam litteram in curia Romana per se vel per interpositam personam, neque pro loco aliquo, neque pro ecclesia, neque sub specie predicationis, neque pro persecutione suorum corporum, set ubicunque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendum penitentiam cum benedictione Dei.*

Unde sicut fr. (*h*) Leo scribit, sanctus (*i*) Franciscus volebat quod summe fratres caverent recipere vel petere aliquid, quod excederet limites promisse paupertatis. Quare dicebat fratribus frequenter beatus (*k*) Franciscus verba ista [5]: « Non fui latro unquam, idest de helemosinis, que pauperum sunt hereditas, semper minus accepi quam me contingeret, ne defraudentur (*l*) alij pauperes sorte sua, quia qui (*m*) contrarium faceret (*n*), furtum esset ».

Et subdit [6]: « Cum fratres ministri suaderent ei quod aliquid (*o*) concederet saltem in communi, ut tanta multitudo que conveniebat in capitulis, haberet aliquid ad quod recurrerent, sanctus (*p*) Fran-

(*a*) C *illi.* — (*b*) B om. — (*c*) C *igitur.* — (*d*) E om. *et omnia alia.* — (*e*) E *non recipiant ea.* — (*f*) C *hospitantes.* — (*g*) E *peregrini et advenę.* — (*h*) B *scribit fr. Leo.* — (*i*) C *b(eatus).* — (*k*) C om. *beatus Franciscus.* — (*l*) CE *defraudarentur.* — (*m*) B om. — (*n*) B *facere.* — (*o*) B intra lineas add. *recipi.* — (*p*) C *b(eatus).*

[1] Luc. IX, 3; X, 4-8.

[2] Matth. V, 39.

[3] Luc. VI, 29-30.

[4] *Opusc.* p. 80.

[5] Idem supra, p. 109.

[6] Scil. Fr. Leo, *Verba S. Francisci* ap. *Doc. ant. franc.* I, p. 101; *Spec. perf.* c. 13, p. 30. Cf. *Legg. ant.* c. 32, p. 69. Textus qui sequuntur usque p. 130, et ab Auctore fratri Leoni attribuuntur, eodem modo sibi succedunt ac ap. *Verba S. Franc.* l. c. Haec ergo, non vero *Spec perf.*, ubi iidem textus valde dispersi sunt, fons directus fuerunt.

ciscus in oratione vocavit Christum et consuluit super hoc eum. Qui statim respondit ei (*a*), quod nolebat, quia ipse de eis volebat habere curam, et quod omnia auferret in [*f.* 42 *r*] speciali et in communi, dicens istam esse suam familiam, cui semper erat paratus providere quantumcunque cresceret, et semper eam foveret quamdiu in eo speraret ». Et infert [1]:

Cum beatus Franciscus esset in quodam monte « cum fratre Leone de Asisio et fratre Boniço de Bononia [2] ad faciendum regulam, quia erat perdita quam, Christo iubente (*b*), scribi fecit, congregati (*c*) ministri quam plures ad fratrem Helyam, qui erat (*d*) vicarius sancti Francisci, et (*e*) dixerunt (*f*): Audivimus quod iste fr. Franciscus facit unam novam regulam, timemus ne (*g*) faciat eam ita asperam quod non possimus eam servare. Unde volumus quod vadas ad eum, et dicas ei quod nos nolumus esse ligati (*h*) ad illam regulam, faciat eam pro se et non pro nobis. Quibus fr. Helyas respondit, quod nolebat ire, timens reprehensionem fratris (*i*) Francisci. At illis instantibus quod iret, dixit se nolle ire sine ipsis, et tunc omnes iverunt. Et cum esset fr. Helyas cum dictis (*k*) fratribus ministris prope locum ubi stabat beatus Franciscus, vocavit eum. Quo respondente et vidente Francisco (*l*) ministros predictos, dixit beatus (*m*) Franciscus: Quid volunt, isti fratres? et fr. Helyas respondit: Isti sunt ministri, qui audientes quod tu facis novam regulam et timentes quod (*n*) tu (*o*) facias (*p*) nimis asperam, dicunt et protestantur quod nolunt esse ad eam obli-

(*a*) C om. E *ei respondit.* — (*b*) D *docente.* — (*c*) B add. intra lineas *sunt.* — (*d*) C om. — (*e*) DE om. — (*f*) E add. *Nos.* — (*g*) D *quod non.* — (*h*) C *obligati ad eam, faciat illam,* D *obligati.* — (*i*) CE *b(eati).* — (*k*) C *predictis ministris,* om. *fratribus.* — (*l*) BCE om. — (*m*) D *sanctus.* — (*n*) D *ne.* — (*o*) C om. — (*p*) C add. *illam,* E *eam.*

[1] Sequens narratio, est cap. I *Spec. perf.*, de quo Sabatier, *L'Incipit et le premier chapitre du Speculum perfectionis* in *Opusc. de critique,* II, 333-67. Eadem narratio *Spec. Vitae,* Venetiis 1504, fol. 7 v.; *Verba S. Francisci* ap. *Doc. ant. franc.* I, 101-103. Aliae versiones similes eiusdem narrationis habentur, uti Claren. 1 Trib. ed. Döllinger, II, 455-57, ed. Tocco, 55-58; *Legg. ant.* c. 25, p. 52-55; *Verba Conradi,* n. 1, ap. *Misc. franc.* VII, 132, et ap. *Opusc. de crit.* I, 370; Ub. a Casali, *Arbor Vitae,* V, 5, fol. E III r a-b; *Actus S. Francisci in Valle Reatina,* c. 2, ed. Pennacchi ap. *Misc. franc.* XIII, 9-11. — Elementa aliqua narrationis habentur etiam ap. S. Bonav. *Leg. mai.* IV, 11, p. 42 ss. Cf. etiam supra, p. 9.

[2] Rationibus non probantibus Carmichael, *The two Companions* ap. *Franciscan Monthly,* IX, 1904, p. 34-37 negavit Fr. Bonizum huic eventui in Monte Columbo interfuisse. — De eo cf. Sabatier, *Spec. perf.* c. I, p. 2, nota 2.

gati, facias (*a*) pro te et (*b*) non pro eis (*c*). Tunc beatus Franciscus vertit faciem suam versus celum et loquebatur Christo (*d*): Domine, nonne bene dixi (*e*) quod non crederent michi? Tunc audita est vox Christi in aere respondentis: Francisce, nichil est in regula de tuo, set totum est meum quicquid ibi est, et (*f*) volo quod regula sic observetur ad literam, ad literam, ad literam, et (*g*) sine glossa. Et addidit (*h*): Scio quantum potest humana fragilitas et quantum volo eos iuvare. Qui nolunt eam servare, exeant de ordine. Tunc beatus Franciscus vertit se ad illos fratres et dixit eis: Audistis (*i*), audistis, vultis quod ista rursum (*k*) faciam vobis dici? Tunc ministri confusi et se inculpantes recesserunt (*l*) ».

Et addidit (*m*)[1]. « Cum beatus Franciscus esset in capitulo generali apud sanctam Mariam de Portiuncula, quod dictum est capitulum storiorum (*n*), et fuerint ibi quinque milia (*o*), tunc quam plures fratres et (*p*) in (*q*) scientia docti accesserunt ad dominum (*r*) cardinalem, qui fuit postea papa Gregorius, qui presens erat in capitulo, et dixerunt ei quod suaderet beato Francisco quod sequeretur consilia doctorum (*s*) fratrum (*t*) sapientium et permicteret (*u*) [*f.* 42 *v*] interdum duci ab illis, allegantes regulam beati (*v*) Benedicti, beati Augustini et beati Bernardi, que docent sic et sic ordinate vivere. Tunc beatus Franciscus, audita ammonitione cardinalis super hoc, cepit eum per manum et duxit eum ad fratres congregatos in capitulo, et locutus est sic fratribus: Fratres mei, fratres mei, Deus vocavit me per viam simplicitatis et ostendit michi viam simplicitatis, et nolo quod nominetis michi regulam aliquam, neque sancti Augustini, neque (*x*) sancti Benedicti, neque sancti Bernardi. Et dixit (*y*) Dominus michi (*z*) quod

---

(*a*) CD add. *eam.* — (*b*) B om. — (*c*) B *ipsis,* E *illis.* — (*d*) C add. *sic.* — (*e*) D add. *tibi.* — (*f*) B *etiam.* — (*g*) CD om. — (*h*) B *addit.* — (*i*) E om. *audistis, audistis.* — (*k*) C *iterum.* — (*l*) D om. quae sequuntur usque *Et ubicumque* in cap. X; cf. supra, p. 76, (*d*). — (*m*) B *addit.* — (*n*) C *ministrorum* (!) — (*o*) E add. *fratrum.* — (*p*) B om. — (*q*) E om. — (*r*) E om. — (*s*) BE *dictorum.* — (*t*) E add. *et.* — (*u*) BC add. *se.* — (*v*) C *S. Benedicti, Augustini et Bernardi.* — (*x*) C *Benedicti aut Bernardi.* — (*y*) B *dominus dixit.* — (*z*) E om.

---

[1] Hoc ad verbum correspondet c. 68 *Spec. perf.* p. 131-32, et quod plus est, ap. *Verba S. Franc.*, *Doc. ant. franc.*, I, 103-04, sequitur immediate post capitulum de compositione Regulae in Monte Columbo; cf. p. 126, nota 6. Cf. etiam 1 Trib. ed. Tocco, p. 37 ss, ed. Döllinger, II, 441 s; *Legg. ant.* c. 14, p. 35; *Spec. Vitae* ed. Venetiis 1504, c. 67, f. 48 vs. Barth. Pis., *Anal. Franc.* IV, 585.

volebat quod ego essem unus novellus paçus(*a*) in mundo, et voluit nos ducere Dominus per aliam viam quam per vestram scientiam, set per vestram scientiam et sapientiam Deus vos confundet. Set ego confido de castallis (*b*) Domini, quod per ipsos vos puniet [1], et adhuc redibitis ad vestrum statum, ad vestrum victuperium velitis, nolitis ».

Et infert [2]: « Iterum dixerunt aliqui fratres beato Francisco: Pater, nonne vides quod aliquando episcopi non permictunt nos predicare, et pluribus diebus permictunt (*c*) stare in una terra otiosos, antequam possimus populo predicare? Et melius esset quod tu inpetrares quod fratres haberent privilegium a papa libere predicandi, et esset salus animarum. Quibus ipse respondit cum magna reprehensione dicens: Vos Fratres Minores non cognoscitis voluntatem Dei et non permictitis me convertere et hedificare totum mundum, sicut vult (*d*), quoniam voluntas Dei est sicut ego volo, quod per (*e*) humilitatem et patientiam et bona opera et reverentiam populo (*f*) hedificemus et convertamus prelatos. Et cum ipsi viderint sanctam vitam nostram et humilitatem et subiectionem et reverentiam ad eos, ipsi rogabunt vos (*g*) quod predicetis et convertatis populum et ipsi (*h*) vocabunt vobis (*i*) melius quam privilegia que vultis, que vos ducent ad superbiam. Et si fueritis separati ab omni avaritia et superbia, et si populum induxeritis quod reddant ecclesijs iura sua, et revereantur et honorent prelatos et clerum, ipsi rogabunt vos quod audiatis confessiones po-

(*a*) E *pazzus,* C *patzus uel stultus.* — (*b*) B *castellis,* E *castaldis.* — (*c*) C add. *nos.* — (*d*) B in marg. add. *deus.* — (*e*) C *propter.* — (*f*) E *primo.* — (*g*) C *nos quod predicemus et convertamus.* — (*h*) Ita C, A *ipsum,* E om. *et ipsi - honorent prelatos,* B *et ipsum vocabit uobis, et istud est melius quam privilegia que uultis habere.* — (*i*) C om.

[1] Similis expressio de *castallis,* seu melius *castaldis Domini* (castaldus = carnifex, hic daemones) in ore S. Francisci ap. *Intent. S. Francisci, Doc. ant. franc.* I, 97; *Spec. perf.* c. 71, p. 139; Ub. a Casali, *Arbor Vitae,* V, 3, fol. D III r b.

[2] *Verba S. Francisci, Doc. ant. franc.* I, 105-06; *Spec. perf.* c. 50, p. 85; *Spec. Vitae,* Venet. 1504, c. 49, f. 30 r. Idem in tractatu Ubertini a Casali *Sanctitas vestra* (a. 1310), ALKG, III, 53. ubi Ubertinus addit: *Hec sunt scripta de manu fratris Leonis viri sanctissimi et ideo individui socii beati Francisci, sicut ab ore eius audiebat, que ego legi, et ab antiquis patribus nostris audivi...* Paraphrasim quamdam eiusdem narrationis exhibet idem Ubertinus, *Arbor Vitae,* V, 3, columnis 5 et 6 cap. 3. Cf. etiam *Legg. ant.* c. 45, p. 89; Barth. Pis. *Anal. Franc.* IV, 471. Ad rem cf. infra, c. 9.

puli sui, licet de hoc non debeatis curare, quia si conversi fuerint, bene invenient confessores. Ego pro me volo hoc privilegium a Domino: nullum scilicet ab homine habere privilegium, nisi omnibus (*a*) subesse et omnibus reverentiam facere (*b*) et per observantiam et obedientiam sancte regule (*c*) et bonis exemplis plus quam verbis ad Deum convertere universos ».

Sanctus Ylarius scribit in *libro conciliorum* [1] sic dicens: « Quisquis enim Christum, qualis ab apostolis predicatus est (*d*), negavit (*e*), antichristus est. Nominis antichristi est Christo esse contrarium. [*f.* 43 *r*]. Oro, inquid, vos episcopi, qui (*f*) vos hoc esse creditis, qui ad tuendam Christi ecclesiam ambitione seculari laboratis, quibusnam suffragijs ad predicandum evangelium usi sunt, quibus adiuti potestatibus Christum predicaverint (*g*) » etcetera. Et subdit: « Illi manu atque opere se alentes intra cenacula secretaque (*h*) coeuntes, vicos, castella, gentesque fere omnes, terra ac mari contra senatus consulta et (*i*) regum (*k*) edicta (*l*) peragrantes, claves credo regni celorum non (*m*) habebant, aut non manifesta tunc virtus contra (*n*) odia humana porrexit auxilium, cum tanto magis Christus predicaretur, quanto magis predicari inhiberetur. At prothdolor, divinam fidem suffragia humana commendant, inopsque virtutis sue Christus, dum ambitio suo nomini conciliatur, arguitur, pendet ad dignationem communicantium, que persequentium est consecrata terrore, fugat sacerdotes, que est fugatis sacerdotibus propagata. Diligi se gloriatur a mundo, que Christi esse non potuit, nisi eam mundus odisset ». Et infra [2]: « Unum moneo, cavete antichristum, male enim vos parietum amor cepit, male ecclesiam Dei in tectis hedificijsque (*o*) veneramur, male sub hijs pacis (*p*) nomen ingeritis, anne ambiguum est in hijs antichristum esse sessurum. Montes michi et insule et lacus et carceres et (*q*) voragines sunt tutiores. In hijs enim prophete aut manentes aut demersi prophetabant ».

(*a*) B *hominibus.* — (*b*) E *exhibere.* — (*c*) B *et per obseruantiam regule sancte et obedientiam,* E om. *sancte.* — (*d*) E om. — (*e*) B *negauerit.* — (*f*) B *quid.* — (*g*) B *predicauerunt.* — (*h*) E add. *loca.* — (*i*) BCE om. — (*k*) E *regumque.* — (*l*) B *edita.* — (*m*) BC *ideo.* — (*n*) B add. intra lineam *dei.* — (*o*) B *edifitiis que reuereamur.* — (*p*) E *nomen pacis.* — (*q*) C om.

---

[1] Falso Clarenus hunc locum attribuit *libro conciliorum* seu *de Synodis.* Agitur de libro *Contra Arianos* vel *Auxentium Mediolanensem,* et quidem n. 2-4, Migne, P. L. 10, 610-11.

[2] L. c. n. 12, ib. col. 616.

Religionem Fratrum Minorum, nichil exemplo Christi et apostolorum habere voventem (*a*), per omnimodam expropriationem et nuditatem ab omnibus que sunt mundi, et ab omni privilegiorum iure, sub quacunque sanctitatis spetie procurato, ut exonerata et expedita ab (*b*) impedimento rerum visibilium et quarumcunque sollicitudinum et causarum, humilius et perfectius Christum sequeretur et ipsius cultui ardentius inhereret, sanctus (*c*) Franciscus (*d*) penitus (*e*) voluit esse extraneam et longinquam. Previdebat enim quod (*f*) per talia privilegia a veritate evangelice paupertatis et sanctissime Christi (*g*) humilitatis soliditate citius ruerent, et avaritie veneno infecti, se in altum erigere per superbiam non timerent.

Oportet, dicebat beatus (*h*) Franciscus [1], omnem Christi discipulum in Christum et crucem eius (*i*) aspicere, et per *angustam portam et artam viam* [2] *post* ipsum *currentem* [3] spiritu roborari, et non solum extra amorem et (*k*) possessionem *omnium que sub celo sunt* [4], set in oblivione (*l*) earum perfecte fieri, ut in hereditatem transeat Ihesu Christi Filij Dei, *qui humiliavit semetipsum et exinanivit, factus pro* (*m*) *nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* [5]. Unde tenemur nos, qui Christum sequi promisimus et Fratres Minores nominamur, ad similitudinem Filij Dei humiliari sub omnibus hominibus, et *stultitiam* et [*f.* 43 *v*] nuditatem *crucis* [6] eius amplecti et (*n*) amare sine honore reputari et (*o*) communicare inproperijs (*p*) et doloribus crucis (*q*) eius, qui *non avertit faciem* (*r*) a confusione *expuentium in eum* [7]. Tunc enim Filius Dei requiescit et habitat in nobis, quando propter amorem eius omnia que mundus diligit, odimus, et conculcati et expro-

(*a*) E *uolentem.* — (*b*) C add. *omni.* — (*c*) C *b(eatus).* — (*d*) E om. — (*e*) E *uoluit penitus.* — (*f*) B in marg. add. *fratres.* — (*g*) B add. *uite.* — (*h*) E *sanctus.* — (*i*) B in marg. add. *debere.* — (*k*) B add. inter lineas *dimittere.* — (*l*) B *obliuionem.* — (*m*) BE *obediens pro nobis.* — (*n*) B om. — (*o*) B om. — (*p*) B *properiis.* — (*q*) E *eius crucis.* — (*r*) E add. *suam.*

[1] Unde desumptum sit, nescio; textus accedit ad *Admonitiones* S. Francisci, quae plenae sunt verbis S. Scripturae sicut hic textus.

[2] Cf. Matth. VII, 14.

[3] Cf. Cant. I, 3.

[4] Cf. Iob XLI, 2.

[5] Philip. II, 8.

[6] Cf. 1 Cor. I, 18.

[7] Cf. Is. L, 6.

brati (*a*) et despecti *pro nomine eius* exultamus et gaudemus [1], qui pro nobis *pauper et egenus factus est* (*b*) [2], noluit habere in isto mundo, cum Deus esset, *ubi capud reclinaret* [3]. Unde Fratres Minores ad hoc vocati sunt, ut ostendant operibus et sermone, quia illius sunt discipuli, cuius *regnum non est de hoc mundo* [4].

Quibus per eum Christus mandavit, quod singuli et omnes simul *nichil* [5] *sibi approprient* (*c*), *nec locum* (*d*), *nec domum, nec aliquam rem, set tanquam peregrini et advene in hoc seculo, Domino famulantes, vadant pro helemosina confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia* (*e*) *Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hec est enim celsitudo altissime paupertatis, que vos, karissimos* (*f*) *fratres meos, heredes et reges regni celorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hec sit portio vestra, que perducit in terram viventium: Cui, dilectissimi fratres, totaliter inherentes, nichil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub celo* (*g*) *habere velitis.*

Clarissime patet ex hijs que fecit et docuit sanctus Franciscus, et in *Regula* et in *Testamento* et in alijs *Verbis* suis, que Christo sibi (*h*) revelante et ecclesia sibi (*i*) regulam approbante, scripta reliquid, quod intentio et voluntas prima et ultima sua fuit, quod religio sua, neque in generali (*k*) neque in particulari alicuius rei proprietatem haberet (*l*), et hoc (*m*) sanctus (*n*) Franciscus per revelationem a Christo habuisse inmediate illi tres pontifices qui eum viderunt, videlicet, Innocentius, Honorius et Gregorius sicut ab ore eius audierunt, ita verum esse tenuerunt et omnes subsequentes pontifices et totus ordo uque in presens, et fidelium omnium multitudo, que est (*o*) *ecclesia Dei vivi et columpna et firmamentum veritatis* [6], pro certo et rato hoc ipsum suscepit et predicavit et sua auctoritate nutrivit et roboravit.

(*a*) B *exprobati.* — (*b*) B inter lineas add. *et.* — (*c*) E *appropriarent.* — (*d*) C *domum nec locum.* — (*e*) C *etc. usque ibi in perpetuum sub celo habere velitis.* — (*f*) B *fratres karissimi mei,* E *uos charissimi fratres mei.* — (*g*) B om. *sub celo.* — (*h*) E om. — (*i*) E *regulam sibi.* — (*k*) B add. *neque in spetiali.* — (*l*) B *haberent.* — (*m*) BE *hec.* — (*n*) C *b(eatus).* — (*o*) E add. *in.*

[1] Cf. Act. V, 41.
[2] 2 Cor. VIII, 9.
[3] Matth. VIII, 20. Luc. IX, 58.
[4] Ioh. XVIII, 36.
[5] Reg. 2, c. 6, p. 68.
[6] I Tim. III, 15.

Communis autem apostolica et evangelica vita quam Christus apostolos et discipulos suos servare voluit et exemplo sue vite tenere docuit et ad predicandum mictens servandam eis inposuit sub precepto, in altissima paupertate fundatur, et omnem proprietatem funditus a singulis et a tota communitate ipsam profitentium excludit. Unde (*a*) ad usum eius oblata vite, vel de opere manuum adquisitá, si auferantur, nec defendere aut in iudicio repetere valent, ut mortui mundo et omnibus que sunt mundi.

Intellexit enim sanctus Franciscus, eum Christi spiritu docente, quod veniens in mundum Dei Filius et sua nos redimens morte et [*f.* 44 *r*] Patri reconcilians [1], ita omnes in ipsum (*b*) credentes unum effecit, ut sicut ipse est unum cum Patre (*c*), et nos ipsius corporis et carnis virtute quam manducamus, unum sumus invicem et (*d*) in ipsò [2]. Caro enim et sanguis Christi id efficiunt ut et nos in Christo et Christus in nobis sit [3]. Ita enim omnes unum sumus, quia et in Christo Pater (*e*) et Christus in nobis est [4], ut ei vivamus et non nobis, quia *pro nobis mortuus est* [5]. Et *sicut portavimus ymaginem terreni* patris [6], de quo (*f*) propagati (*g*) nascimur *filij ire* [7], a Deo et ab invicem divisi, querentes propria et non que Dei sunt, ita et nunc *ex Deo nati* [8] *celestis* hominis Christi *ymaginem portemus* [9], *que sursum sunt querentes et non que super terram* [10]. Nam *primus homo* terrena sapiens [11] perdidit innocentiam et mortem anime et corporis incurrit, *secundus* odium mundi et amorem celestium predicans [12], redidit innocentiam et promisit gloriam diligentibus se, et sue evangelice paupertatis perfectionem amantibus et servantibus puro corde: *Si vis,*

(*a*) CE om. *Unde - mundi,* B in marg. — (*b*) E *eum.* — (*c*) E add. *ita.* — (*d*) C om. — (*e*) Ita BCE, A *patrem.* — (*f*) E *eo.* — (*g*) E add. *et.*

[1] Cf. Rom. V, 10.
[2] Cf. Ioh. XVII, 21.
[3] Cf. Ioh. VI, 57.
[4] Cf. Ioh. XVII, 21.
[5] Rom. V, 9.
[6] I. Cor. XV, 49.
[7] Eph. II, 3.
[8] Ioh. I, 13.
[9] I Cor. XV, 49.
[10] Col. III, 2.
[11] Cf. I Cor. XV, 47.
[12] Ib.

inquid [1], *perfectus esse, vade et vende* omnia *que habes et da pauperibus et veni et* (a) *sequere me et habebis thesaurum in celo.* Et iterum [2]: *Qui non renuntiat omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus. Et* [3] *aperiens* (b) *os suum docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu* (c), *quoniam ipsorum est regnum celorum.* Et illud [4]: « *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in çonis vestris* et similia que in sacris evangelijs continentur, ad que Spiritu Sancto repleti apostoli et Christi discipuli et fideles ceteri, eorum imitatores vite, aspicientes, et vite Christi conformes esse, iuxta quod eis erat possibile totis viribus satagentes, distractis omnibus que possidebant, communem illam servabant vitam, quam Christus docuerat et servaverat cum suis apostolis (*d*).

De qua Phylo, Hebreorum (*e*) disertissimus, teste Eusebio [5], in laudem gentis sue plurima scripsit et de qua communi apostolica vita, prout sanctus Ysidorus refert in *libro canonum et conciliorum* [6], Clemens papa in *quarta epistola* [7] dicit: « Dilectissimis fratribus et condiscipulis Ierosolimis cum karissimo fratre Iacobo et coepiscopo habitantibus Clemens episcopus salutem. Communis [8] vita est omnibus necessaria, fratres, et maxime hijs qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt et vitam apostolorum eorumque (*f*) discipulorum imitari volunt. Communis enim (*g*) usus omnium, que sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit, set per iniquitatem alius dixit hoc esse (*h*) suum, alius istud, et sic inter mortales facta est divisio. Denique Grecorum quidam sapientissimus [9], sciens hec ita (*i*) esse communia, ait amicorum debere omnia

(*a*) EB om. — (*b*) B om. — (*c*) C add. *etc.* reliqua om. — (*d*) C *discipulis.* — (*e*) E *disertissimus hebreorum.* — (*f*) E *eorum.* — (*g*) CE *est.* — (*h*) B om. — (*i*) E add. *omnia.*

[1] Matth. XIX, 21.

[2] Luc. XIV, 33.

[3] Matth. V, 2-3.

[4] Matth. X, 9.

[5] Cf. supra, p. 18, nota 5; cf. ib. nota 4.

[6] Hoc referendum est ad *Decretales* Pseudoisidori, vulgo Isidoris Mercatoris, Migne, P. L. 130, 1 ss. olim S. Isidoro adscriptas, in quibus habentur litterae Pseudoclementinae.

[7] Est ep. 5. Pseudoclementis, Migne, P. G. 1, 505; P. L. 130, 57.

[8] Quae sequuntur in hac epistola desumpta sunt ex *Libro Recognitionum*, X, 5, eiusdem Pseudoclementis, Migne, P. G. 1, 1422.

[9] Scl. Socrates ap. Platonem *De Republica*.

esse (*a*) communia. Et sicut non potest dividi aer neque splendor solis, ita neque reliqua [*f. 44 v*] que communiter hominibus data sunt ad habendum, dividi debere, set habenda esse omnia communia, unde et Dominus per prophetam dicit[1]: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.* Istius consuetudinis more retento, apostoli eorumque discipuli una nobiscum et vobiscum communem vitam duxerunt». Ut[2] enim bene nostis, nullus eorum aut nostrum aliquid suum esse dicebat, set omnia illis et (*b*) nobis erant communia; ubi et subdit, quod Ananias et Saphira apostolis super hoc mentiti sunt, ideo nobis presentibus in conspectu omnium circumadstantium et apostolorum ambo mortui sunt (*c*) delati[3].

Hec beatus papa Clemens, in quibus docet quod apostolis Christi et ceteris credentibus perfectionem divinissime vite Domini et Salvatoris promictere et servare eligentibus, erat una et uniformis communitas, et talis communitas que illi collegio nichil appropriabat et in qua nullus *aliquid suum esse dicebat*[4], immo erat (*d*) talis, qualis in statu innocentie apud totam communitatem hominum fuisset et qualis inter omnes homines esse deberet, si non esset corruptio et infirmitas originalis vel actualis peccati, et qualis est illa, qua aer et sol omnibus sunt communes, et qua omnis rei proprietas et dominium et affectus (*e*) dominij et proprietatis de corde puro et caritate perfecta penitus abdicatur, et propter obedientiam legis spiritus vite et gratie et (*f*) veritatis Christi inplendam cotidiano usui oportuna et nature (*g*) necessaria recipiuntur, vel exemplo doctoris gentium et sanctorum patrum, qui apostolice vixerunt de labore manuum (*h*) evangelice, cum pleniori virtutum et caritatis augmento et merito procurantur. Hinc est quod (*i*) omnia vendi et dari pauperibus iubet, et centuplum propter ipsius honorem (*k*) et amorem et evangelij observantiam, omnia relinquentibus pollicetur, etiam (*l*) in hac vita cum perse-

(*a*) B *communia esse.* — (*b*) B *communia erant et nobis.* — (*c*) B add. inter lineas *et inde.* — (*d*) B *talis erat.* — (*e*) B *dominii affectus.* — (*f*) B om. — (*g*) Ita BC, A *uere* (*uē*). — (*h*) B add. inter lineas *et.* — (*i*) B add. inter lineas *X*ˢ. — (*k*) E *amorem et honorem.* — (*l*) C *et.*

[1] Ps. 132, 1.

[2] Quae sequuntur quoad sensum et per contractionem ex dicta ep. 5, l. c. P. G. col. 507; P. L. col. 57-58.

[3] Cf. Act. V, 1-10.

[4] Act. IV, 32.

cutionibus propter configurationem ad ipsum (*a*) et contronam sessionem et vitam eternam.

De tali apostolica communitate et vita Damasus papa [1] in *expositione secunde epistole ad Corrinthios* super illo verbo: *Dispersit dedit pauperibus* [2], dicit: « Iustitiam, inquid (*b*), hic appellat largitatem substantie temporalis vel mercedem eiusdem substantie distribute. Que largitas bene iustitia appellatur, quia iustum est ut, sicut terra omnibus hominibus communiter a Deo data est ad possidendum et sicut calor solis et humor pluviarum omnibus communiter tribuitur a Deo, ita etiam (*c*) que in terra Dei dono nascuntur, communiter dispensent (*d*) et communiter utantur, et hec est iustitia ut, quia illud Deus gratis dat, retribuat et (*e*) ex eo et (*f*) homo cui deest ».

Et super illo verbo *epistole ad Colossenses* [3]: *Mortificate membra vestra,* [*f.* 45 *r*] *que sunt super terram, fornicationem et inmunditiam, libidinem et* (*g*) *concupiscentiam malam et avaritiam, que est* (*h*) *simulacrorum servitus,* « quia ille servit dyabolo, qui omnipotentis Dei culturam et religionem que illi soli convenit et singulare nomen, ut solus Deus vocetur, quantum in se est, illi aufert et demonibus inpendit, ita et ille servit dyabolo, qui dona omnipotentis Dei communia, que omnibus hominibus communiter data sunt, in proprios sui (*i*) usus male usurpat. Ideo [4] avaritiam ydolatrie (*k*) comparavit, ut nichil illis scelestius demonstraret. *Radix omnium malorum* avaritia est [5] ».

(*a*) C *christum.* — (*b*) E om. — (*c*) C *et.* — (*d*) BC *dispensentur.* — (*e*) B om. — (*f*) B om. — (*g*) BCE om. — (*h*) C om. — (*i*) C *suos,* BE *sibi.* — (*k*) C *ydololatrie.*

[1] Qui sint Commentarii Damasi Papae ad Epistolas S. Pauli, invenire non potui, nec ullum auctorem, qui tales Commentarios Papae Damaso attribuat. Hoc tantum perspexi esse relationem inter hos commentarios et illos sic dictos Ambrosiastri, quos Clarenus pariter, sub nomine S. Ambrosii, citat. Illos enim locos, quos Clarenus hic adducit ex « Damaso Papa », unicuique inspicienti patet esse partim quasi compendium Ambrosiastri. Cum citetur a Clareno etiam commentarius Damasi in epistolam ad Hebraeos, hi commentarii esse iuniores illis Ambrosiastri videntur. Nam si Ambrosiaster hac serie Commentariorum « Papae Damasi » ut fonte usus esset, proculdubio tunc etiam epist. ad Hebraeos comprehendisset, quam in suis commentariis ad epistolas S. Pauli omisit.

[2] 2 Cor. IX, 9. Cf. Ambrosiaster, Migne P. L. 17, 313-14.

[3] Col. III, 5. Cf. Ambrosiaster, Migne, P. L. 17, 434-35.

[4] Verba *Ideo avaritiam - avaritia est* ad verbum ex Ambrosiastro l. c. desumpta sunt.

[5] I Tim. VI, 10.

Et super illud *ad Hebreos*[1]: *Paravit illis civitatem*, dicit: « Certum est quoniam patres peregrini erant in tantum etiam (*a*) ubi suos sepellirent mortuos non haberent. Quapropter prima virtus est peregrinum esse huius mundi et hospitem, nilque commune habere cum regibus huius seculi, set removere (*b*) ab eis sicut peregrinus. *Ideo* enim *non confunditur*, idest non erubescit, *Deus vocari Deus illorum, paravit enim illis civitatem*. Ideo, inquid, quia illi Deo crediderunt nichilque de terrenis sibi (*c*) presumpserunt, ad hoc ut in (*d*) illis spem suam ponerent. Idcirco non erubescit *Deus vocari Deus illorum, paravit enim illis civitatem*, scilicet Ierusalem celestem. Ideoque non dedit illis in presenti seculo hereditatem ».

Et super illud Apostoli *ad Corrinthios*[2]: *Tanquam nichil habentes et omnia possidentes*, idem Damasus papa ait: « *Tanquam nichil habentes* erant apostoli, quia (*e*) non habebant predia, non aurum, non argentum, non servos, non ancillas, et tamen omnia ista (*f*) possidebant in possessoribus, quos ad Christum converterant. Possumus, inquam (*g*), dicere quia (*h*) apostoli in hoc seculo quasi (*i*) *nichil habentes* erant, set in capite suo Christo *omnia possidebant* ». Et infert: « Nemo enim plus habet, quam qui nullo indiget, et (*k*) tamen cum divites multa habeant, multis indigent, quia plus habere desiderant quam habeant. Ille autem nullo indiget qui preter necessaria victus et vestimenti nichil requirit (*l*) ».

Idem super illo verbo Apostoli[3]: *Scitis gratiam Domini nostri Ihesu Christi* quam nobis contulerit (*m*) etcetera. « Omnia namque, inquid, bona que humano generi donata sunt, gratia Dei est. Quoniam *cum dives esset*, secundum Deitatem (*n*) omnia possidens cum Patre, *propter* nos et omnes credentes *egenus factus est* et pauper, in tantum, ut non haberet quod vulpes habent, *ut illius inopia vos* (*o*) *divites essetis* in celo. Et factus est homo ut nos faceret deos, juxta quod per psalmistam dicit[4]: *Ego dixi, dij estis* (*p*). Et in hoc consilium do, ut eius paupertatem imitemini ».

(*a*) C *et*, E add. *ut*. — (*b*) B cor. *removeri*. — (*c*) C *sunt*. — (*d*) B om. — (*e*) B *qui*. — (*f*) C om. E *ista omnia*. — (*g*) C *inquit*. — (*h*) BC *quod*. — (*i*) E *tanquam*. — (*k*) E om. *et tamen-nullo indiget*. — (*l*) BC *querit*. — (*m*) Sic BCE, A *contuleritis*. — (*n*) BE *diuinitatem*. — (*o*) E *nos*. — (*p*) B add. *et fi(lii)*.

[1] Heb. XI, 16.
[2] 2 Cor. VI, 10. Cf. Ambrosiaster, Migne, P. L. 17, 301.
[3] 2 Cor. VIII, 9. Cf. Ambrosiaster, Migne, P. L. 17, 308-09.
[4] Ps. 81, 6.

Id ipsum quod de evangelica vita Christi et paupertate in hoc (*a*) VI° capitulo sue regule sanctus Franciscus instituit, beatus Basilius in prologo sue regule *ad regulares in cenobijs* apostolice et evangelice *viventes,* scribit: [*f.* 45 *v*] Et quod nullum proprium talis communitas habere debeat, sicut nec Christus cum apostolis habuit, nec primus homo in statu innocentie, si non peccasset, habuisset, et sicut angeli in celo et beati nichil sibi appropriant. Ait enim [1]:

« Quoniam vero plurimi exercitatorum in congregationibus exercitantur ad invicem inobliviscibiles eorum prudentias exacuentes cum directionum aditamento et inpetu, spiritu (*b*) moventes seipsos ad boni profectum, iustum arbitrati sumus et istis per sermonem consolationem inferre. Oportet autem ipsos prius cognoscere ad quantum et quale transformati sunt bonum, ita super hoc exortationem suscipere, ut promtitudinem et festinantiam dignam directionis virtutis ostendant. Nam primum quidem ad bonum, quod est secundum naturam, redeunt communionem et unius vite mensam salutantes. Communionem enim (*c*) vitam perfectissimam ego voco in qua possessionis quidem proprietas exulat, voluntatis vel arbitrii contrarietas expulsa est, conturbationes et litigationes extra fugate sunt. Communia vero sunt cuncta anime, voluntates, arbitria, corpora (*d*) et quecunque corpora nutriunt et fovent. Communis est Deus, communis est et pietatis que sunt (*e*) et communis salus, communia certamina, communes labores, communes corone. Unus multi et unus non solus set in pluribus.

Quid igitur huic conversationi equale est, quid magis beatum, quid hac copulatione et unione diligentius, quid morum et animarum concertatione alacrius et gratiosius (*f*)? Homines ex indifferentibus generibus et regionibus moti, ad tantam diligentiam identitatis compaginari, ita quod in multis corporibus una anima contempletur et multa corpora unius voluntatis et arbitrii organa ostendantur. Qui infirmatur (*g*) corpore multos habet affectione collaborantes. Qui languet et deorsum anima cadit, multos habet qui eum sanant

(*a*) C om. — (*b*) B cor. *spiritus.* — (*c*) B add. in marg. *communem,* E add. *ego,* quod postea om. — (*d*) B om. — (*e*) B cor. *et que pietatis sunt,* E *et quęcunque sunt pietatis.* — (*f*) C *generosius.* — (*g*) BCE *infirmantur - habent.*

[1] Hoc S. Basilius non dicit in Prologo Regulae, sed habetur in capite 18. *Constitut. monast.* S. Basilio olim adscriptarum, Migne, P. G. 31, 1381-1388, quod caput Clarenus integrum hic ponit (usque p. 141) cum parva lacuna.

et relevant, invicem eque servi, invicem domini et in libertate que est sine pugna diligentissimam invicem ostendunt servitutem, quam non necessitas obsidionis violenter (*a*) induxit, multam (*b*) ferens captivis ignominiam, set arbitrii spontanea facultas cum letitia condidit, caritate liberos invicem subdente et spontanee voluntati quod est liberum custodiente. Isti antiquum a principio revocant bonum primi parentis Adam peccatum supervelantis (*c*). Divisio enim et seditio et pugna utique in hominibus non fuisset, peccato non recidente naturam. Isti diligentes Salvatoris (*d*) imitatores et eius que est secundum eum (*e*) in carne conversationis [*f.* 46 *r*] existunt. Tanquam enim ille chorum discipulorum constituens communia omnia et communem seipsum apostolis prebuit, ita et hij duci obedientes ac plene regulam vite apostolorum custodientes et Domini conversationem cum diligentia imitantur. Hij angelorum vitam emulati sunt, quod est concertativum (*f*), tanquam illi per diligentiam (*g*) servantes. Non (*h*) est (*i*) in angelis litigatio neque contenptio, non hesitatio, set unusquisque que sunt omnium habet, et omnes integra apud semetipsos bona recondunt (*k*). Non est enim materia circumscripta angelorum divitie indigentes cesione (*l*) cum ipsas plurimis oportet dispensari, set inmaterialis possessio et mentis vel (*m*) deliberationis divitie.

Et propter hoc apud singulos integra bona manentia, omnes equaliter divites in ipsis sine hesitatione operantur et sine pugna possessionem propriam prebent. Contemplatio enim suppremi boni, virtutis (*n*) manifestissima apprehensio, angelorum thesauriçatio est, ad que omnibus aspicere licet, integram eorum scientiam (*o*) et possessionem unoquoque accipiente. Tales sunt exercitatores secundum veritatem non terrenis transformati, set de celestibus cogitantes et (*p*) inpercibilibus dispensationibus eadem apud omnes seipsos singuli integra thesauriçant. Virtutis enim possessio et directionis divitie et (*q*) avaritia laudabilis et non lacrimabilis rapina et inreplebilitas coronanda in eis est, et qui non violentat, reus est. Omnes raptores et nemo lesus et propter hoc pax divinitus exultat. Hij promissi regni bona autem (*r*) rapiunt, virtuosam suam con-

---

(*a*) E *uiolenta.* — (*b*) C *multis.* — (*c*) B cor. *reuelantes.* — (*d*) C *salvationis.* — (*e*) E *carnem carne conversationis.* — (*f*) Sic recte BE, AC *concertatium.* — (*g*) B *pro diligentia.* — (*h*) C add. *enim.* — (*i*) B om. — (*k*) C *recundunt.* — (*l*) E in margine *aliter: sine cęsione.* — (*m*) B cor. *uelut.* — (*n*) BE *et uirtutum.* — (*o*) BE *conscientiam.* — (*p*) E om. — (*q*) B delevit. — (*r*) E om.

versationem et communionem, diligentem imitationem conversationis et constitutionis que ibidem est, exibentes: Hij nichil possidere perfecte dilexerunt, nichil proprium habentes invicem vero omnia. Qualium nobis bonorum Salvatoris (*a*) humanatio, conciliatio facta est. Manifeste hij vite hominum ostenderunt disruptam hominum naturam et (*b*) infinita decisam quod eam, quantum in ipsis erat, ad seipsam iterum et ad Deum congregant. Hoc enim est capud Salvatoris (*c*) secundum carnem dispensationis, ut humanam naturam ad seipsam et ad seipsum congregaret (*d*) et a maligna concisione eruens ad antiquam revocaret unionem, velud aliquis perfectus medicus corpus in multis partibus divisum, salutaribus antidotis reconpaginans.

Et ista preterij non ut post honorem in aliquo et verbis extollam communiter viventium directiones, non enim est tanta verborum meorum virtus [*f.* 46 *v*] quod blanditijs magis demulceat, contrarium vero magis lamentum faciens circa narrationem (*e*) infirmitate, set ut sicut est possibile transeam et ostendam directionis altitudinem et magnitudinem. Quid enim ad illud quod est equum veniat huic bono per comparationem? Ubi enim quidem pater unus, pueri vero multi imitati supernum patrem, vincere invicem festinantes preceptorem bonis voluntatibus. Pueri quoque ad seipsos concordantes et patrem virtuosis actibus gratanter acceptantes, non veram copulationis (*f*) causam circumscribentes, set verbum natura firmius unionis auctorem et custodem facientes. Quam namque ymaginem eorum que (*g*) sunt in terra ad exibitionem haberent directionis virtutis, set eorum que sunt super terram nullam; soli (*h*) vero ei, que (*i*) de sursum est, reliquerunt. Inpassibilis est supernus Pater absque vitio et iste verbo universis ducatum prebens. Sine corruptione sunt pueri desursum Patris. Incorruptio et istos unum effecit. Caritas coniungit ea que sunt sursum, caritas et istos (*k*) ad invicem connexuit (*l*). Vere prohibitus existit (*m*) dyabolus ipse adversus talem cuneum non substinens et adversus tantos (*n*) certatores ita expeditos et uniformiter aggregatos contra illum militantes et tantum invicem caritate esse con-

---

(*a*) C *saluationis.* — (*b*) B in margine add. *in.* — (*c*) C *saluationis.* — (*d*) Sic B, A *congregarent.* — (*e*) B add. *in.* — (*f*) B *contemplationis.* — (*g*) C *qui.* — (*h*) Haec lectio confirmat suspicionem editoris ap. Migne, P. G. 31, 1385, nota 55. — (*i*) C *qui.* — (*k*) E *inuicem istos.* — (*l*) B *connexuit ad inuicem.* — (*m*) C *ex istis.* — (*n*) E *tales.*

federatos et suffultos spiritu, quod neque brevissimum aditum illius aggressibus prebeant. Inspice mecum et VII Machabeorum concorde certamen, et invenies apud istos ferventiorem concordiam. De istis David propheta (*a*) in canticis exclamavit dicens: *Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum* [1]. Et bono quidem id quod est vite probatur (*b*), statuens iocundo vero ex concordia et unione (*c*) letitiam. Horum sectantes viam cum diligentia michi videntur suppremam emulari virtutem ».

Gregorius vero Naçaçenus de hijs, que sanctus Basilius in hac regula et in alijs iam suis tractatibus scripserat, in exortatorio sermone, quem ad quemdam principem, virum per omnia eruditum, ad postulata respondit dicens (*d*) misit, sic de sancto Basilio loquitur [2]: « Ante omnia si salutem eternam et sapientiam, que de sursum est, diligis, sanctum vero capud divinum dico Basilium cum reverentia et sollicitudine sequere, et ipsius dictis et divinissimis scriptis vigilanter attende. Non enim humana sunt, set que docet et scribit a throno Dei et agni emanant, et ea pie nobis per ipsum dispensat divina clementia ».

Ex verbis horum duorum doctorum, qui evangelicam Christi et apostolorum perfectionem promiserunt, [*f.* 47 *r*] servaverunt et, Deo inspirante, in scriptis, quid de ea senserint, ad posteros transmiserunt, omnis, qui eorum voluerit humiliter dicta scrutari, absque errore cognoscet. Ad maiorem autem veritatis declarationem sanctorum doctorum, qui evangelice vite et apostolice perfectionis regulam non assumpserunt ex voto, auctoritates ponantur, ut pateat legenti quomodo unus Christi spiritus loquebatur in sanctis differentis vocationis et status de altissima Christi et discipulorum eius vita et paupertate consona, (*e*) non diversa [3].

(*a*) C om. — (*b*) B *probatum.* — (*c*) E *unitate.* — (*d*) BCE *respondens misit.* — (*e*) C add. *et.*

[1] Ps. 122, 1.

[2] Ubi dixerit S. Greg. Nazianz., non inveni.

[3] Verba similia habentur in Clareni epistola ad ducem Philippum de Maiorcis, scripta post 25 Aug. 1329; cf. Ehrle, ALKG, I, 566, nota 1, et Tocco, *Studii francescani,* Napoli 1909, 297 ss. *Nam... omnes doctores tam graecorum quam latinorum cum fundatoribus omnium sanctarum approbatarum religionum, spiritu sancto in ipsis loquente, terminaverunt et firmiter tenuerunt quod Christus et Apostoli non habuerunt proprium nec habere voluerunt. Quorum exemplis et documentis perfectionis eorum imitatores eruditi, primo sua et postea se ipsos nudos Christo obtulerunt, aliqui viventes sine proprio in com-*

Ait enim sanctus Ambrosius, *omelia X^a super genesi* (*a*)[1]: « Christus Dominus nóster quid sacerdotibus et quid discipulis precepit, audiamus: *Qui non reliquerit omnia que possidet, non potest meus esse discipulus*[2]. Contremisco (*b*) hoc dicens. Meus (*c*) enim primo, primus omnium meus, inquam, condempnator (*d*) existo, meas condempnationes loquor. Negat Christus suum esse discipulum quem viderit aliquid possidentem, et etiam *qui non reliquerit omnia que possidet.* Et quid agimus? quomodo hoc aut ipsi legimus, aut populis exponimus, qui non solum non renuntiamus hijs que possidemus, set adquirere volumus ea que nunquam habuimus antequam veniremus ad Christum? Numquid nam quia nos redarguit conscientia, tegere que scripta sunt possumus? Nolo dupplicitatis (*e*) criminis esse reus. Confiteor et palam hec scripta esse, audiente populo, etsi nondum inplesse me novi ».

Idem sanctus super illud Matthei[3]: *Nemo potest duobus dominis servire.* « Nam si volatilibus (*f*) celi, quibus nullum exercitium cultionis, nullus de messium fecunditate proventus est, indesinenter tamen providentia divina largitur alimenta, verum est causam nostre inopie avaritiam videri. Etenim illis idcirco sine labore pabuli usus exuperat, quod (*g*) sibi communes ad (*h*) escam cibos datos, spetiali quodam nesciunt vendicare dominatu. Nos communia ammisimus, dum propria vendicamus. Nam nec proprium quicquam est, ubi perpetuum nichil est, nec certa copia, ubi incertus eventus. Cur enim divitias tuas estimes (*i*) cum tibi Dominus etiam (*k*) victum cum ceteris animantibus voluerit esse com-

---

(*a*) C *in genesim,* B *super genesis.* — (*b*) A *cotremisco.* — (*c*) BC *me.* — (*d*) B *dapnator.* — (*e*) Ita recte BCE, A *duplicitati.* — (*f*) BE *uolatilia.* — (*g*) BCE *quia.* — (*h*) E *cibos ad escam datos.* — (*i*) B *existimas.* — (*k*) CE *et.*

---

muni et in speciali, alii cum proprietate rerum vite opportunarum corporali et divino cultui .... Tocco, l. c. 299. His verbis, uti apparet etiam ex contextu, Clarenus loquitur de quaestione mota sub Ioh. XXII, de Christi et Apostolorum paupertate. Idem dicendum videtur de nostro textu. Cum autem haec quaestio mota sit a. 1321 et soluta per bullam *Cum inter nonnullos,* 12 nov. 1323, Eubel, *Bull. Franc.* V, 256, quae tamen solutio hic nondum innuitur, mihi arridet opinio, hunc locum intra hoc tempus conscriptum et totum commentarium Regulae ante finem a. 1223 absolutum esse. Cf. *Introductionem.*

[1] Talis Homilia inter opera edita S. Ambrosii non invenitur.

[2] Cf. Luc. XIV, 33.

[3] VI, 24. In *Commentario in Lucam,* lib. VII. n. 124-125, Migne, P. L. 15, 1731.

munem? Aves celi spetiale sibi nichil vendicant, et ideo nesciunt pabulis indigere, quia non norunt alijs invidere. *Considerate lilia* (*a*) *quomodo crescunt*[1] etcetera. *Si autem fenum quod hodie est et cras in clibanum* (*b*) *mictitur, Deus sic vestit*[2]. Bonus, inquid, sermo atque moralis quod ad fidem nos divine misericordie conferende vel iuxta literam, quia ad staturam corporis (*c*) nostri, vel (*d*) spiritualiter, quia supra mensuram stature nostre, sine Dei favore nil valeamus (*e*) adiungere[3], comparatione floris [*f.* 47 *v*] et (*f*) feni nos sermo dominicus provocavit. Quid enim tam morale ad persuasionem, quam cum videas, quod etiam (*g*) que sunt irrationabilia, sic Dei prospicientia vestiantur, ut nullo horum vel ad gratiam egeant vel ornatum, multo magis credas rationabilem hominem, si omnem sui usum in Deo collocet, nec študio mirandi (*h*) fidem violet, nunquam egere posse eo, quod iure presumpserit de favore divino?».

Et super illud Luce[4]: *Nichil tuleritis in via* dicit: «Qualis debeat esse qui evangeliçat regnum Dei, preceptis evangelicis designatur, ut sine virga, sine calciamentis, sine pane, hoc est temporalis seu secularis subsidij adminicula non requirens, fideique totus putet quominus ea requirit, sibi magis posse suppetere». Et super eodem dicit[5]: «Si prohibemur aurum possidere aut aliquid eripere, apostolus Petrus, primus executor dominice sententie, ostendit, non in vacuum effusa Domini (*i*) mandata, cum posceretur a paupere, ut ei (*k*) aliquid pecunie (*l*) largiretur, ait: *Argentum et aurum non habeo*[6], tamen non in hoc tantum gloriatur Petrus, quod argentum et aurum non habeat, quam quod Domini (*m*) servet mandatum, dicens qui (*n*) precipit. *Nolite possidere aurum neque argentum* etcetera».

Et in epistola *ad Corrinthios* dicit de apostolis[7]: «Quantum ad presentem vitam pertinet, pauperes videbantur, egeni in terris,

(*a*) C add. *agri*. — (*b*) B om. — (*c*) E *nostri corporis*. — (*d*) C *nihil*. — (*e*) C *valeas*. — (*f*) E om. — (*g*) C *et*. — (*h*) B cor. *ministrandi*. — (*i*) C *Dei*. — (*k*) B om. — (*l*) E om. — (*m*) C *dei*. — (*n*) E om. *qui precipit*.

[1] Luc. XII, 27.

[2] Luc. XII, 28.

[3] C. Matth. VI, 27, Luc. XII, 25.

[4] Luc. IX, 3. In *Com. in Lucam*, lib. VI, n. 65, Migne, P. L. 15, 1685. Idem supra, p. 107, ubi in nota 1 adiungenda est accuratior fontis indicatio.

[5] L. c. lib. VII, n. 54-55, Migne, P. L. 15, 1712-13 (cum omissionibus).

[6] Act. III, 6.

[7] Ambrosiaster in 2 ad Cor. VI, 10, Migne, P. L. 17, 301.

in celis divites, *nichil habentes, omnia autem possidentes.* Hoc fuit gloriosum in apostolis, ut sine sollicitudine et nomine possidendi non solum ea, que in possessionibus erant, set eorum dominos possiderent ». Et super illud [1]: *Hec omnia adicientur vobis:* « Non, inquid, ad presens nec in reliquum ostendit gratiam defuturam, si modo qui divina desiderant, terrena non querant (*a*) ».

Idem sanctus *ad ecclesiam Vercellensem* [2]: « Noli refutare inopem, quia Christus propter te pauper factus est. Noli quasi dives te actollere, nam Christus sine pecunia apostolos suos misit ». « Denique primus eorum dixit: *Argentum et aurum non habeo* [3], gloriatur in paupertate quasi refugiat contaminationem. Dicit autem: *Argentum et aurum,* non aurum et argentum, quia nescit ordinem, qui nescit usum ». Et post subdit in prima Petri [4]: « Argentum non habeo, set nec requiro, aurum non habeo, set nec desidero ». Et subiungit [5]: « Tunc eritis (*b*) per omnia divites, si fueritis pauperes spiritu, non census divitem, set animus facit ». Et infert [6]: « Cum quasi necessarium queritis cumulum divitiarum, nil tamen necessarium quam cognoscere quid non sit necessarium ».

Idem in libro *de conflictu vitiorum* [7]: « *Nolite,* inquid Dominus, *solliciti esse quid manducetis aut bibatis aut quid operiamini, hec omnia gentes inquirunt.* [*f.* 48 *r*] *Querite primum regnum Dei et iustitiam eius, et hec omnia adicientur vobis* [8]. O quam beata, o quam secura, o quam amplectenda sententia. Nullus in hac vita securus est, ut ille est, qui nichil preter Christum amplectens possidere, cuncta que sunt necessaria sub hac sponsione probatur habere, sicut Paulus doctissimus pauper dicebat [9]: *Tanquam nichil habentes et omnia possidentes,* omnia, utique (*c*) non superflua, set necessaria, ipso confirmante et di-

(*a*) Sic recte BE, A *querat.* — (*b*) C *estis.* — (*c*) E *inquit.*

[1] Luc. XII, 31; in *Com. in Lucam,* lib. VII, n. 130, Migne, P. L. 15, 1733.
[2] S. Ambr. *Epist.* classis I, ep. 63, n. 87-88 Migne, P. L. 16, 1213.
[3] Act. III, 6.
[4] L. c. n. 88, ib.
[5] L. c. n. 89, ib.
[6] L. c. n. 91, ib. 1213-14.
[7] Olim S. Ambrosio attributo, c. 16, Migne, P. L. 17, 1068.
[8] Matth. VI, 31-32.
[9] 2 Cor. VI, 10.

cente[1]: *Habentes alimenta et quibus tegamur, hijs contenti simus* (*a*) ».

Idem sanctus super illud Evangelii[2]: *Hominis cuiusdam ager uberes fructus tulit,* « sicut, inquid, hij qui per insaniam mentis translati sunt, non iam res ipsas, set phantasias sue passionis vident, ita etiam (*b*) mens avari semel vinculis cupiditatis adstricta semper argentum videt, semper reditus computat, gratius aurum intuetur quam solem. Ipsa eius (*c*) oratio et supplicatio ad Deum aurum querit ». Et post pauca: « Interdum autem usure (*d*) arte nequissima ex auro aurum nascitur, set nec satietas unquam, nec finis deerit (*e*) cupiditati ». Et infra: « Set dicit aliquis: Quid iniustum est cum aliena non invadam, si propria diligentius servo? O imprudens, dic tu (*f*) propria, dic que (*g*), ex quibus reconditis, in hunc mundum detulisti, quando ingressus es (*h*) in hanc lucem, quando de ventre matris existi, quibus facultatibus, queso, quibus subsidijs stipatus (*i*) ingressus es? »

Et post pauca: « Proprium nemo dicat, quod est commune, plus quam sufficiat sumptum violenter obtemptum est ». Et infra: « Numquid iniquus est Deus, ut nobis non equaliter tribuat vite subsidia, ut tu quidem esses affluens et habundans, alijs vero deesset et egerent? An idcirco, quia magis et (*k*) tibi voluit benignitatis sue (*l*) experimenta conferre et alium per virtutem patientie coronare? Tu vero, susceptis Dei muneribus, in sinum (*m*) tuum redactis, nichil te reputas agere iniquum, si tam multorum vite (*n*) subsidia solus obtineas? Quis enim (*o*) tam iniustus, tam avarus, quam qui per multorum alimenta non suum usum set habundantiam et delitias facit? Neque enim minus (*p*) est criminis habenti tollere, quam, cum possis et habundans sis, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu tenes, nudorum indumentum (*q*), quod tu recludis, miserorum redemptio est et absolutio, quam (*r*) in terra defodis. Tantorum ergo te scias invadere bona, quantis, cum possis, prestare non velis ».

(*a*) C *sumus.* — (*b*) C *et.* — (*c*) E *enim.* — (*d*) Ita E, A *ansuere,* B *usuere.* — (*e*) E *aderit.* — (*f*) E *cur.* — (*g*) E *dicque.* — (*h*) C om. — (*i*) E om. — (*k*) E om. — (*l*) E om. — (*m*) B cor. in marg. *usum.* — (*n*) E om. — (*o*) B om. — (*p*) E *est minoris criminis.* — (*q*) B *uestimentum.* — (*r*) E *quod.*

[1] 1 Tim. VI, 8.

[2] Luc. XII, 16. In S. Ambrosii commentario edito in Lucam a verso 13-14 cap. XII, fit saltus ad vers. 22, 23; cf. Migne, P. L. 15, 1730.

Sanctus Augustinus *super Iohannem*[1]. «Quo iure defendis villas ecclesie, divino an humano? Divinum ius in scripturis [*f.* 48 *v*] habemus, humanum in legibus regum (*a*), unde quisque possidet quod possidet? Nonne humano? Nam iure divino *Domini est terra et plenitudo eius*[2]. Pauperes et divites de uno humo Dominus fecit, et pauperes et divites una terra supportat. Iure vero humano dicitur: Hec villa mea (*b*), hec domus mea est, hic servus meus est. Iura autem humana, iura imperatorum sunt» etcetera.

Et idcirco *distinctio* (*c*) *prima*[3]: «Ius naturale est, quod in lege et (*d*) evangelio continetur, et quo quisque prohibetur alijs (*e*) inferre, quod sibi nolit fieri, et quo quisque tenetur alijs (*f*) facere, quod sibi vult fieri». «Nam[4] iure naturali omnia sunt communia omnibus, quod non solum servatum inter eos creditur, de quibus legitur[5]: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una*, verum etiam (*g*) ex precedenti tempore a philosophis traditum invenitur. Unde apud Platonem iustissime ordinata civitas traditur, in qua quisque proprios nescit affectus». Unde «ius[6] naturale prevalet consuetudini et constitutioni. Quecunque enim vel moribus reperta sunt vel scripturis comprehensa, si naturali iuri fuerint adversa, vana et irrita habenda sunt». Hec (*h*) in *Decreto*.

Sanctus vero Basilius in regula sua[7], *de caritate in Deum et ad proximum* loquens, ostendit omnium mandatorum Christi preiactata esse semina a conditore. Ait enim: «De caritate, que debetur a nobis Deo, illud prius dicimus, quod omnium nobis datorum (*i*) mandatorum a Deo, horum et virtutes preaccepimus (*k*), ut non adversemur quasi aliquid novum exquisiti, neque (*l*) extollamur, sicut (*m*) aliquid plus mandato conferentes. Et quidem per has virtutes, recte namque, et ut ad rem pertinet operantes, vitam

(*a*) B cor. *regnum* (!) — (*b*) C add. *est.* — (*c*) CE *dicit,* B *di.* — (*d*) E add. *in.* — (*e*) E om. — (*f*) BE *alii,* A *alijs,* quod postea cor. *alii.* — (*g*) C *et.* — (*h*) C *hoc.* — (*i*) B *datore.* — (*k*) E *accepimus.* — (*l*) C *non.* — (*m*) E *quasi.*

[1] Tract. VI, n. 25, Migne, P. L. 35, 1436-37. Auctor vero desumpsit e Decreto Gratiani, Dist. VIII, c. 1, *Quo iure.*

[2] Ps. 23, 1.

[3] Decretum Gratiani, Dist. I, Introductio.

[4] L. c. Dist. VIII, Introductio.

[5] Act. IV, 32.

[6] Dist. VIII, Introductio ad c. 2, *Quae contra.*

[7] *Fusius tract.* Resp. 2, Migne, P. G. 31, 910.

que est (*a*) secundum virtutem pie complemus, corrumpentes vero earum operationem, ad malitiam deferimus. Et est ista malitie determinatio: Malitia est malignus et (*b*) contra Christi mandatum usus eorum, que in bonum a Deo donata sunt nobis ».

Item de hac re sanctus Athanasius ad monachos scribit dicens [1]: « Nolite, queso, virtutis tanquam inpossibile nomen cavere, nec peregrinum aut procul positum vobis videatur hoc studium quod ex nostro pendet arbitrio, huius operis nobis (*c*) inserta natura est, que nostram tantum expectat voluntatem. Greci studia transmarina sectentur et in (*d*) alieno orbe constitutis (*e*) inanium literarum querant magistros, nobis nulla proficiscendi, nulla (*f*) transfretandi fluctus (*g*) necessitas inminet. In omni sede terrarum constituta sunt regna celorum, unde Dominus ait [2]: *Regnum celorum intra vos est,* virtus, que (*h*) intra vos est, tantum mentem [*f.* 49 *r*] requirit humanam. Cui enim dubium est, quin naturalis anime puritas, si nulla fuerit intrinsecus sorde polluta, fons sit et origo virtutum? »

Hinc est illa sancti (*i*) Gregorii Naçaçeni in *sermone suo* [3], de paupertate sententia. « Nichil, inquid, amore paupertatis, que est in Christo, clarius. Quomodo enim teneri potest, qui nudus est? Quevis opulentia vinci potest magis quam Christiani, Christi sapientie amatoris nuditas. *Onager* (*k*) quidem *est in deserto remissus, liber, irridens quidem multitudini urbium, et iurgia et vocem exactoris* (*l*) *non audit* [4]. Set si ab (*m*) omnibus, que sunt in terra, excludatur, tunc aptat sibi alas sicut aquila et revertitur in domum eius, qui fecit eam, idest, ad Deum. Dicam adhuc breviter aliquid: Duo sunt in celo que teneri non possunt: Deus et angelus, tertium vero in terra: Christianus philosophus, qui velud incorporeus vivens in carne, circumscriptus corpore in terra celestis est. In omnibus cedit, in omnibus vincitur preterquam sui animi (*n*) libertate (*o*), et in eo magis vincit, in quo omnibus ei auferre volen-

(*a*) BC om. — (*b*) E om. — (*c*) E *inserta nobis*. — (*d*) B *ab*. — (*e*) E cor. *constituti*. — (*f*) B *nullam*. — (*g*) B *fructus*. — (*h*) Ita BE, A *uirtusque*. — (*i*) E om. — (*k*) C *oneger*. — (*l*) B *exerauctoris*. — (*m*) B om. — (*n*) Ita recte BCE, A *sani*. — (*o*) Ita recte E, A *libertatem*.

[1] *Vita S. Antonii scripta ad Monachos*, n. 20, Migne, P. G. 26, 871.

[2] Luc. XVII, 21.

[3] Sermo 26, in seipsum, n. 13, Migne, P. G. 35, 1246. Textus videtur adaptatus vel in recensione Clareni valde mutatus.

[4] Iob XXXIX, 5; 7. Clarenus vertit ex textu graeco.

tibus cedit. Et infert [1]. « Set (*a*) paupertatem et penuriam exprobrabunt, iste sunt divitie mee, iste me non solum gloriantem, set arrogantem fecerunt (*b*). Videor enim michi hoc audire ab innimicis quod vestigijs illius incedam, *qui propter* (*c*) *nos pauper factus est* [2], atque utinam exuere me possem istis panniculis, quibus circumdari videor, ut nudus effugerem spinas seculi, que retinent et revocant pergentem ad Deum ».

Idem sanctus in *sermone contra Iulianum* apostatam [3], cum magna de Christo et (*d*) apostolis et martyribus prelibasset preconia, infert: « Vides istos sine vita et sine querela et fere sine carne et sanguine, et Deo in hoc approximantes, qui (*e*) deorsum sunt et super ea que sunt (*f*) deorsum, in hominibus et super humana, in vinculis (*g*) et liberos (*h*), detentos et teneri non valentes, quorum est nichil habere in (*i*) mundo, et omnia que sunt super mundum, quorum est duplex vivere, hoc quidem supervisibile (*k*) contemptum (*l*), istud autem festinans, propter mortificationem inmortales, propter solutionem Deo coniunctos, extra desiderium, et cum divino et inpassibili amore ».

Et de seipso in *sermone apologetico* [4] dicit: « Non dedi sermonem, nec Dei amatoribus istis et fratribus, ut haberem sine curiositate vitam et sapientie amorem, in quiete solitaria, omnia relinquens volentibus, michi autem ipsi loquens et spiritui, Helye excogitabam Carmelum, et Iohannis desertum et ita sapientiam amare (*m*), super mundanum et (*n*) turbinem presentia estimabam. Et petram [*f.* 49 *v*] aliquam exquirebam vel rupem aut parietem, sub quibus operirer ». Et modicum infra [5]: « In paupertate divitie, in incolatu possessio, in ignominia gloria, in infirmitate virtus, in virginitate pulchrorum (*o*) filiorum propagatio, que multo melior

(*a*) BCE *si.* — (*b*) B cor. *set fecerunt arrogantem.* — (*c*) E *pro nobis factus pauper.* — (*d*) E om. — (*e*) B *quod.* — (*f*) E *deorsum sunt.* — (*g*) C *invincibilis.* — (*h*) B add. *et.* — (*i*) E add. *hoc.* — (*k*) B *super uisibile.* — (*l*) E falso *contenti.* — (*m*) B in marg. add. *exquerebam.* — (*n*) E om. — (*o*) E *pulchra.*

[1] L. c. n. 14, ib. 1246 s.

[2] 2 Cor. VIII, 9.

[3] Oratio 4, contra Iulianum I, n. 71, Migne, P. G. 35, 594. (cum omissionibus).

[4] Oratio 10, n. 1, Migne, P. G. 35, 827.

[5] Locus sequens in eadem Oratione 10 non habetur, sed in Orat. 6, *de Pace*, n. 2, Migne, P. G. 35, 723.

prole ex carne procedente existit, secundum Deum genimen (*a*), delitijs epulantes non convivando, humiles super celos, nichil in mundo et super mundum, extra (*b*) carnem et in carne, quorum pars Dominus, pauperes propter regnum, et per paupertatem regnantes ».

Similia sanctus Iohannes Crisostomus *super Mattheum* [1], loquens de Iohanne Baptista, dicit: « Helyas in civitatibus et domibus ferebatur, hic (*c*) autem in heremo continuo ex fascijs (*d*) habitavit, neque (*e*) tecto, neque cubili, neque aliquo horum indiguit, ut erudiat ab humanis (*f*) desistere et nichil commune ad terram habere, set ad priorem recurrere nobilitatem, in qua homo erat antequam indiguisset vestimentis ».

Et in omilia ultima (*g*) *super Mattheum* dicit [2]: « Qualia instrumenta (*h*) habebant apostoli, qui talia dixerunt [3]: *Argentum et aurum non est nobis?* Nonne una tunicula induti et discalciati circuerunt et omnes superaverunt? » Et subinfert [4]: « Quocirca proice aurum; et si proiecero, habeo (*i*) virtutem Petri. Quid Petrum beatum fecit, dic michi: Numquid claudum erexisse? Nequaquam, set hec (*k*) non habere, hoc enim et celum prebuit. Duo enim fuerunt que dixit [5]: *Argentum et aurum non existit* (*l*) *michi* et *in nomine Ihesu surge et ambula*. Quid igitur (*m*) illum clarum fecit et beatum, erexisse claudum vel proicisse pecuniam? Et hoc ab ipso Christo eruditus, qui diviti çelanti vitam eternam non dixit: Erige claudos, set: *Vende que habes et da pauperibus* [6], nec Petrus dixit: Ecce in nomine tuo proiecimus (*n*) demones, set: *Ecce* (*o*) *nos reliquimus omnia et secuti sumus te* [7]. Nec Christus ei respondit: Si quis claudum erexerit, set: *Quicunque dimiserit* (*p*)

(*a*) E *geminę*. — (*b*) E *in carne et extra carnem*. — (*c*) B *hinc*. — (*d*) C *sasciis*. — (*e*) E *nec - nec - nec*. — (*f*) E *humano*. — (*g*) C om. — (*h*) B *strumenta*, E *vestimenta*. — (*i*) BC *habebo*. — (*k*) E *hoc*, B cor. *hic*, C *hoc: nihil habere*. — (*l*) E *est*. — (*m*) B *illum igitur*. — (*n*) C *projicimus*. — (*o*) B om. — (*p*) C *deserit*.

[1] Hom. 10 in Matth., n. 4, Migne, P. G. 57, 188, cum omissione.
[2] Hom. 90, al. 91 (ultima) in Matth. n. 3, Migne, P. G. 58, 790.
[3] Act. III, 6.
[4] L. c. n. 4, ib. 792.
[5] Act. III, 6.
[6] Luc. XVIII, 22.
[7] Matth. XIX, 27.

domum, agros, uxores, filios aut filias propter me, centuplum accipiet »[1] etcetera.

« Intende[2] qualiter eos denudans omnibus, omnia eis dedit, permictens eos in domibus eorum, qui docebantur, manere, et nichil habentes introire. Ita enim et a sollicitudine eruebantur, et illis suadebant, quoniam propter solam eorum salutem advenerant, et hoc in nichil habendo, et in nichil ab eis amplius necessarijs expetendo. Neque enim a signis volebat eos claros apparere solum, set etiam (*a*) ante signa a propria virtute. Nichil enim ita designat sapientie amorem, sicut non superfluis uti, et, secundum [*f.* 50 *r*] quod possibile est, nullo indigere. Hoc et pseudoapostoli noverant. Propter quod et Paulus dicebat[3]: *Ut in eo in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos.* Si autem et in aliena patria existentes, et ad ignotos abeuntes, nichil amplius (*b*) oportet petere, multo magis domi manentes ».

Et se (*c*) populo humilians subdit[4]: « Aliter autem neque passus sum quid propter vos, neque longam viam, neque cum habitu illo et cum abiectione possessionum veni, propter hoc primum nos (*d*) metipsos incusamus, neque sine calciamentis et secunda tunica; propter hoc fortassis et que a vobis (*e*) sunt delinquitis (*f*). Verumtamen non sufficit hoc (*g*) vobis (*h*) ad excusationem, set nobis quidem iudicium maius, vobis autem hoc veniam non prestat ».

Idem in laudem monachorum Egipti dicit[5]: « Potius verecundemur omnes, et divites et pauperes, cum illi nichil penitus habentes, nisi corpus et manus suas, cogant (*i*) et litigent (*k*) inpensas hinc (*l*) indigentibus invenire: nos (*m*), duodecim milibus intus reconditis, vix superflua tangimus ».

Sanctus Ieronimus *ad Heliodorum*[6]: « Perfectus servus Christi nichil habet preter Christum, aut si aliquid habet preter Christum,

(*a*) C *et.* — (*b*) E *aliud.* — (*c*) B om. — (*d*) C *vosmetipsos.* — (*e*) A *nobis.* — (*f*) Melius *derelinquitis.* — (*g*) BE add. *a.* — (*h*) Ita recte BE, A *nobis.* — (*i*) Edit. ap. Migne *conantur.* — (*k*) Ita recte BE, A *litigant.* — (*l*) B *hic.* — (*m*) B *nec.*

[1] Ib. 29.

[2] Quod sequitur non habetur in Hom. ultima, uti Clarenus etiam supra, p. 94, dicit, sed in Hom. 32 (al. 33), n. 5, Migne, P. G. 57, 383-4.

[3] 2 Cor. XI, 12.

[4] L. c. n. 6, ib. 386.

[5] Hom. 8 in S. Matth., n. 5, Migne, P. G. 57, 88.

[6] Ep. 14, n. 6, Migne, P. L. 22, 351.

perfectus non est ». Verissimus [1] et securissimus est sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Dicit enim: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus* [2].

Idem *ad Demetriadem* [3]: « *Si vis perfectus esse,* ait Christus ad adolescentem divitem, *vende* non partem bonorum tuorum, set *omnia, et da pauperibus,* non divitibus, non propinquis, non ad luxuriam, set ad necessitatem ». Et subdit [4]: « In *Actibus apostolorum* [5], quando Domini nostri Ihesu Christi adhuc calebat cruor, et fervebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas et *pretia eorum* ad *apostolorum deferebant pedes,* ut ostenderent pecunias esse calcandas ».

Et *in Epistola ad Titum* [6]: « Episcopus, inquid, qui imitator apostolorum esse cupit, habens *victum et vestitum, hijs* tantum debet esse contentus [7]. *Qui altario* (*a*) *serviunt,* de altario vivunt [8], inquid, non divites fiunt. Unde et es nobis excutitur e çona, et una tantum tunica induimur, nec de crastino curamus. Turpis lucri appetitio est, plus quam de presentibus cogitare ». Et de se et suis fratribus dicit *contra Ruffinum* [9]: « Pecunias nec habemus nec habere volumus, set *habentes victum* (*b*) *et vestitum, hijs contenti sumus* [10] ».

Gregorius papa in libro *Dyalogorum* [11] laudat Ysaac ut (*c*) perfectum monachum, quia possessiones et pecuniam noluit recipere ad sui monasterii usum, et firmam eum [*f.* 50 *v*] tenuisse suam (*d*) sententiam, qua dicebat: « Monachus, qui in terra possessionem querit, monachus non est [12] » et eam (*e*) approbando refert, quamvis hoc ipse in suo monasterio non servaverit (*f*). Et *super*

(*a*) E Rectius *altari* et subinde repetit. — (*b*) C *amictum.* — (*c*) BE om. *ut perfectum.* — (*d*) E om. — (*e*) B om. — (*f*) B *seruauit.*

[1] Haec l. c. non habentur.
[2] Ps. 67, 11.
[3] Ep. 130, n. 14, Migne, P. L. 22, 1118.
[4] L. c., ib.
[5] Cf. Act. IV, 34-35.
[6] Cap. I, 7, Migne, P. L. 26, 567.
[7] Cf. 1 Tim. VI, 3.
[8] Cf. 1 Cor. IX, 13.
[9] I, 32, Migne, P. L. 23, 425.
[10] 1 Tim. VI, 3.
[11] III, 14, Migne, P. L. 77, 244.
[12] L. c., ib. 245.

Eçechielem [1] dicit: « Qui de possessis rebus subsidia egentibus ministrant, in bonis que faciunt, sacrificium offerunt, quia aliquid Deo immolant, aliquid sibi reservant; qui vero nichil reservant, offerunt hollocaustum ». Et super illud Iob: *Iudicium pauperibus tribuit* [2]: « Spetiali, inquid [3], iussione pauperibus evangelicis et perfectioribus, non generaliter omnibus hominibus, dicitur hoc quod adolescens dives audivit: *Vade et vende omnia que habes et da pauperibus* [4]. Si enim sub hoc (*a*) precepto cunctos (*b*) consilio generali adstringeret, culpe profecto esset aliquid nobis (*c*) de hoc mundo possidere. Set aliud quidem est quod per scripturam sacram generaliter omnibus precipitur, aliud quod perfectioribus spetialiter inperatur ».

Ut autem ex paucis hic positis doctorum testimonijs intelligamus, quid de celesti et divinissima Christi vita et altissima ipsius (*d*) evangelica paupertate in innumeris eorum tractatibus latissime docuerunt et senserunt universaliter sancti omnes, qui ecclesiam vita pariter et doctrina illuminaverunt, ista tetigisse sufficiat, patrum (*e*) sanctorum exempla et sententias aliquas iungendo predictis, ut ea, que dicta sunt, firmius memoria teneamus, vita et (*f*) doctrina et exemplis eorum (*g*) testimonio consono, et miraculis potentissimis primam et ultimam Christi vite contestantibus et annuntiantibus sacrosanctam perfectionem [5].

Refert sanctus Clemens (*h*) [6], quod aliquando cum se sancto Petro ad serviendum humiliter obtulisset, Petrum ei tale dedisse responsum: « In quo michi, o (*i*) Clemens, inquid, officio servies? In preparandis (*k*) cibarijs, vel camere et lecti stramentis? Cibus, inquid, meus panis et aqua et olive, et raro olera, et indumentum tunica et pallium, et contentus hijs nichil aliud requiro (*l*), quia mens mea non ad presentia, set solum ad ea que eterna sunt, respicit ».

(*a*) B om. — (*b*) A *cuntos*. — (*c*) C om. — (*d*) E *eius*. — (*e*) E *sanctorum patrum*. — (*f*) E om. — (*g*) E *testimonio eorum*. — (*h*) E *Petrus*. — (*i*) BE om. — (*k*) BCE *parandis*. — (*l*) BC *quero*.

[1] II, 8, 16, Migne, P. L. 76, 1037.
[2] Iob XXXVI, 6.
[3] *Liber Moralium*, XXVI, 27, Migne, P. L. 76, 380.
[4] Matth. XIX, 21.
[5] Cf. verba similia supra, p. 141, textus et nota 3.
[6] *Pseudoclementinae*, Hom. 12, n. 6, Migne, P. G. 2, 306.

Sanctus Iohannes evangelista dixit illis duobus fratribus, qui sagipta dyaboli percussi tristes erant, quod omnia sua pauperibus erogaverant[1]: « Ite, inquid, post conversionem virgarum in aurum et lapidum (*a*) in gemmas, redimite vobis terras quas vendidistis, emite vobis vestes sericas, ut pro tempore fulgeatis sicut rosa, que dum flos (*b*) eius et odorem pariter et ruborem ostendit, repente marcescit. Suspirastis enim in vestrorum servorum aspectu et [*f.* 51 *r*] vos effectos pauperes gemuistis. Estote floridi, ut marcescatis (*c*), estote divites temporaliter, ut in perpetuum mendicetis. Numquid non valet manus Domini, ut faciat servos (*d*) divitijs affluentes? Set certamen statuit animarum, ut credant se eternas habituros divitias, qui pro eius nomine temporales opes habere noluerunt ». Et intulit exemplum divitis illius[2], *qui induebatur purpura et bisso,* et post mortem *sepulti* (*e*) *in inferno,* et pauperis Laçari, cuius animam angeli *in sinum Habrae* portaverunt; et exemplum humane nativitatis, quemadmodum homo nudus nascens et moriens, secum de mundo nil portat. Item posuit exemplum creaturarum, quomodo sol et luna et sydera et aer, ignis (*f*) et aqua et pluvia communiter omnibus sua beneficia largiuntur, sic, inquid, inter homines omnia communia (*g*) esse deberent. Avarus enim, ait, et (*h*) dives, servus efficitur divitiarum et dyaboli, quia non ipse divitias possidet, set a divitijs possidetur, quoniam *non* potest quis *Deo servire et mamone*[3] etcetera.

Sanctus Bartholomeus[4] apostolus, cum curasset filiam Polimij regis, que lunatica fuerat et nulla poterat medicorum arte sanari, volens rex remunerare apostolum oneratis camelis auro et argento et lapidibus pretiosis, fecit eum cum summa diligentia inquiri. Qui, cum inveniri (*i*) nullatenus potuisset, sequenti die repente cubiculum (*k*) ingressus, stetit coram rege et dixit ei (*l*): « Ut quid ad me cum auro et argento venire volens heri tota die quesisti? Ista munera necessaria sunt illis qui terrena requirunt: ego autem qui celestia et eterna predico bona, nichil terrenum nichilque carnale desidero ».

(*a*) B *lapidis* (?) — (*b*) E *ruborem pariter et odorem flos eius ostendit.* — (*c*) A *marcescastis.* — (*d*) BCE add. *suos.* — (*e*) BC *sepultus est.* — (*f*) B om. — (*g*) E *debent esse communia.* — (*h*) E *diues et.* — (*i*) C *nullatenus invenire.* — (*k*) E add. *regis.* — (*l*) E om.

---

[1] Cf. supra, p. 107, nota 9.
[2] Cf. Luc. XVI, 19-22.
[3] Matth. VI, 24; Luc. XVI, 13.
[4] Cf. supra, p. 108, nota 1.

Sanctus Thomas [1] apostolus, cum Abane in carcerem missus a rege Indorum Giundoforo (*a*), eo quod divitias sibi ab eodem rege datas pro constructione illius inperialis palatij, quod descripserat apostolus coram ipso, pauperibus erogasset, cum suis precibus Gath fratrem regis a mortuis suscitasset, post resuscitationem (*b*) suam, narratis (*c*) que viderat, cucurrit ad carcerem ubi Christi apostolus tenebatur inclusus, et provolutus ad pedes eius, fratri suo regi, qui eum iusserat in carcerem micti, postulabat indulgeri, abiectisque vinculis, rogabat eum ut vestem pretiosam (*d*) acciperet. Cui apostolus ait: Ingnoras quod nichil carnale (*e*) nichilque terrenum gestiunt, qui cupiunt in celestibus hereditatem et potestatem habere.

Thadeus apostolus [2], qui ad (*f*) Abagarum regem Edessenum (*g*) sanandum (*h*) [*f.* 51 *v*] missus, iuxta promissum Domini Salvatoris eidem regi in suis ad eum responsalibus litteris sanctissimis factum, cum eum ab incurabili illa (*i*) infirmitate, qua detinebatur, sanasset illius sacre littere tactu, rex multa donaria eidem apostolo obtulit, que sanctus Thadeus suscipere renuens, regi dixit: « Qui nostra propter regnum celorum reliquimus, quomodo aliena recipiemus? Set ea, que michi offers, pauperibus facias erogari, ut thesaurum indeficientem (*k*) in celo possideas ».

Similia de omnibus apostolis, et Christi et apostolorum discipulis et monachis et sanctis patribus omnibus, qui a temporibus apostolorum usque ad tempora sancti Benedicti et Iustiniani inperatoris fuerunt, scriptum reperies et spetialiter de cenobitis, qui vite apostolice fuerunt servatores et professores, sicut ex eorum ystorijs et vitis et doctorum ac patrum dictis manifestissime patet, presertim ex dictis et (*l*) regula sancti Basilij, que primo de fide et sacramentis et de differentia status secularis (*m*) et status (*n*) religiosi plenissime tractat, et in ipsa, quid intersit inter apostolum et Christi (*o*) discipulum et monachum, Domini famulum, clare docet [3]. De quo Gregorius Naçaçenus et sanctus Ieronimus eius auditor et

(*a*) E *Gundophoro.* — (*b*) E *resurrectionem.* — (*c*) E add. *ipse.* — (*d*) B om. — (*e*) C *terrenum nihilque carnale.* — (*f*) Ita recte BE add. — (*g*) B cor. *adesenam,* E *Edessanum.* — (*h*) Ita recte BE, A *sevaram* (!) C *sevarandum.* — (*i*) BE om. — (*k*) E *indesinentem.* — (*l*) B om. *ex dictis et,* add. *in.* — (*m*) E *religiosi et secularis.* — (*n*) B *statu,* E om. — (*o*) E *discipulum christi.*

[1] Cf. supra, p. 107, nota 8.

[2] Cf. supra, p. 107, nota 10.

[3] Cf. regul. varias S. Basilii, saepius citatas.

sanctus (*a*) Dyadochus (*b*) episcopus [1] et Epifanius et sanctus Maximus monachus et sanctus Effren Syrus et (*c*) Iohannes Sparciata [2], multa Greco sermone scripta reliquerunt. Necnon et (*d*) Iohannes Cassianus, qui suas, ut a patribus didicerat, *Collationes*, Greco et Latino sermone digessit, et alij doctores de hoc plurima Grecis et Latinis tradiderunt, que scrutari nostra infirmitas non sinit, set quasi inpossibilia arbitratur (*e*), et (*f*) ideo condescensiva querentes usque ad prurientia auribus philosophorum dogmata retro conversi ardenti desiderio habere dissertam (*g*) et magniloquam linguam (*h*), operibus et affectibus derelictis penitentie, humilitatis et caritatis steriliter insudamus. Qui enim affectu et proposito imitandi iuxta mensuram gratie sibi date, legeret et mente teneret sanctorum, qui ecclesiam fundaverunt, ystorias, vitam et doctrinam, intelligeret quomodo non in hominum sapientia et sermone, set in amore veritatis et virtute humilitatis et operatione caritatis est regnum Dei.

Nam solum ea, que de apostoli Petri discipulis Romana ecclesia veneratur et tenet, sufficeret orbi terrarum ad conversionem, fidei obedientiam et vite sanctitatem, si suscepta (*i*) cum reverentia debita fideliter servarent (*k*).

[*f.* 52 *r*] Sanctus Lucius [3] eius discipulus ad predicandum missus vita evangelica et vere angelica Christum annuntians, una tan-

---

(*a*) C om. *et sanctus*. — (*b*) E *Didacus* (!) — (*c*) C om. *et - sparciata*. — (*d*) C om. — (*e*) C *arbitrantur*. — (*f*) C om. *et ideo - insudamus*. — (*g*) B *desertam*. — (*h*) A *liguam*. — (*i*) B *susceptam*. — (*k*) E *seruarentur*.

---

[1] S. Diadochus ep. Photices, de quo notus est tractatus: *Capita centum de perfectione spirituali*, Migne, P. G. 65, 1167 ss.

[2] Iohannes Sparciata ap. Migne, P. G. deest, eumque ignorant Fabricius-Harles, *Bibliotheca Graeca*, Hamburgi 1790 ss. et Krumbacher, *Geschichte der byzantinischen Litteratur*, ed. 2, München 1897.

[3] Pro S. Petri discipulis, quos Clarenus hic enumerat, cf. generatim Duchesne, *Les anciens recueils de Légendes apostoliques* ap. *Compte rendu du troisième Congrès scientifique international des Catholiques*, V Section, sciences historiques, Bruxelles 1895; Idem, *Fastes Episcopaux de l'ancienne Gaule*, 2 vol. Paris 1894-1900; Molinier, *Les sources de l'histoire de France*, I, Paris 1901; Schermann, *Propheten- und Apostellegenden des Dorotheus... und verwandte Texte* ap. *Texte und Untersuchungen*, vol. XXXI, 3, Leipzig 1907. (Agitur hic potius de Oriente); *Bibliotheca hagiographica latina*, 2 vol. Bruxelles 1898-1901. Quonam fonte Clarenus usus sit, non inveni. notatu vero dignum iudico tempore Clareni Bernardum Guidonis O. P. († 1331) scripsisse tractatum de 72 discipulis Apostolorum, plura ibi de Ecclesiae Gallicae origine apostolica tradendo; cf. Molinier, l. c. III, Paris 1903, p. 186. Pro scopo nostro nomina propria difficiliora lingua vernacula indicasse et, ubi opus fuerit, correxisse sufficiat.

tum et vili opertus tunicula et pallio, quadraginta annis virentes herbas bis in ebdomada commedebat, qui in Belvaco [1] post multorum conversionem ad Christum martirio coronatur.

Sanctus (*a*) Yonius eiusdem apostoli discipulus, qui nichil (*b*) omnium que sunt in terra querens, ei (*c*) herbis tantum suum reficiebat corpusculum, evangeliçans Christum conversatione celesti, Deo signis et virtutibus ipsius confirmante sermonem (*d*), Castrensibus [2] predicans, martirio coronatur.

Ab eodem sanctus Apolinaris (*e*) ad predicandum missus, vita (*f*) miraculis et doctrina totus apostolicus, similem prefatis duobus in Ravenantium [3] provincia consumavit agonem.

Nam Cornelius centurio in Cesarea (*g*), et Marcus evangelista in Alexandria, et Eutropius regis Babilonie filius in Aquitania (*h*) et Sanctonis (*i*)[4]. Iulianus in Britania [5] et Cenomanno (*k*)[6], et Martialis in Lemovicis [7], et Austragesillus in Bicturicis (*l*)[8], Tatianus in Turonia [9], in (*m*) Autasica [10] alter Eutropius, Saturninus in Tholosa [11], Savinianus (*n*), Potentianus (*o*), Altinus et Serotinus in Senonis [12], Clemens Flavius in Gallia et in civitate Metensi [13], Frontonius (*p*) in Petragorica [14], ubi cum LXX (*q*) Dei famulis seu monachis, suis discipulis, apostolicam vitam ducens, Domino Christo predicans serviebat. Eucha-

(*a*) E om. quae sequuntur de S. Yonio. — (*b*) B add. in marg. *horum*. — (*c*) BC om. — (*d*) C *sermone*. — (*e*) C *Apolinarus*. — (*f*) BE add. *et*. — (*g*) B *Cesaream*. — (*h*) Sic recte E, A *Equitania*. — (*i*) Ita E, A *Sactionis*. — (*k*) C *Cenomeano*. — (*l*) E *Bituricibus*, B add. *et*. — (*m*) E *alter Eutropius in Austrasia*. — (*n*) Ita E, A *Samuianus*, BC *Sauianus*. — (*o*) E *Pontianus*. — (*p*) E *Frontinus*. — (*q*) C *75*.

[1] Beauvais; agitur de S. Luciano.

[2] Castres en Languedoc; agitur de S. Ionio.

[3] Ravennates, Ravenna.

[4] Saintes.

[5] Idest *minori*, La Bretagne.

[6] Le Mans.

[7] Limoges.

[8] Bourges; agitur de S. Austregisilo † 624 (!)

[9] La Touraine; agitur de S. Gatiano, primo episcopo Turonensi (Tours).

[10] Recte Arausica, Orange.

[11] Toulouse.

[12] Sens.

[13] Metz.

[14] Le Périgord.

rius in Treviris [1], Anicius in Suesenesio (*a*) [2], Gregorius (*b*) in Belvaco [3], Memius (*c*) in civitate Cathenensi (*d*) [4], in qua primus episcopus fuit, qui cum fimbria vestimenti beati (*e*) Petri suscitavit a morte (*f*) Domitianum dyaconum (*g*). Et elegit habitare in spelunca, que vocatur Bustaria, cum suis discipulis apostolicam vitam ducens exemplo conversationis angelice et orationibus simul et verbo ipsos ad fidem Christi convertit. Marcellus et Iustus et Kalimerus (*h*) Mediolanum et Ligurij regioni predicaverunt vita (*i*), virtutibus et sermone.

Omnes hij, sancti Petri discipuli, ad evangeliçandum regnum Dei, factis et (*k*) verbo et virtute signorum ab eodem missi, *omnia* arbitrabantur *ut stercora, ut Christum lucri* facerent [5], et celestia amare et terrena despicere, et solum *in cruce Domini nostri Ihesu Christi gloriari* [6], et in evangelica et divinissima Christi vita et paupertate letari, et ut eos, quibus predicabant, instruerent eterna *querere* (*l*) *et sapere que sursum sunt, et non que super terram* [7]. *Qui enim secundum carnem sunt, que carnis sunt* [*f.* 52 *v*] *sapiunt, qui autem secundum spiritum, que sunt spiritus sentiunt. Prudentia enim carnis mors est, prudentia autem spiritus vita et pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Qui* (*m*) *enim in carne sunt, Deo placere non possunt* [8].

Sanctus Nilus in libro *de vitijs et virtutibus* [9] dicit: « Amor pecuniarum seu avaritia *omnium malorum radix est* [10], et alit ut ramos nequissimos ceteras passiones. Nichil possidens monachus viator est expeditus et in omni loco inveniens diversorium. Nichil possidens monachus quasi aquila ad celsitudinem pervolans, tunc

(*a*) C *suo senesio* (!) — (*b*) Ita CE, A *Grogorius*, B *Greg.* sed cor. ex *Grog.* — (*c*) Sic recte E, A *Menius.* — (*d*) E *cathanensi.* — (*e*) C om. — (*f*) E *a mortuis.* — (*g*) B *dyaconem.* — (*h*) B cor. *Ralimerus.* — (*i*) BC add. *et.* — (*k*) E om. — (*l*) E *sapere et querere.* — (*m*) Sic recte BE, A *quem.*

[1] Trier.

[2] Le Soissonnais; agitur de S. Sinicio.

[3] Quis sit iste Gregorius seu Grogorius in Belvaco (Beauvais) non inveni.

[4] Châlons-sur-Marne (Catalaunum); agitur de S. Memmio.

[5] Cf. Philip. III, 8.

[6] Cf. Gal. VI, 14.

[7] Col. III, 1-2.

[8] Rom. VIII, 5-8.

[9] *De octo spiritibus malitiae*, c. 7, Avaritia, Migne, P. G. 79, 1151.

[10] Cf. 1 Tim. VI, 10.

descendit ad escam, quando conpellet (*a*) necessitas. Omnium huius mundi temptationum est excellentior, irridet (*b*) presentia et elevatus ad futura extollitur, recedit a terrenis et cum supernis (*c*) conversatur, pennasque habet leves nullis sollicitudinibus pregravatus. Tribulatio supervenit, et sine tristitia locum deserit, mors insistit et ille promptus et alacer pergit. Nullis enim terrenis vinculis suam (*d*) animam alligavit, nichil possidens monachus emendatioris (*e*) vite coronis ditabitur (*f*). Pecunie cupidus inplet promptuaria auro, nichil autem possidens theçauriçat in celo ».

Sanctus Paphnutius (*g*) in desertis Emelie et Thebaidis angelicam vitam ducens octoginta annis una tunicula tantum de vili panno suum operiebat (*h*) corpusculum [1], qui cum nichil aliquando de scripturis sanctis legisset, Spiritu Sancto docente, omnem divinarum scripturarum scientiam habuit.

Hic, ut in patrum (*i*) *Collationibus* scribit Iohannes Cassianus [2], *de triplici abrenuntiatione*, sic eum edocuit (*k*) [3]. « Prima abrenuntiatio est, qua corporaliter universas divitias mundi facultatesque contempnimus. Secunda, qua mores et vitia, affectusque pristinos animi carnisque respuimus. Tertia, qua mentem nostram de presentibus universis ac visibilibus evocantes, futura tantummodo contemplamur, et ea que sunt invisibilia concupiscimus ».

Et infert [4] « Quapropter non multum proderit primam nos abrenuntiationem cum summa devotione fidei suscepisse, si secundam non eodem studio, eodemque inpleverimus ardore. Et ita cum hanc fuerimus adepti (*l*), ad illam quoque tertiam pervenire poterimus, qua de domo prioris (*m*) nostri parentis egressi, quem (*n*) ab exordio nativitatis nostre secundum veterem hominem, quando *eramus natura filij ire sicut et ceteri* [5], patrem nobis fuisse meminimus, omnem mentis [*f.* 53 *r*] intuitum ad celestia deflectemus (*o*) ».

(*a*) BE *compellit.* — (*b*) BE *uitat.* — (*c*) C *superis.* — (*d*) BC *animam suam.* — (*e*) C *emendationis.* — (*f*) B *dabitur.* — (*g*) A *Pannutius.* — (*h*) E *tegebat.* — (*i*) Ita BCE, A *primis.* — (*k*) E *docuit.* — (*l*) Ita recte BCE, A *redempti.* — (*m*) B *patris.* — (*n*) A *quam.* — (*o*) E *flectemus.*

---

[1] Cf. supra, p. 71, ubi eadem notitia a S. Hieronymo repetitur.

[2] Coll. III, Migne P. L. 49, 557 ss.

[3] Coll. III, 6, ib. 564.

[4] L. c. c. 7, ib. 566-67.

[5] Ephes. II, 3.

Et subiungit[1]: « Omnis enim qui post abrenuntiationem mundi huius ad antiqua revertitur studia, et ad (*a*) pristina desideria revocatur, hec (*b*) eadem cum illis (*c*) opere ac mente proclamat dicens: *Bene mihi erat in Egipto*[2]. Quorum vereor, ne tanta sit multitudo invenienda, quantas tunc sub Moyse prevaricantium turbas legimus extitisse. Nam cum sexcenta milia armatorum dinumerentur (*d*) egressa, ex hijs non sunt amplius quam duo tantum terram repromissionis ingressi ».

« Has igitur[3], subdens inquid, visibiles mundi divitias relinquentes, non nostras, set alienas abicimus facultates, quamvis eas gloriemur vel nostro labore quesitas, vel parentum ad nos hereditate transmissas. Nichil enim, ut dixi, nostrum est, nisi hoc tantum quod est corde possessum, atque anime nostre coherens (*e*), a nemine prorsus potest auferri. De illis autem visibilibus divitijs ad illos, qui eas tanquam proprias retentantes (*f*), communicare indigentibus nolunt, increpans loquitur Christus[4]. *Si in alienis* (*g*) *infideles fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Evidenter igitur has divitias alienas esse, non solum cotidiana experientia docet, verum etiam (*h*) sententia Domini ipsa appellatione signavit ».

Et infert[5]: « Ergo prima, quam diximus, abrenuntiatio alienarum rerum est. Ideo per se solam perfectionem (*i*) abrenuntianti conferre non sufficit, nisi pervenerit ad secundam, que vere abrenuntiatio (*k*) rerum nostrarum est, quam (*l*) adepti expulsione omnium vitiorum, tertie quoque abrenuntiationis fastigia conscendemus (*m*), per quam non solum omnia que in hoc mundo geruntur, vel particulatim ab hominibus possidentur, verum etiam (*n*) cunctorum (*o*) elementorum plenitudinem, que putantur esse magnifica, tanquam vanitati subiecta et mox transitura transcendentes animo ac mente despicimus, intuentes dumtaxat, secundum Aposto-

(*a*) B om. — (*b*) E *hic.* — (*c*) B *illo.* — (*d*) E *numerarentur.* — (*e*) E add. inter lineas *quod.* — (*f*) BCE *retinentes.* — (*g*) B *aliena,* E *alieno.* — (*h*) C *et.* — (*i*) E *abrenunciant perfectionem.* — (*k*) E add. *est,* quod deinde om. — (*l*) E add. *qui.* — (*m*) BC *conscendimus,* E *conscendent.* — (*n*) C *et.* — (*o*) A *cuntorum.*

[1] L. c. ib. 568-69.
[2] Exod. XVI, 3; Num. XI, 5.
[3] L. c. c. 10, ib. 572-73.
[4] Luc. XVI, 12.
[5] L. c. c. 10, ib. 573-74.

lum[1], *non ea que videntur, set* (*a*) *que non videntur. Que enim videntur, temporalia sunt, que autem non videntur, eterna sunt* ».

De qua perfectione communis et apostolice vite, nullum proprium in communi habente, sanctus Pyamon (*b*) in sua *Collatione*[2] sic dicit[3]: « Itaque cenobitarum disciplina a tempore predicationis apostolice sumpsit exordium. Nam talis extitit in (*c*) Ierosolimis omnis illa credentium multitudo, que in *Actibus apostolorum*[4] describitur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum que possidebat, aliquid suum esse dicebat, set erant* [*f.* 53 *v*] *illis omnia communia: Quotquot*[5] *autem possessores domorum* et (*d*) que secuntur. Talis itaque erat omnis (*e*) tunc ecclesia, quales nunc perpaucos (*f*) in cenobijs invenire difficile est ».

Et subdit[6]: « Istud ergo (*g*) fuit antiquissimum monachorum genus, quod non solum tempore, set etiam (*h*) gratia primum, quodque per annos plurimos inviolabile usque ad abbatis Pauli vel Antonij duravit etatem. Cuius etiam (*i*) nunc adhuc (*k*) in districtis cenobijs cernimus residere vestigia ».

Et narrata Sarabaytarum (*l*) origine, quanta sit inter ipsos et (*m*) cenobitas differentia, ait[7]: Hi, videlicet Serabayte (*n*), « nequaquam evangelicis preceptionibus subcumbentes (*o*), ut nulla scilicet cotidiani victus sollicitudine, nullius rei familiaris distensionibus occupentur. Quod illi soli absque ulla infideli hesitatione consumant, qui cunctis (*p*) huius mundi facultatibus absoluti, ita se cenobiorum prepositis subdiderunt, ut nec sui quidem ipsius se esse dominos fateantur ». Et subiungit[8]: Operantur Sarabayte (*q*), « non ut

(*a*) C om. *set - uidentur*. — (*b*) E *Piemon*. — (*c*) E om. — (*d*) E *etcetera*. — (*e*) E *tunc omnis*. — (*f*) E *in cenobiis perpaucos*. — (*g*) E *igitur*. — (*h*) C *et*. — (*i*) C *et*. — (*k*) E om. — (*l*) E *Sabaytarum*. — (*m*) C om. *et cenobitas*. — (*n*) E *Sabaytę*. — (*o*) E *subiacentes*. — (*p*) A *cuntis*. — (*q*) E *Sabaytę*.

[1] 2 Cor. VI, 18.
[2] Scil. Coll. XVIII Cassiani, P. L. 49, 1089 ss.
[3] L. c. c. 5, ib. 1094-95.
[4] Act. IV, 32.
[5] Ib. v. 34.
[6] L. c. ib. 1099-1100.
[7] L. c. c. 7, ib. 1105.
[8] L. c. ib. 1105-06.

fructus sui operis subiciant dispensatoris arbitrio, set ut adquirant (*a*) pecunias, quas recondant (*b*). Inter quos quantum intersit, actendite: Illi, idest cenobite, nichil de crastino cogitantes, gratissimos Deo sudoris (*c*) sui offerunt fructus. Isti vero, idest Sarabayte, non solum in crastinum, set etiam multorum annorum spatia infidelem sollicitudinem prorogantes (*d*), aut mendacem Deum aut inopem credunt, qui promissam cotidiani victus aut indumentorum sufficientiam prebere eis aut non possit, aut non velit. Illi ob hoc omnibus expetunt votis, ut nuditatem omnium rerum ac perpetuam paupertatem possideant, isti ut omnium rerum affluentiam consequantur. Illi ob hoc certatim transcendere canonem diurnis operibus elaborant, ut quicquid monasterij (*e*) sanctis usibus redundaverit, vel carceribus, vel çenodochio (*f*), vel nosocomio (*g*), vel indigentibus pro abbatis dispensetur (*h*) arbitrio. Isti ut quicquid cotidiane superfuerit gule, aut profusiori proficiat voluptati, aut philargirie vitio recondatur ». Et infert[1]: « Illos patientia atque districtio, qua sic devote in hac, quam semel arripuerunt (*i*), professione perdurant, ut nunquam suas expleant voluntates (*k*), crucifixos huic mundo cotidie, vivos martyres facit; hos arbitrii sui tepor (*l*) vivos ad inferna demergit ».

Et in *Collatione*[2] abbatis Iohannis: [*f.* 54 *r*] « Finis[3] quidem cenobite est omnes quidem (*m*) suas mortificare et crucifigere voluntates, ac secundum evangelice perfectionis salutare mandatum, *nichil de crastino cogitare*[4]. Quem virum describens Ysaias[5] propheta, ita beatificat atque collaudat: *Si averteris a sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo, et glorificabis eum, dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut* non (*n*) *loquaris sermonem. Tunc delectabis super Dominum, et substollam te super altitudinem terre, et cibabo te hereditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum est* ».

(*a*) A *adquirat.* — (*b*) C *recundunt.* — (*c*) A *sudores,* E *sudoris sui fructus offerunt.* — (*d*) A *prerogantes.* — (*e*) B *monasteriis.* — (*f*) B *cedochio,* E *xenodochio,* in margine *foresteria.* — (*g*) Sic recte E, in margine *infirmaria,* A *mosobromio* (!) — (*h*) B *dispensentur,* E *arbitrio dispensentur.* — (*i*) C *arripuerint.* — (*k*) Hic explicit codex C. — (*l*) B *tepore.* — (*m*) E om. — (*n*) Omittitur in Edit. et in textu sacro.

[1] L. c. ib. 1106.

[2] Scil. Coll. XIX Cassiani, Migne P. L. 49, 1125 ss.

[3] L. c. c. 8, ib. 1138.

[4] Matth. VI, 34. — Sequitur parva lacuna in textu Cassiani.

[5] LVIII, 13-14.

In *Collatione* autem XXIIIª [1] de perfectione veri cenobite ait: «Cuius rei familiaris cruciabitur dampno, qui, perfecta nuditate gloriosus, voluntarie pro Christo universas mundi huius respuit facultates, omnesque concupiscentias generaliter *arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat?* [2] ». «Super cuius etiam rei privatione tristabitur, qui (*a*) omnia que ab alijs auferri possunt, sua (*b*) non esse cognoscit, illud invicta virtute proclamans: *Nichil intulimus in hunc mundum, haut* (*c*) *dubium quia nec auferre quid possumus?* [3]. Cuius etiam inopie necessitate eius superabitur fortitudo, qui peram in via, es in çona, vestes in tempora [4] habere non novit, set cum Apostolo gloriatur [5] *in ieiunijs multis, in fame et siti, in frigore et nuditate?* » etcetera.

Sanctus Effrem in *libro* suarum *exortationum,* quas *ad monachos* [6] facit, sic dicit: «Ideo caveamus astutias (*d*) sathane, senes et iuvenes, sapientes et simplices, sani et infirmi, in cenobijs et in solitudine Domino servientes, *tanquam leo rugiens adversarius* noster *circuit querens* [7] a perfectionis proposito revocare eos, qui, omnibus derelictis, tanquam mortui mundo, soli Christo vivere et celestia tantum querere, gratia Dei (*e*) ipsos inspirante, deliberaverunt. Non enim desinit occulte et manifeste ipsos aggredi et temptare, si quo modo in principio aut in medio, vel in fine ad carnis curam et visibilium amorem, spei fiducia denudatos inducere valeat. Ut enim fidei constantiam et firmum sanctitatis propositum et per-

(*a*) B cor. *quem.* — (*b*) Ita B, A *suas.* — (*c*) B *aut.* — (*d*) Sic recte E, A *austutias.* — (*e*) B add. *in,* sed postea delevit.

[1] Revera XXIV, c. 23, Migne, P. L. 49, 1316.

[2] Cf. Philip. III, 8.

[3] Tim. VI, 7.

[4] Cf. Matth. X, 10; Luc. IX, 3; Marc. VI, 8.

[5] 2 Cor. XI, 27.

[6] Quinam praecise sit ille liber inter opera S. Ephraem, non inveni, nec ipsum locum citatum. In *Opp. omn.*, II, Romae 1743, p. 72-186 habentur: *Sermones paraenetici ad Monachos Aegypti.* Pariter I, Romae 1732, quaedam de monachis inveniuntur, cf. 201-16; 258-82. Cf. etiam *Sancti Ephrem Syri hymni et sermones,* ed. F. J. Lamy, IV, Mechliniae 1902, p. 207-15: *Exhortatio ad Monachos;* ib. IV, 147-185: *Sermo de Monachis ascetis et eremitis,* ubi, p. 142, Editoris monitum: *Alios de monachis scripsit Ephraemus sermones; duos edidit Pius Zingerle,* Brixen 1868, *et duo fragmenta in sua* Chrestomathia Syriaca, Romae 1871.

[7] 1 Petr. V, 8.

fectionis amorem debilitet et evacuet in eis, temporum et vite longitudinem, laborum et doloris (*a*) penitentie rigorem, et austeritatem substinentie nuditatis et frigoris, et perpetuam penuriam omnium que corpora fovent, fragilitatem (*b*) nature, infirmitatis (*c*) molestias, desolationem subventionis obsequii (*d*), et multa similia suggerit, ut [*f.* 54 *v*] sic pusillanimes fiant, et tedio et pavore concussi (*e*), *retro aspiciant*, et regno celorum inveniantur indigni [1]. *Fidelis autem Deus* [2] in promissis suis, qui dicit: *Non te deseram neque derelinquam* [3]. Et Dominus, qui discipulis suis mandavit: *Nolite solliciti esse anime vestre, quid manducetis, neque* (*f*) *corpori vestro, quid induamini* [4], *set primum querite regnum Dei* (*g*), *et hec omnia adicientur vobis* [5]. Si vero non credimus Deum de servis suis curam gerere, et in temporalibus iuxta indigentiam (*h*) eorum corporibus (*i*), secundum quod (*k*) utile ad adquisitionem virtutis (*l*), providere, qui pro ipsius amore abnegaverunt semetipsos, et omnia reliquerunt, et semper in oblivione omnium que videntur fieri agoniçant, quomodo credimus quod corpora de pulveribus et elementorum sinu, sicut promisit, suscitaturus sit, et ad visionem sue glorie assumpturus? Si enim infideles sumus nunc ei de minimis, que se nobis daturum promisit in tempore, multo magis inveniemur in illo terribili et tremendo iudicio increduli et infideles extitisse de promissione (*m*) ineffabilium bonorum, que preparavit et se nobis daturum promisit in eternitate ».

In *ystoria Barlaam* (*n*), [6] de altissima mōnachorum, fratrum et amicorum ipsius (*o*) Barlaam (*p*) [paupertate] (*q*), sic scriptum est: Dixit Iosaphath ad Barlaam [7]: « Perficies ergo reliquum divini baptismatis,

---

(*a*) BE *dolorum*. — (*b*) E *nature fragilitatem*. — (*c*) BE *infirmitatum*. — (*d*) B *obsequium*. — (*e*) B *percussi*, E *perculsi*. — (*f*) E *aut*. — (*g*) E add. *et iustitiam eius*. — (*h*) E *eorum indigentiam*. — (*i*) E *corporum*. — (*k*) E add. *eis*. — (*l*) E *uirtutum*. — (*m*) Sic recte E et cor. B, A *promissionem*. — (*n*) B *ballaam*. — (*o*) E *eius*. — (*p*) E om. — (*q*) Sic videtur supplendum.

---

[1] Cf. Luc. IX, 62.
[2] 1 Cor. X, 13.
[3] Heb. XIII, 5.
[4] Matth. VI, 25; Luc. XII, 22.
[5] Matth. VI, 33; Luc. XII, 31.
[6] Scl. *Vita sanctorum Barlaam et Iosaphat*, Migne, P. L. 73, 443 ss. de qua cf. Krumbacher, *Geschichte der byzant. Litteratur*, p. 886-91. Clarenus forsan directe hausit e textu graeco, inter Opera S. Ioh. Damasceni, Migne, P. G. 96, 857 ss.
[7] L. c. I, 18, ib. 513. Eadem textuum series innuitur supra, c. 4, p. 108.

et accipies a me hereditates ac (*a*) vestimenta ad escam et protectionem tuam et amicorum tuorum, pergens ad locum discipline tue, Dei pace uteris », et (*b*) sequentia. « Barlaam [1] ait: Accipiendi (*c*) signum Christi, nichil est quod prohibeat. De cetero prepara teipsum et, Deo cooperante, consumabis votum. De hijs autem, ex (*d*) quibus dixisti michi suppellectiles (*e*) amicis meis (*f*) prebere, quomodo erit hoc, cum sis pauper, divitibus elemosinam dare? Divites enim semper indigentibus beneficia erogant, non indigentes divitibus prebent. Qui enim minor est omnium amicorum meorum, ditior te est, et valde incomparabilior constitutus dominus. Set confido in misericordia Dei, et (*g*) te, quantum necdum habuisti, superditabit, et optimus tandem (*h*) dator eris. Dixit autem Iosaphat ad (*i*) eum: Declara michi sermones tuos, quomodo, qui ultimus est amicorum tuorum, precellit me in divitijs, quos quidem in multa indigentia vivere, et ultima angustiari penuria videmus? Quomodo autem me nunc pauperem vocas, cum autem ditior fuero, tunc bonum datorem fieri dicis, quem optimum (*k*) datorem nunc vides (*l*) constitisse?

Barlaam (*m*) respondit: Non est enim (*n*) paupertas, in qua videntur (*o*) nunc [*f.* 55 *r*] humiliari, set sunt divitie inconsumptibiles, quibus ornantur. Nam addere super rebus habitis hereditates, et inpetus non frenare habendi, set divitias insatiabiliter concupiscere, hoc ultime paupertatis est. Eos autem, qui presentia quidem despiciunt, desiderio sempiterna requirunt, et quisquilia (*p*) hec (*q*) arbitrati sunt, ut Christum solum induerent, omniumque ciborum atque indumentorum abicientes sollicitudinem, et in Domino hanc superponentes, letabiles autem (*r*) indigentia, velud non (*s*) quisquam (*t*) eorum, qui diligunt mundum, letantur in divitijs et pretereuntibus rebus, et divitias virtutis (*u*) possidentes, et (*v*) speciebus inmortalibus delectantes et bonis, merito te ditiores et omni terreno rege appellem (*w*). Deo autem opitulante tibi, accipies et ipse (*x*) huiusmodi substantie spiritualis habundantiam, quam in stabilitate conservando et amplius (*y*) semper iustius desiderans, non forte volens ex hijs

(*a*) E *et.* — (*b*) E *etcetera.* — (*c*) E *accipere.* — (*d*) E *de.* — (*e*) E *supellectilibus.* — (*f*) E add. *uelle ea.* — (*g*) B *quod.* — (*h*) B *tamen.* — (*i*) E om. *ad eum.* — (*k*) B *per optimum,* E *preoptimum.* — (*l*) Ita E, A om. — (*m*) B add. *autem.* — (*n*) E om. — (*o*) Ita BE, A *uidemus.* — (*p*) E *quisquilias.* — (*q*) B *hoc.* — (*r*) B *in,* E *sunt.* — (*s*) E *nunc.* — (*t*) B *quicquam.* — (*u*) BE *uirtutum.* — (*v*) E add. *in.* — (*w*) E *appello.* — (*x*) B om. — (*y*) B *anpliis.*

[1] L. c. ib. 513-14.

aliquando evacuari, quoniam iste (*a*) sunt vere divitie. Qui enim intelligibilium divitiarum cumulum fuerit contemplatus, amplius habebit unde (*b*) suis amicis utilis sit. Merito igitur de ultimis hijs amicis revelavi, qui quidem celestium bonorum amatores, terrena ista et transitoria funditus abnegantes, fugierunt (*c*) ex illis, tanquam qui fugiunt a serpente. Si autem, qui interfecerunt inimicum et pedibus conculcaverunt, concertatores (*d*) mei et commilitones, hunc iterum viventem a te sumens, eis referam: et dator bellorum ac (*e*) vitiorum fiam, ero eis semper angelus malus (*f*); quod non fiat, ut hoc faciam.

Eadem autem intelligas et de indumento. Expoliantes autem vetustatis (*g*) corruptionem, et inobedientie indumentum, quantum in eis est, abnegantes, Christum autem tanquam vestimentum salutis et stolam letitie induentes, quomodo ipsos iterum et me pelliceas faciam circundari vestes? Et qui confusionis ammictum abiecerunt (*h*), ex acceptis sordidentur (*i*)? Set nullus est ex talibus meus (*k*) amicus. Quoniam indigentie eorum sufficere (*l*) scio ea, que in heremo sunt, et studij virtutum doctrinam, et (*m*) hanc verissimam reputant. Substantias autem et vestimenta, que illis dicebas velle prebere, indigentibus inpendens, thesaurum tibi ipsi (*n*) infuturum inconsumptibilem repone (*o*), Deum tibi illorum orationibus adminiculatorem pone » etcetera.

Dixit Iosaphat ad Barlaam [1]: « Quoniam noluisti accipere aliquid pro commilitantibus tecum in heremo, accipe pro te (*p*) saltem parvum munusculum [*f.* 55*v*] in cibo et tegumento ac vestimento corporis. Qui ait ad eum: Siquidem pro fratribus non accepi aliquid a te, non enim illi indigent accipere aliquid ex elementis mundi huius, ex quibus sponte (*q*) se prolongaverunt, quomodo michi concedam, quod illi renuerunt? Si autem bonum esset illarum rerum possessio, vel (*r*) forsitan antequam (*s*) michi tradidissem. Quoniam autem perditionem intelligo earum rerum possessionem, neque illos, neque me submicto laqueis talibus ».

(*a*) B om. — (*b*) B *ut de.* — (*c*) BE *fugerunt.* — (*d*) B *concertantores* (?), E *certatores.* — (*e*) E *et.* — (*f*) E *malorum* (?) — (*g*) Sic recte BE, A *uetustis.* — (*h*) E add. *quomodo.* — (*i*) Ita E, AB *sordidē.* — (*k*) E *amicus meus.* — (*l*) E *scio sufficere.* — (*m*) E om. — (*n*) E om. — (*o*) E add. *et,* B *pone etcetera,* om. *deum - pone.* — (*p*) B om. *pro te.* — (*q*) E add. *sua.* — (*r*) B delevit *uel.* — (*s*) B add. in marg. *illis,* E in textu.

---

[1] L. c. c. 20, ib. 525.

« Velud [1] qui in hijs credere non potuit (*a*), secundam Iosaphat fecit Barlaam postulationem, quod dimicteret ei scissum indumentum ac asperum pallium ad memoriam instruentis studij, simulque ad tutelam ei (*b*) contra omnem dyabolicam seductionem, sumens pro illo aliud ab eo, ut forsitan a me datum, inquid (*c*), aspiciens, meam in memoriam feras humilitatem ».

« Cui senex ait [2]: Vetus quidem ac disruptum prebere tibi (*d*), et accipere novum indumentum (*e*), non est lex, ut non parvi mei laboris retributionem hic (*f*) accepisse condempner. Tamen (*g*), ne tuam abscidam fiduciam, veterima, ac a nostris (*h*) nichil differentia, sint michi concessa a te. Hoc (*i*) ubi filius regis audivit, dura cilicia ac vetusta quesivit, et ea seni donavit, accipiens que illius fuerant (*k*) cum gaudio, omni decoritate (*l*) ac augustali (*m*) purpura pretiosa hec incomparabilia existimans (*n*) [3] ».

Eundem sensum et eandem operationem omnes perfectos sanctos et primos de mundi contemptu et odio habuisse et docuisse, ex eorum vita et doctrina reperies. Et si aliquando infirmorum fragilitati (*o*) et inperfectioni inferiorum, exemplo Christi, qui loculos habuisse propter pauperes et infirmos legitur, ex caritate condescendebat, cum luctu tamen et lamentatione lugubri utebantur, absque omni appropriatione (*p*) ad exercitium virtutis (*q*), rebus vilibus ad victum et vestitum, mundo mortuis et Christo viventibus, oportunis. Nam de sancto Besarione legitur in vita sua [4], quod post ebdomadam cibum sumens, tanto mentis excessu et fervore spiritus replebatur, ut, relicto, ut ipse dicebat, bestiarum pabulo (*r*), rarissime seipsum ad comedendum inclinaret (*s*), et (*t*) incredibili lacrimarum profluvio membra scisso et vilissimo sacco, propter communionem fratrum, operiebat.

(*a*) E *potui.* — (*b*) BE *eius.* — (*c*) E om. — (*d*) E add. *indumentum.* — (*e*) E om. — (*f*) E om. — (*g*) B *tu.* — (*h*) BE *meis.* — (*i*) B *hec.* — (*k*) Hoc add. E, A om. — (*l*) E *decorositate et.* — (*m*) B *angustiali.* — (*n*) E *ęstimans.* — (*o*) E *neccessitati et fragilitati et inferiorum imperfectioni.* — (*p*) BE add. *et* — (*q*) BE *uirtutum.* — (*r*) BE add. *cum.* — (*s*) Ita BE, A *inclinare.* — (*t*) BE om.

[1] L. c. ib.

[2] L. c. ib.

[3] In edit. ap. Migne, l. c. clarius: .... *ipsius veste invicem accepta, magnam inde laetitiam concepit, quavis purpura ac regio ornamento citra omnem comparationem praestantiorem eam existimans.*

[4] Palladius, *Hist. Lausiaca,* c. 116, Migne, P. L. 73, 1197, ubi tamen hic relata desunt.

De quo, ut legitur in *Vitis patrum*[1], dicebat abbas Dulas suus discipulus: « Quoniam ivi aliquando [*f.* 56 *r*] ad cellam abbatis Besarionis, et inveni eum orantem manibus extensis ad celum, et permansit (*a*) sic XIIII diebus. Post hoc (*b*) vocavit me, et dixit: Sequere me ». « Et[2] ambulantes secus mare dixi: Abba, sitio (*c*) valde. Qui, facta oratione, dixit michi: Vade et bibe de mari (*d*); et facta est aqua dulcis (*e*) sicut mel. Et cum bibissem, hausi modicum in vase, et dixit michi senex: Quare fecisti? Et dixi ei: Indulge michi, abba, ne forte iterum sitiam. Et ait senex: Deus, qui hic, ipse et ubique est. Et cum pervenissemus ad magnum fluvium Crisorona, facta oratione, transivit, ambulans siccis pedibus super aquas. Et cum ad visitandum quemdam senem iret (*f*), et sol esset ad occasum, oravit et dixit: Stet sol donec perveniam ad servum tuum; et factum est sic ». « Et[3] exeuntes et per heremum pergentes (*g*), cum multum sitirem, dixi ei: Abba, sitio (*h*). Ille autem tollens melotem discessit (*i*) a me, *quantum iactus* (*k*) *est lapidis*[4], et, oratione facta, actulit eam (*l*) ad me plenam aqua ».

Dicebat etiam idem (*m*) abbas Dulas monachis[5]: « Cum essem in deserto cum abbate meo Besarione (*n*), venit quidam servus Dei ad eum, et retulit ei dicens: Quoniam ille (*o*) secularis, qui servivit nobis in deserto, decessit multum sancte ab (*p*) hac vita, et omnia bona sua reliquid tali monasterio. Quod audiens abbas Bysarion vehementer contristatus dixit: Veh sibi, quia in periculo perditionis posuit animam suam. Et dixit ad eum frater: Indulge michi, abba, quid est quod loqueris? Respondit senex et dixit ei: Et (*q*) ego propter similem causam fui in periculo perdendi animam meam. Et retulit nobis dicens: Cum essem in seculo, et, iuxta consilium Christi omnia mea vendens, pauperibus erogarem, subintravit cordi meo predium, quod habebam, magni pretij, in Alexandria cenobio virginum monialium, in quo trecente virgines penitus nichil habentes

(*a*) E *mansit.* — (*b*) B om. — (*c*) B *scitio.* — (*d*) Ita recte B, A *mare.* — (*e*) BE *dulcissima.* — (*f*) E *ire uellet.* — (*g*) B *pergens.* — (*h*) B *scitio.* — (*i*) E *abiit.* — (*k*) E *est iactus.* — (*l*) E om. — (*m*) E *ipse.* — (*n*) B *Bisarione.* — (*o*) B om. — (*p*) E *de.* — (*q*) B om.

[1] *Vitae Patrum,* V, 12, 3, Migne, P. L. 73, 941.
[2] *Vitae Patrum,* VI, 1, 1, Migne, P. L. 73, 1000.
[3] *Vitae Patrum,* V, 12, 3, Migne, P. L. 73, 941.
[4] Luc. XXII, 41.
[5] Ubi haec prolixa narratio habeatur, non inveni.

Domino serviebant, donare, ut quiete magis viverent, et pro me et omnibus fidelibus Deum sine intermissione orarent. Et locutus sum cum sancto Ysidoro Alexandrino de eo, quod facere cogitaveram (*a*), deliberaveram. Qui dixit michi: Attende (*b*) tibi ipsi, quoniam hoc quod facere vis, neque tibi, neque eis expediens aut licitum est. Non enim possunt, qui Christi paupertatem promiserunt, predia recipere, set devende (*c*) predium, et de pretio presentibus earum necessitatibus subvenire cum omni diligentia stude, et id, quod superest, sicut alia tua, ita et hoc (*d*) [*f.* 56 *v*] pauperibus tribue. Et non adquievi eius sano consilio, set accessi ad archiepiscopum, et bonum, quod proposueram facere, tractavi cum ipso. Et factis instrumentis cum consensu et auctoritate imperialium, predium illud monialium cenobio dereliqui, et factus sum monachus in Scyti (*e*). Cumque iam quinque mensibus serviens Domino sub monachorum disciplina et eruditione stetissem, in mense VI°, cum orarem quasi media nocte, et ecce tectum oratorij apertum est, et lumen refulsit in oratorio quasi meridianus splendor, et cum lumine angeli plurimi descendentes posuerunt tredecim tronos, et tronum quartum decimum, magnum et candidum, in medio sedium locaverunt. Et statim post hec cum multitudine angelorum quedam domina, inextimabili gloria et splendore refulgens, cum tredecim principalibus, claritatis nimio decore (*f*) splendentibus, e celo venientes sederunt in tronis. Is vero, qui ad dexteram sedebat domine glorie, suos (*g*) oculos iratus ad me convertens, precepit angelis, qui adstabant, dicens: Ite, et illum antichristum foras eicite. Et cum venirent ut mandatum inplerent, revocavit eos ad se domina dicens: Non eiciatis eum, set aducite coram me. Trementem vero (*h*), nec audentem respicere in gloriam vultus eius, interrogavit dicens: Scis que sim, et quis iste, qui de oratorio tanquam Christo contrarium mandavit expelli? Et dixi: Nescio. Ego, inquid, sum illa, que mundi Conditorem et Redemptorem genui, et hic, qui a dextris meis in gloria semper adsistit, precursor ipsius est, Iohannes Baptista, cui omnium religiosorum cura, protectio et correptio (*i*) a Deo data est, et in (*k*) ipsum aspicere, et ipsius sanctitatem et paupertatem imitari debent omnes religiosi. Et quia consilio servi mei Ysidori non adquievisti, Christum et me et ipsum graviter offendisti, ancillis Christi, pauper-

(*a*) BE add. *et*. — (*b*) Ita recte BE, A *actendi*. — (*c*) BE *uende*. — (*d*) E *hec*. — (*e*) E *Syrti*. — (*f*) E *splendore*. — (*g*) Ita BE, A *sue*. — (*h*) BE add. *me*. — (*i*) BE *correctio*. — (*k*) BE om.

tatis ipsius et mee et precursoris eius (*a*) nuditatem sectantibus, divitias tribuens. Potuit enim Christus michi et discipulis suis divitias dare, qui solo verbo lapides et ligna et terram in gemmas, in aurum, et aquas in balsamum et queque pretiosa potest convertere. Set quia doloribus penitentie, et vite incomodis invisibilia (*b*), eterna bona, *que exuperant omnem sensum* [1], Dei servi et ancille mercantur, et liberantur per ea a laqueis demonum et ab inquinamentis concupiscentie carnis et mundi, [*f.* 57 *r*] ideo in paupertate et tribulationibus suos imitatores post ipsum cum gaudio et exultatione currere, et totam vitam ducere opere et verbo docuit, ut socij passionum eius in presenti, consolationum regni ipsius sint in eternitate consortes. Festinanter igitur in (*c*) Alexandriam perge, et assumpto tecum Ysidoro servo meo, predium illud famulabus Christi auferens, vende et pauperìbus tribue. Ego enim ero tecum, ut ea que tibi mando sine inpedimento perficias. Et conversa ad precursorem dixit: Iohannes, signum crucis in pectore illius inprime et (*d*) fronte, ut certitudinem accipiat, quia hec visio a Deo est. Quo facto, visio disparuit. Ego autem summo mane iter arripiens ivi in Alexandriam, et sancto Ysidoro, que videram, retuli. Quibus auditis, accessimus ad sanctum Theophilum patriarcham, qui favit nobis, audito ordine rei. Et euntes ad cenobium virginum, invenimus abbatissam et omnes sorores unanimes et spontaneas ad renuntiandum predium, quod susceperant. Et vendidi illud inperialibus et aurum, quod inde recepi erogavi pauperibus. Quo facto, dixi ad sanctum Ysidorum: Puto quod non sit bonum monialibus elemosinam dare. Qui dixit michi: Predia et possessiones, ùt divitias et proprietates habeant, dare eis et offerre, que Christi paupertatem servare promiserunt, dantibus et recipientibus est peccatum. Nulla autem elemosina est Deo magis grata, quam pauperibus virginibus (*e*), infirmis et indigentibus, necessaria ministrare, secundum quod earum presens necessitas requirit. Id ipsum autem et leprosis elemosinam dare, ut habeant unde vivant, et infirma corpora tegant, multum est gratum et acceptum Deo. Et intulit: Ista est ratio quare dixi, o frater, quia ille, bona sua cenobio relinquens, posuit in perditionis periculo animam suam. Quoniam recipientes contra animam suam faciunt, et eis taliter dantes, Deum offendunt ».

(*a*) E *ipsius*. — (*b*) B add. *et*. — (*c*) E om. — (*d*) E add. *in*. — (*e*) B om.

[1] Cf. Philip. IV, 7.

Nam et ille magnus senex [1] fratri (*a*) interroganti eum: Quid faciam ut salvus sim? expolians se vestimentum suum et cingens lumbos suos, atque extendens manus suas (*b*) in celum, dixit: Sic nudus debet esse monachus ab omni materia seculi (*c*), et crucifigere se adversus temptationes atque (*d*) certamina mundi. Voluntaria enim paupertas thesaurus monachorum est, qua sibi thesauriçant in celis inestimabiles (*e*) thesauros ad requiescendum in gloria sine fine, cum angelis et sanctis. Ideo namque servi et ancille Domini [*f.* 57 *v*] cuncta (*f*) que sunt in hoc seculo, derelinquunt, ut eternis bonis deservire mereantur. Et neque reditibus egent, neque pecunijs, neque auro, set nichil possidere volunt, ne celesti regno fraudentur.

Teste namque sancto Ieronimo [2], in heremo (*g*), in civitate Thebayde, in qua Ioseph cum Maria et puero Ihesu fugientes habitaverunt, construxit sanctus Apolonius monasterium angelico mandato, in quo quingenti erant monachi summe perfectionis, nichil possidentes, et preter Christum nichil sub celo habere volentes. Hic, sicut vitam, ita et apostolica signa faciebat et partem Egypti ab ydolorum cultura convertit ad Christum; qui in eiusdem civitatis deserto Domino servientes, vitam ducebant potius angelicam quam humanam.

Nam et de sancto Iohanne anachorita scribit [3], quod tribus annis erectus stans sub cuiusdam saxi rupe semper oravit, solum diebus dominicis eucharistiam pro cibo spirituali et vite corporalis substentamento sumens. Cui post tres annos apparuit angelus Domini et tangens eum, corpore sanum fecit, et dixit ei (*h*): Dominus Ihesus Christus et Spiritus Sanctus (*i*) verbi et scientie sue tibi habundantiam donat. Surge, et fratres hedifica vita et doctrina. Huic per Spiritum Sanctum omnium fratrum, quantumcunque absentium, conversatio nota erat, et potentia adversus demones et

---

(*a*) E *interroganti eum fratri.* — (*b*) E om. — (*c*) BE *seculari.* — (*d*) E *et.* — (*e*) E *thesauros inaestimabiles.* — (*f*) A *cunta.* — (*g*) B om. *in heremo.* — (*h*) E om. — (*i*) B *sancti.*

---

[1] Fontem Clareni non inveni.

[2] Clarenus, uti supra, p. 70, nota 7; p. 115, nota 1, iam monui, Hieronymo Rufini *Hist. Monach.* adscribit, ubi, c. 7, Migne, P. L. 21, 410, hic textus revera invenitur; cf. etiam Pallad. *Hist. Laus.* c. 52, Migne, P. L. 73, 1155.

[3] Ruf. *Hist. Monach.* c. 15, Migne, P. L. 73, 433; Palladius, *Hist. Laus.* c. 61, Migne, P. L. 73, 1169.

gratia sanitatum et prophetie spiritus singulariter (*a*) in eo refulgebat. Et cum corporali cibo non indigeret, operabatur tamen manibus cingula iumentorum.

Similia de sanctissimo viro (*b*) Marcho [1] anachorita scripta reperies (*c*). Qui miraculose, cum puer esset, in quandam unam (*d*) desertissimam de Cycladibus insulam transiens, in qua aqua non erat, decem et octo annis herbis et arbustorum folijs tantum vivens et aqua maris, et duobus postea continuis (*e*) annis innumeras corporaliter penas (*f*) substinuit a malignis spiritibus, post quos angelus Domini eidem apparens, a vulneribus et plagis a demonijs ei (*g*) factis, sanavit, et aliis decem et octo annis pane celesti nutrivit. Ad quem sanctus Serapion, dictus Sydonius, ad sepeliendum divino miraculo missus, post parabolam illam trium debitorum, quibus eum (*h*) pater suus dimiserat obligatum, propositum in foro Atheniensium, angelo sancto ipsum (*i*) docente et dirigente, viventem invenit et vitam et gloriosum exitum suum (*k*) scripsit, et patribus ad hedificationem futurorum revelavit. Veri namque cenobite atque perfecti anachorite, Spiritu Sancto ipsos sanctificante et [*f.* 58*r*] roborante, nil commune habuerunt cum mundo, set in carne existentes, non secundum carnem vivebant, et celesti prediti virtute, solum celestia sapiebant.

Et de hijs vir magne sanctitatis et virtutis et preclare scientie, sanctus pater (*l*) Petrus Iohannis [2], quem *sui non receperunt* [3], plures fecit tractatus, et multa in suis scriptis magistraliter tradidit a Christo motus, sicut in fine, Deo (*m*) magnificante, patebit, que divinum lumen contra omnem ingnorantie caliginem et varias multorum opiniones ea pie et catholice intelligentibus prestant. Dicit enim in hoc VI° capitulo Regule [4]:

(*a*) B *singulatim*, E *in eo singulariter refulgebant*. — (*b*) E om. — (*c*) B *reperiens*. — (*d*) E om. — (*e*) E *annis continuis*. — (*f*) E *sustinuit poenas a spiritibus immundis*. — (*g*) Ita recte E, A *eis*. — (*h*) E *pater suus illum*. — (*i*) B *ipso*. — (*k*) E *eius*. — (*l*) E add. *fr(ater)*. — (*m*) B in margine *X*° *eum*.

---

[1] De eo cf. Pallad. *Hist. Laus*. c. 21, Migne, P. L. 73, 1119; a Clareno relata hic desunt. Cf. etiam Sozom. H. E. VI, 29, Migne, P. G. 67, 1375.

[2] Bene intelligitur haec laus permagna a Clareno Petro Ioh. Olivi tributa, quae postea, versus finem Expositionis, repetitur et augetur.

[3] Ioh. I, 11.

[4] Olivi, *Expositio Reg*. c. 6, *Firm*. ed. Venet. 1513, III, f. 116ra-va, ad litteram. Hic textus pertingit usque ad pag. 174.

« *Fratres nichil sibi* (*a*) *approprient* etcetera, constat enim, quod si fratres toti ordini aut alicui sue provincie aut conventui aliquid approprient (*b*), jam quoad hoc falsificant (*c*) in parte, quod dictum est, scilicet: *Fratres nichil sibi approprient.* Secundo, quod mox subdit, *nec domum nec locum,* idest nec (*d*) aliquem terre fundum. Constat enim, quod huiusmodi in religionibus non solent, nec bono modo possunt appropriari, nisi solo collegio in communi. Tertio quoque subdit, quod sint *in hoc seculo tanquam peregrini et advene.* Constat autem, quod contra rationem peregrinationis est, appropriare sibi terram, respectu cuius est et dicitur peregrinus. Regula autem vult nos esse peregrinos, non solum respectu huius vel illius rei vel terre, set generaliter respectu totius huius (*e*) seculi. Nec sufficit ei dicere *peregrini,* set adiunxit *advene,* ut sic non solum respectu presentis (*f*) temporis et futuri, set etiam (*g*) respectu preteriti, nos nichil cum mundo habere commune institueret et doceret. Advena enim, tanquam adventicius et aliunde trahens originem, sentit terram, cui advenit, sibi (*h*) non esse natale solum, et ita quoad hoc sentit eam extraneam sibi. Peregrinus vero, tanquam a propria patria longe distans, ad ipsam pro nunc et futuro anhelans, terram, in qua peregrinatur, sentit pro nunc et pro futuro sibi extraneam seu alienam. Sequitur autem regula in hunc modum psalmi dicentis [1]: *Quoniam* (*i*) *advena ego sum apud te et peregrinus sicut omnes patres mei.* Licet enim pro statu illius temporis non haberent virginitatem et paupertatem in actu, habebant tamen in habitu, sicut alibi est ostensum [2], propter quod et (*k*) hic et in alio psalmo [3] asserit se nec *in celo* nec *in terra* querere aut habere partem seu portionem aliquam nisi Deum, quando scilicet ait: *Quid michi est in celo et a te quid volo super terram?* quasi dicat nichil nisi te. Unde subdit [4]: et *pars mea Deus* (*l*) *in eternum.* Sequitur etiam (*m*) modum beati Petri, *prima epistola,* capitulo II° [5], dicentis: *Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, que militant adversus ani-*

(*a*) Ita BE, A om. — (*b*) E *appropriauerit.* — (*c*) E *falsificatur.* — (*d*) BE om. — (*e*) E om. — (*f*) E *huius.* — (*g*) B om., E *et.* — (*h*) E *non sibi.* — (*i*) E om. — (*k*) E om. — (*l*) B om. — (*m*) E *et.*

[1] Ps. 38, 13.

[2] In quaest. 6, *De perfectione evangelica,* uti videtur; cf. Ehrle, ALKG, III, 504-05.

[3] Ps. 72, 25.

[4] Ps. 72, 26.

[5] Vers. 11.

mam etcetera. Quibus consonat Ieronimus, libro ultimo, *contra Iovinianum*[1] circa finem dicens: [*f.* 58*v*] 'Quoscunque formosos, quoscunque calamistratos, quos crine composito (*a*), quos rubentibus buccis video, de tuo armento sunt, immo inter tuas sues garriunt (*b*), de vestro grege sunt. Tristes[2], pallidi, sordidi et quasi peregrini huius seculi, licet primo taceant, habitu locuntur et gestu: *Heu michi, quia incolatus meus prolongatus est*'[3]. Hec Ieronimus.

Quarto, quia subdit quod *vadant pro elemosina confidenter,* quod utique non est proprie nec congrue necessaria habentium in communi. Quinto, quia ne ex tante paupertatis et egestatis et mendicitatis erubescentia fratrum animos consternaret (*c*), subdit paupertatis et egestatis exemplum dicens: *Nec oportet eos verecundari* etcetera. Quod nichil esset dictum, nisi tanquam indubitanter notum supponeret Christum paupertatem peregrinariam et egestatem mendicariam in se ipso servasse. Sexto, ex precellenti commendatione paupertatis inmediate subiuncta, quam quidem quasi ad oculum et tanquam singularem et ammirabilem discretive demonstrat, dicens: *Hec est illa celsitudo* etcetera. Que tam singularis commendatio et demonstratio esset valde ridiculosa, nisi aperte supponeret paupertatem prescriptam esse (*d*), et in summo precelsam et altam, et precipue quia non solum magnificat eam ex sue forme superlativa altitudine et sanctitate, dicendo scilicet (*e*) hic (*f*) eam *altissimam* et supra, V° capitulo[4] *sanctissimam,* set etiam ex sua superlativa efficacia et effectu; tres scilicet effectus notabiles (*g*) sibi adscribens: Primus est respectu premij, sive celestis regni, cuius non solum *heredes,* nec solum *reges* esse dicit, set simul *reges et heredes.* Non enim omnis heres rex est, etiam dato quod sit heres alicuius regni, iuxta illud Apostoli[5]: *Quanto tempore heres parvulus est* etcetera, nec etiam omnis rex est heres regni, quia aliquando est rex non ad semper, set (*h*) ad tempus solum. Secundus

(*a*) BE *compositos.* — (*b*) E *grunniunt.* — (*c*) BE *contristaret.* — (*d*) Sequitur in A parvum spatium vacuum, nihil tamen in textu deesse videtur. — (*e*) BE om. — (*f*) E *hec est illa celsitudo etcetera.* — (*g*) BE *nobiles.* — (*h*) E add. *solum* et subinde om.

[1] *Adv. Iovinianum,* II, 36, Migne, P. L. 23, 334.

[2] Hic Clarenus omisit verba quae tum apud Olivi, tum ap. S. Hieronymum habentur, scil. *De nostro grege* tristes etc.

[3] Ps. 119, 5.

[4] *Opusc.* p. 68.

[5] Gal. IV, 1.

est respectu rerum mundi huius, a quo, quanto plus elongamur, tanto plus superintellectuali mundo coniungimur, et tanto plus ab omni temptationis visco, laqueo et periculo liberamur; et hoc notat cum (*a*) dicit: *Pauperes rebus fecit.* Tertius est respectu virtutum et karismatum Spiritus Sancti, quas non sub (*b*) ratione inferiori vel mediocri introducit, set potius in gradu et perfectione sublimi; et ideo subdit: *Virtutibus sublimavit.*

Septimo, ex eo quod more testatoris hanc solam nobis pro hereditaria portione (*c*) assignat subdens: *Hec sit portio vestra,* ubi et (*d*) quartum eius effectum, ex tribus premissis (*e*) resultantem, ostendit subdens: *Que perducit in terram viventium.* In quo docet eam [*f.* 59 *r*] coniunctissimam et finaliter coniunctivam ultimo fini, scilicet vite eterne. Et sicut plerumque testatores, cum (*f*) aliquid spetialiter legant, dicere solent, volo quod de hoc sint contenti et pacati, sic subdit, quod fratres huic *totaliter inherentes,* idest toto affectu et verbo et opere, et tota (*g*) vita *nichil aliud sub celo habere velint,* nisi scilicet (*h*) solam ipsam, ubi et nota, quomodo in hoc loco pre ceteris vocat *fratres karissimos* et *dilectissimos.* Utitur etiam hic singulariter adiuratione dicens: *Pro nomine Domini nostri Ihesu Christi.* Utitur autem hic verbis illius psalmi, quem in suo transitu cantavit (*i*), ita quod in fine eius (*k*) transmigrans, plenissime coniunctus est vite eterne. Ibi enim habetur [1]: *Domine dixi, tu es spes mea, portio mea* sit (*l*) *in terra viventium* ». Hec ille [2].

Quantum autem (*m*) ad expropriationis articulum querunt predicti magistri [3], an fratres possint emere, vendere, mutuare, suas operas locare, et res, quas ad usum habent, inpignorare (*n*) vel dare. Et respondent quod non, nisi solum sub modis nichil dominij aut juris vel proprietatis sapientibus. Non enim possunt emere, prout emere est pecuniale (*o*) pretium dare, set solum prout est idem

(*a*) E *quando.* — (*b*) E om. — (*c*) E *possessione.* — (*d*) E om. — (*e*) E om. — (*f*) E *quando.* — (*g*) E add. *sua.* — (*h*) E om. — (*i*) BE et Ed. Olivi *decantavit.* — (*k*) B om. — (*l*) BE, Ed. Olivi et textus sacer om. — (*m*) E om. — (*n*) B *pignorare.* — (*o*) B add. *aut.*

[1] Ps. 141, 6.

[2] Scil. Olivi.

[3] Quatt. Mag. c. 6. *Firm.,* Paris. 1512, IV, f. 19vb-20rb; ed. Venet. 1513, III, 17vb-18rb. Clarenus non accurate ad verbum refert, sed saepe utitur verbis Magistrorum.

quod de pretio rei emende absque omni obligatione convenire, vel idem quod solutionem rei empte procurare. Nec possunt vendere, sumpto vendere pro rem propriam in alienum dominium transfundere, et pro ea pretium tanquam suum recipere. Sumpto tamen vendere pro rem alteri omnino relinquere, et loco eius alteram absque aliquo dominio vel iure, ad solum simplicem usum recipere, sic possunt; et per consimiles modos explanant cetera. Querunt etiam (*a*), quid sit appropriare, et dicunt quod est idem quod rem suam facere, seu in suum dominium convertere. Sua (*b*) autem (*c*) res est, que transit in arbitrii facultatem, ut de ea faciat habens quod vult utendo, commutando (*d*), dando, inpignorando.

Super illo verbo: *Et tanquam peregrini et advene,* querunt prefati (*e*) magistri [1], an paupertas, ad quam tenentur fratres, prohibeat eos, ne possint habere aliquid fixum ad substentationem, sicut alique persone voluerunt ordinare reditum perpetuum, quo in aliquo loco (*f*) substentarentur fratres, ita quod apud eos proprietas aliqua non resideret. Querunt etiam an eos prohibeat, ne possint habere territoria, de quibus per culturam et industriam suam omnia substentationi sue necessaria procurarent, ita quod proprietas penes (*g*) alium resideret, ut, [*f.* 59 *v*] sicut habent hortos (*h*) ad olera et ad fructus, ita haberent vineas et agros [2]. Ad que respondentes subdunt [3]:

« Ad hoc dicendum videtur, quod cum sit necessitas duplex paupertatis evangelice, sicut dicunt sancti, uña (*i*) inperfecta, que est cum paupertate spiritus, nichil retinet superfluum temporale, set retinet quod est necessitatis; alia vero est paupertas perfecta, que (*k*) cum paupertate spiritus neque superfluum neque necessarium sibi tanquam proprium retinet, set ex Dei provisione (*l*) pendet, que est paupertas mendicitatis. Hec videtur paupertas Fra-

(*a*) E *et.* — (*b*) A *quando,* idem B sed delevit, et cor. in margine *sua.* — (*c*) E om. — (*d*) E *dando, commutando et impignorando.* — (*e*) E *predicti.* — (*f*) E add. *inperpetuum.* — (*g*) E *apud.* — (*h*) A *ortos.* — (*i*) B add. in marg. manu post. *paupertas.* — (*k*) BE add. *est.* — (*l*) B *prouidentia.*

[1] L. c.

[2] Idem tractat post Quattuor Magistros P. I. Olivi in tractatu *De perfectione evangelica,* quaest. 15, et praesertim 16, magna cum vehementia sententiam propugnans negativam. Cf. Ehrle, ALKG, III, 530-32; cf. ib. 501; Oliger, *Arch. Franc. Hist.* I, 1908, 619-20.

[3] L. c. f. 20rb. (f. 18rb).

trum Minorum, que hic determinatur. Unde ostenditur in duobus: Unum est, ut non recipiant aliquid fixum sicut reditum, et hoc est quoniam *tanquam advene et peregrini in paupertate* debent *Domino famulari.* Aliud est, quia (*a*) debent habere paupertatem quantum ad usum, ut taliter sint pauperes quod etiam sint (*b*) mendici, unde additur quod *vadant pro elemosina confidenter* ». Hec predicti magistri.

Et ubicunque sunt et se invenerint (*c*) etcetera. Evangelica paupertas et omnimoda abdicatio et expropriatio omnium rerum, sicut ab amore omnium visibilium elongat et extraneum facit suum professorem et servatorem, ita sua secreta et divina operatione peregrinum mundo, humilem, et conformem Christi moribus et desiderijs, et dilectionis (*d*) Dei et proximi unitum perfecte (*e*) ostendit, et omnibus familiarem et domesticum semper et ubique verbis et operibus reddit, quia Christum, cuius est consecratus cultui, in suis fratribus amat (*f*), reveretur et suscipit. Et quoniam Christi amor omnem naturalem amorem excedit et superat, tanto plenius et sincerius quanto (*g*) *mater suum carnalem diligit filium,* pauper et humilis Christi discipulus suos conservos et fratres amat, et tempore sanitatis et infirmitatis ex operibus sue dilectionis eius affectum et effectum demonstrat. Ideo caritatis et gratie Christi regula vult, quod omnes eiusdem religionis et vite *se ostendant invicem* summe familiares et *domesticos,* sicut Christi discipuli, sancteque vite et caritatis eius operatores fideles, et sicut unius domus Dei domestici et cohabitatores fiduciatiter *et secure suas* spirituales et corporales *necessitates unus alteri manifestet,* et fidelissime necessaria procurent, et reverenter et devote cum caritate plus quam *mater filio,* sibi invicem obsequantur et serviant. Et cum infirmantur, ita unus alteri serviat, *sicut vellet sibi serviri,* idest (*h*) secundum illam legem mutue caritatis [*f.* 60 *r*] quam Christus docuit dicens[1]: *Quecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hec est enim lex et prophete.*

In prima vero regula[2] ita (*i*) erat scriptum: *Si quis fratrum in infirmitatem ceciderit, ubicunque fuerint* (*k*) *alij* (*l*) *fra-*

(*a*) BE *quod.* — (*b*) E om. — (*c*) BE add. *fratres ostendant se domesticos.* — (*d*) BE *dilectioni.* — (*e*) B om. — (*f*) BE add. *et.* — (*g*) Ita E, A *quam,* B *quantum.* — (*h*) E *et.* — (*i*) E om. — (*k*) E et Edit. Reg. I *fuerit.* — (*l*) E om.

[1] Matth. VII, 12.

[2] Cap. 10, *Opusc.* p. 39.

tres, non dimictant eum, nisi constituatur unus de fratribus vel plures, si necesse fuerit, qui serviant ei, sicut vellent sibi serviri; set in maxima necessitate possunt ipsum (*a*) *dimictere alicui fideli persone, que sue debeat satisfacere infirmitati. Et rogo fratrem infirmum, ut referat de omnibus gratias Creatori et quod* (*b*), *qualem vult eum* (*c*) *Dominus, talem se esse desideret, sive sanum, sive infirmum, quia omnes, quos* ad vitam preordinavit eternam [1] *Deus, flagellorum atque infirmitatum stimulis et compunctionis spiritu erudivit, sicut Dominus dicit* [2]: Ego quos amo, corrigo et castigo. *Si autem frater infirmus turbaretur aut irasceretur sive contra Deum suum, sive contra fratres, vel si forte postulaverit sollicite medicinas, nimis desiderans liberare carnem cito morituram, que est anime inimica, a malo sibi evenit, et carnalis est, et non videtur esse de fratribus, quia plus diligit corpus quam animam.*

(*a*) E *eum.* — (*b*) B om. — (*c*) E add. *esse.*

[1] Act. XIII, 48.
[2] Apoc. III, 19.

[Septimum Capitulum] (*a*).

Si quis fratrum (*b*), *instigante inimico, mortaliter peccaverit* (*c*) [1] etcetera. Septimum capitulum de sacramentali penitentie mortaliter peccantium medicamento et regimine, post premissa sex capitula (*d*) perfectionis regularis, fundamentalem (*e*) principalius continentia (*f*) statum (*g*), consequenter prius, ante sequentia, ad ordinatum regimen et gubernationem religionis singulariter spectantia, ponitur propter nostram infirmitatem et suppremam necessitatem, ut per penitentie remedium de morte anime resurgamus ad vitam, et de servitute peccati, Christo miserante, redeamus ad gratie libertatem.

In omnibus operibus (*h*) nostre regenerationis benignitas et gratia nostri Redemptoris refulget et splendet. Abissus vero (*i*) inperscrutabilis (*k*) et inmensa misericordiarum Dei in resurrectione a peccatis mortalibus post regenerationem baptismatis, hominibus in sacramento penitentie aperitur, et ex ineffabili pietate Dei, ipsius (*l*) remedium in virtute et merito mortis Christi clementer conceditur. Per ipsam [2] humilitate (*m*) conterimur et consolationem accipimus, ne desperemus, et ad cognoscendum bonitatis et (*n*) longanimitatis, sufferentie et patientie Dei divitias, per penitentie donum oculos aperimus, et *super nivem dealbati* [3] secunde (*o*) vite federa cum Christo (*p*), quem contempnentes (*q*) conculcavimus, sola gratia relevati

(*a*) A add. manu post., B *De penitentia peccantibus, cap° VII,* E (rubr.) *De penitentia fratribus peccantibus imponenda, c. VII.* — (*b*) B om. — (*c*) E continuat usque *sine mora.* — (*d*) E *quę.* — (*e*) E *fundamentaliter.* — (*f*) BE *continent.* — (*g*) B *statutum.* — (*h*) E *nostrae regenerationis operibus.* — (*i*) BE om. — (*k*) B *inprescrutabilis.* — (*l*) E add. *uirtutis.* — (*m*) A *humilitati.* — (*n*) E om. — (*o*) B *secundum.* — (*p*) E add. *per.* — (*q*) E add. *leonem et drachonem.*

[1] Reg. 2, cap. 7, *Opusc.* 69, s.

[2] Scil. poenitentiam.

[3] Cf. Ps. 50, 9.

[*f.* 60 *v*] componimus. Et nos ipsos despicientes, et iudicantes solliciti, et vigiles contra insidias inimici, sine intermissione divinum adiutorium invocamus, *emundantes* (*a*) *conscientiam operationibus* (*b*) oppositis [1] offensionibus et delictis, spei fiducia per penitentiam sublevati, de reconciliatione cum Deo indesinenter gratias agimus ipsius inexplicabili pietati. Per ipsam a veneno mortifero amoris proprii, qui generat in nobis per superbiam odium et contemptum Dei, liberamur, et inimici nostrarum voluntatum et mundi vanitatum et concupiscentiarum carnis per evangelicum (*c*) efficimur odium, et dolorum et passionum et inproperiorum pro Christi nomine humiles cum gratiarum actione efficimur amatores.

Et quia tantum bonum et ita excelsum et singulare remedium est nobis a Deo concessum per penitentie sacramentum, ideo Christus per suum (*d*) servum Franciscum instruit et clementer mandat quod *pro illis peccatis* mortalibus, *de* (*e*) *quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos ministros provinciales, teneantur ad eos* (*f*) *recurrere, quam citius poterunt sine mora.*

Intentio autem sancti Francisci fuit, quod iste modus recurrendi ad ministros servaretur in peccatis mortalibus manifestis, et quod fratres de manifestis peccatis, que pluribus nota erant, *ad solos ministros* recurrere peccantes taliter ordinarent, sicut erat de receptione pecunie et de peccato fornicationis vel alterius manifeste inmunditie, et de pravitate heretica quacunque, et de manifesto et notabili furto (*g*) rerum et elemosinarum datarum fratribus ad necessarium usum vite et divinum cultum, et de minis cum arrogantia et percussione factis propriis fratribus vel quibuscunque alijs personis, et de omnibus etiam alijs publicis mortalibus, pro quibus ordinaretur a (*h*) fratribus idipsum in suis capitulis generalibus. Potest etiam accipi hoc (*i*) et intelligi de quibuscunque occultis mortalibus alijs, pro *quibus* ordinaretur *inter fratres,* quod *ad solos ministros* pro absolutione secrete haberetur recursus, vel ad alios, quibus ministri super hoc commicterent vices suas. Quod autem de nominatis peccatis hic principalius intellexerit dicere sanctus Franciscus, ex hijs,

(*a*) B *et mundantes.* — (*b*) E *ab operibus.* — (*c*) B *euangelium.* — (*d*) B *seruum suum.* — (*e*) E om. *de quibus - in peccatis mortalibus.* — (*f*) B *eum.* — (*g*) Ita BE, A om. — (*h*) E *idipsum a fratribus.* — (*i*) B om.

[1] Cf. Heb. IX, 14.

que tempore suo fiebant, et in prima regula scripsit, potest satis trahi. Nam de receptione pecunie dicit in ea [1]: *Et si forte, quod absit, contingeret aliquem* [*f.* 61 *r*] *fratrem pecuniam aut denarios recipere vel habere, omnes fratres teneamus eum pro falso fratre et apostata et fure et latrone* (*a*) *et loculos habente, nisi vere penituerit.* Furtum et latrocinium et receptionem pecunie et denariorum collectionem coniungit tanquam enormia, et non faciliter nec indifferenter, neque ab omni sacerdote, si fieri contingerent (*b*), set a solis ministris, et de suo peccato vere (*c*) contritis, et omnem penitentiam suscipere et adimplere querentibus, indulgentiam cum penitentia iniungi determinat (*d*). Similiter de fornicatione vel alia manifesta carnis inmunditia et lapsu, in eadem prima regula [2] posuit: *Si quis fratrem, instigante inimico* (*e*), *fornicaretur, habitum, quem ex sua* (*f*) *turpi iniquitate ammisit, ex toto deponat, et a nostra religione penitus expellatur* (*g*) *et postea penitentiam faciat de peccatis.* Que increpatio et segregatio solum a ministris secundum regulam (*h*) fieri debet.

De pravitate autem heretica in suo *Testamento* [3] sic scribit: *Et qui inventi essent, quod non facerent officium secundum regulam et vellent alio modo variare, aut non essent catholici, omnes fratres ubicunque sunt teneantur per obedientiam quod, ubicunque invenerint aliquem ipsorum, proximiori custodi illius loci, ubi ipsum invenerint, representent* (*i*). *Et custos teneatur per obedientiam ipsum fortiter custodire, sicut hominem in vinculis die noctuque, ita quod non possit eripi de manibus suis, donec representet eum in manibus sui ministri propria persona sua. Minister* (*k*) *vero firmiter teneatur* (*l*) *per obedientiam mictere ipsum per tales fratres, qui die noctuque custodiant ipsum* (*m*) *sicut hominem in vinculis, donec representent eum coram domino Hostiense, qui est dominus, correptor* (*n*) *et protector totius fraternitatis istius.*

(*a*) E om. *et latrone.* — (*b*) E *contigerit.* — (*c*) E om. — (*d*) Ita BE, A *determinant.* — (*e*) Ed. Reg. 1 *diabolo instigante.* — (*f*) E om. — (*g*) E *repellatur.* — (*h*) B om. *secundum regulam.* — (*i*) Ita E, A *representare,* Edit. *debeant representare.* — (*k*) B *ministri.* — (*l*) B *teneantur.* — (*m*) E *eum.* — (*n*) E *protector et corrector.*

[1] Reg. 1, c. 8, *Opusc.* p. 35-36.

[2] Cap. 13. *Opusc.* p. 42.

[3] *Opusc.* p. 81.

Et in prima regula [1] sic dicit: *Omnes fratres sint catholici* (*a*), *et vivant et loquantur catholice. Si quis vero erraverit a fide* (*b*) *et vita catholica in dicto vel in facto, et non se emendaverit, a nostra fraternitate penitus eiciatur* (*c*).

Ex hijs verbis satis clare patet, quod unum de principalioribus peccatis et malis, quod extirpare voluit a sua religione funditus et penitus aboleri, fuit error in moribus et in fide; unde voluit, quod frater inventus verbo vel facto tali morbo infectus quantumcunque leviter, si de dictis vel factis vere et cordaliter se recognosceret et (*d*) penitentiam postularet, *ad solos ministros* recurreret. Hoc ipsum percussoribus suorum fratrum vel aliarum personarum [*f.* 61 *v*] extra religionem voluit fieri. Nam propter talium culparum enormes actus, religionem reddentes infamem, in spiritus virtute a Christo motus denuntiasse eos Dei (*e*) maledictionem incurrisse ex multa cordis amaritudine invenerat (*f*). Dat autem modum et formam ministris, talibus peccatorum nexibus ligatos absolvendi eos (*g*), vel suam auctoritatem, si non essent sacerdotes, alijs concedendi eorum absolutionis et penitentie. Ita tamen quod discrete et utiliter et misericorditer et tranquille, iuxta Samaritani exemplum [2], vulneribus plagati *vinum et oleum* similiter infundant ad curationem eorum et magis districtam correptionem, et ut ceteri a consimilibus timeant, et dehedificati (*h*) et scandalizati ipsorum (*i*) offensionibus, de condigna satisfactione et humili recognitione et sufferentia et emendatione sedati et placati letentur. A talibus autem peccatis *per* solos *ordinis sacerdotes* absolutionem fieri iuste decrevit, quia talia peccata tristitiam et scandalum confessori possent generare audienti tam (*k*) gravia de hijs, quos sicut (*l*) sanctos reverebatur et extimabat. Insuper valeret suspitionis iaculo plagari et hesitare vehementer, ne ceteri similibus peccatis essent involuti.

In prima vero regula ponit, quod fratres, quando non haberent sacerdotes, seculi sacerdotibus confiterentur. Ait enim [3]:

(*a*) B *catholici sint.* — (*b*) E *a uita et fide.* — (*c*) Ed. Reg. 1 *expellatur.* — (*d*) E om. *et penitentiam postularet.* — (*e*) E *maledictionem dei.* — (*f*) Ita E, A *inuenerit.* — (*g*) E om. — (*h*) B *hedificati.* — (*i*) E *eorum.* — (*k*) E *talia de iis.* — (*l*) E *ut.*

[1] Cap. 19, *Opusc.* p. 49.

[2] Cf. Luc. X, 33 ss.

[3] Reg. 1, c. 19, *Opusc.* p. 49.

Et omnes clericos et omnes religiosos habeamus pro dominis in hijs, que spectant ad salutem animae et (*a*) *a nostra religione non deviaverint* (*b*), *et vitam et amministrationem* (*c*) *eorum in* (*d*) *Domino veneremur. Fratres*[1] *mei benedicti, tam clerici quam laici, confiteantur peccata sua sacerdotibus nostre religionis, et si non potuerint* (*e*), *confiteantur alijs discretis et catholicis sacerdotibus, scientes firmiter et actendentes, quia a quibuscunque sacerdotibus catholicis acceperint penitentiam et absolutionem, absoluti proculdubio erunt ab illis peccatis, si peninitentiam iniunctam procuraverint humiliter et fideliter observare. Si vero tunc non potuerint habere sacerdotem, confiteantur fratri suo, sicut dicit apostolus Iacobus*[2]: Confitemini alterutris (*f*) peccata vestra. *Non tamen propter hoc dimictant ad sacerdotes recurrere, quia potestas ligandi et absolvendi* (*g*) *solis sacerdotibus est concessa. Et sic contriti et confessi sumant corpus et sanguinem Domini nostri Ihesu Christi cum magna veneratione et humilitate, recordantes quod ipse* [*f.* 62 *r*] *Dominus dicit*[3]: Qui manducat carnem (*h*) meam et bibit meum sanguinem, habet vitam eternam. *Et*[4]: Hoc facite in meam commemorationem.

Ammonet autem ministros et fratres, *ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira et conturbatio in se* (*i*) *et in aliis inpediunt caritatem.* Ita enim debemus pro peccatis aliorum dolere et turbari (*k*), sicut dolemus et turbamur (*l*) nobis ipsis de peccatis nostris, quando verum spiritum contritionis habemus, immo sicut Dominus noster super Laçarum turbatus doluit et lacrimas fudit[5], et *videns civitatem super illam flevit*[6]. *Ira* (*m*) enim *et turbatio* vitiosi semper (*n*) est sine pietate et dis-

(*a*) B om. *et - deuiauerint.* — (*b*) Ed. Reg. 1 *deviant.* — (*c*) B *ministrationem.* — (*d*) E om. *in domino.* — (*e*) Ed. Reg. 1 *poterunt.* — (*f*) E *alterutrum.* — (*g*) E *soluendi.* — (*h*) E *meam carnem.* — (*i*) E *ipsis.* — (*k*) BE *conturbari.* — (*l*) E *conturbamur.* — (*m*) Codices *ita,* sed AB cor. *ira.* — (*n*) E *est semper.*

[1] Reg. 1, c. 20, *Opusc.* p. 49-50.
[2] V, 16.
[3] Ioh. VI, 55.
[4] Luc. XXII, 19.
[5] Cf. Ioh. XI, 35.
[6] Luc. XIX, 41.

cretionis modestia, et inpetum sue severitatis çelum divine iustitie vult putari, et dum alijs est inmisericors et crudelis in minimis, sibi in quibuscunque gravissimis est mansuetus et pius. Tenentur enim *ministri, et qui aliorum sunt servi* [1], ex bona voluntate cum benignitate multa corrigere fratres suos, et delinquentes corripere, ut virtuosi, purgatis culpis et defectibus, coram Domino fiant, et non negligere quecunque ad emendationem et salutem pertinent et utilia sunt. Nichil autem ex arrogantia vel passione ire vel furoris contra delinquentes loqui vel facere convenit, set ex viscerosa et paterna dilectione et cum intentione spiritualis utilitatis et spe meliorationis, ut labor et studium spiritualis salutis subditorum, qui requiritur ab eis qui ministrant, fructificent in corripientibus et correptis promissam sanctis hereditatem in regno celorum.

---

[1] Cf. Reg. 2, c. 10, *Opusc.* p. 71.

[Octavum Capitulum] (*a*).

Universi fratres unum de fratribus istius religionis (*b*) [1] etcetera. Nunc in VIII° capitulo (*c*) isto de electione generalis ministri et de regimine ordinis in generali datur utilis informatio, et modus conveniens de electione generalis ministri, servi professorum evangelice vite. Qui secundum Christi benignam et humilem conversationem suis discipulis ministrantis ad commune regimen in generali (*d*) capitulo electus, iuxta nominis sui inportationem, debet *in medio* fratrum suorum, *sicut qui ministrat* [2], humilitatis, paupertatis (*e*) et omnium perfectarum virtutum esse speculum et forma. Quoniam, tam ipse qui preest, quam qui obediunt, Christo conformari et eius vitam imitari tenentur, sicut sanctus Basilius in regula sua [3] docet:

« Oportet, inquid, et eum qui preest certum esse, quia non secundum rationem astare (*f*) fratri suo gravem ei et inevi- [*f.* 62 *v*]· tabilem iram (*g*) superducere (*h*). Nam *sanguis eius ex manibus suis requiretur* [4], et obedientem (*i*) ita inperare, quod certum eum faciat, ita quod ad nullum mandatum usque (*k*) ad durissimum contristetur, *quia ei merces multa est in celis* [5]. Obedientem quidem ergo (*l*) letificet spes glorie, ut in omni gaudio et patientia

(*a*) A add. manu post., B *De generali ministro,* E (rubr.) *De electione generalis ministri huius fraternitatis et de capitulo pentecostes. Cap. VIII.* — (*b*) B add. *teneantur,* E cont. usque *seruum totius fraternitatis.* — (*c*) E *cap. isto VIII.* — (*d*) E *capitulo generali.* — (*e*) BE add. *pietatis.* — (*f*) B *astari.* — (*g*) Ita BE et Edit., A *un.* (?) — (*h*) BE *superinducit.* — (*i*) BE *obedienti.* — (*k*) E add. *etiam.* — (*l*) E om.

[1] *Opusc.* p. 70.

[2] Cf. Luc. XXII, 27.

[3] *Reg. fusius tractata,* Resp. 29, Migne, P. G. 31, 991.

[4] Cf. Ezech. III, 18.

[5] Luc. VI, 23; Matth. V, 12.

opus Dei fiat ». « Eum[1] vero qui preest non extollat dignitas, ut non et ipse excidat a beatificatione humilitatis aut *elatus in laqueum* et ipse *incidat dyaboli*[2], set illud certissime sciat quod plurium cura, plurium (*a*) in obsequium est. Sicut igitur qui multis famulatur plagatis, et abstergit quidem (*b*) saniem uniuscuiusque plage, afferre autem auxilia secundum proprietatem subiecte afflictionis, non extollentie occasionem obsequium accipit, set magis humilitatis et agonie, ita et (*c*) multo plus qui infirmitates fraternitatis sanare creditus est, sicut omnium famulus (*d*) et pro omnibus habens reddere rationem in meditatione et agonia fieri debet. Hoc enim modo dirigetur ab eo destinatio Domini dicentis[3]: *Si quis vult in vobis primus esse, sit omnium novissimus et omnium servus et minister* ».

Qui autem fraternitati preest, debet seipsum bono pastori Christo in omnibus et per omnia conformare, et in universis que agit et loquitur vigilanter actendere, sciens quoniam omnes in eum tanquam in exemplarem ymaginem intuentur, et que dicuntur et fiunt ab eo, diffinitionem et legem (*e*) putant. Verum pastorem caritas demonstrat. Propter caritatem enim *pastor* (*f*) *bonus*[4] Christus crucifixus est, cuius amor, si repleverit cor pastoris, ab omni tumore et humano timore custodiet. Sancto Domini timore repletus in universis (*g*) laboribus erit patiens et letitiam possidebit; spei namque fiducia roboratus, celestia sitiens inferiora contempnit, et *ut stercora arbitratur*[5]. Ita enim exibetur diligens super terram evangelica vita, ut dicit sanctus (*h*) Macharius (*i*) in *epistula* sua *prima*[6], quam rogatus *de perfectione* scripsit ad cenobitas. Ait enim:

(*a*) B om. — (*b*) B om. — (*c*) E om. — (*d*) A *famulis*. — (*e*) E add. *habuisse*. — (*f*) E *Christus pastor bonus*. — (*g*) E *omnibus*. — (*h*) E om. — (*i*) Ita E, A *Marcharius*.

---

[1] L. c. Resp. 30, ib.

[2] 1 Tim. III, 6.

[3] Marc. IX, 34.

[4] Ioh. X, 11; 14.

[5] Cf. Philip. III, 8.

[6] Agitur de Macario Aegyptio, locus vero, quem Clarenus citat, non habetur in epistola 1 in editione ap. Migne, sed in ep. 2, Migne, P. G. 34, 422-23. Quaedam similia cf. in eiusdem tractatu *De perfectione in Spiritu*, n. 8-11, Migne, P. G. 34, 847 s. Neutri vero loco plane ad verbum correspondet citatio Clareni.

« Post vestigia Domini pergere concupiscens, recedat penitus ab omnibus carnalibus delectationibus, et seipsum tradens exibeat fraternitati, abnegans secundum evangelium [1] *patrem et matrem et filios et sorores*, cognationem, divitias, gloriam, nobilitatem, ad fraternitatemque veniens abneget *insuper animam suam* [2]. Quid autem est abnegatio anime, quam quod seipsum fraternitati perfecte tra- [*f.* 63 *r*] ditum penitus det, et proprias voluntates omnino non perficiat, set verbis Dei seipsum per prelatum inpendere et semper in (*a*) mundis mandatorum intentionibus animam ornare et easdem proprias estimare, nec habere aliquid penitus in propria potestate, nec etiam vestem quam ad operimentum fert, ut semper sine cura et sollicitudine esse valeat. Quando omnes fratres invicem cum omni gaudio hijs qui presunt obediunt, et hij qui presunt serviunt (*b*) subditis, tanquam domini filijs, tunc in simplicitate et puritate et unanimitate et innocentia cordis cum omni humilitate fratres bene et iocunde in unum conveniunt, quemadmodum Dominus dixit: *Qui vult in vobis primus esse, sit omnium ultimus et omnium* (*c*) *minister* [3] ».

Et sanctus Basilius qualis autem esse debet, qui talibus servit et preest, in alio capitulo regule ponit dicens [4]: « Ecce tu, qui terrenarum rerum abrenuntiatione teipsum apud Christum honorasti, set (*d*) in multa cura et circumspectione intelligentie facito, inveniens hominem, primum tue conversationis errare nescium, bene precipientem et peritum ducere et regere ad Deum pergentes (*e*), ornatum virtutibus, ex propriis operibus testimonium habentem caritatis ad Deum, perfectionem habentem et scientiam divinarum scripturarum, non occupatum curis vite, sine amore argenti, sine negotijs et curiositate, tranquillum, Dei amicum, amatorem pauperum et paupertatis, inirascibilem, sine malitie memoria, multum (*f*) ad hedificationem appropinquantium ei, absque vana gloria, sine superbia, non blanditorem nec adulatorem, gaudentem, inevertibilem, nichil prehonorantem Deo ». Hec Basilius.

(*a*) BE om. — (*b*) E *obediunt.* — (*c*) B om. — (*d*) E *cum multa.* — (*e*) B *pergentem.* — (*f*) E *multus.*

[1] Cf. Matt. XIX, 29; Marc. X, 29; Luc. XVIII, 29.

[2] Luc. XIV, 26.

[3] Marc. IX, 34.

[4] Quod sequitur S. Basilius non dicit in Regula, sed in *Sermone ascetico*, n. 3, Migne, P. G. 31, 631.

De hoc in *prima legenda* (*a*) [1] sic scriptum erat (*b*): Dixit beato Francisco frater quidam: « Pater, tu transibis et familia tua te secuta in valle lacrimarum relinquetur ». « Respondit sanctus Franciscus cum multis suspirijs: Fili, tante multitudinis ducem et tam ampli gregis pastorem nullum sufficientem intueor, set volo vobis unum depingere in quo reluceat, qualis debeat esse huius familie pater:

Homo debet esse vite gravis et magne discretionis, fame laudabilis qui privatis amoribus careat, ne cum in parte plus diligit, in toto scandalum generet, cui amicum sit studium sancte orationis, qui certas horas anime, certas gregi sibi commisso distribuat. Nam primo mane missarum debet sacramenta premictere et cum devotione (*c*) seipsum et gregem Domino commendare. Post orationem se ipsum in publico statuat omnibus satisfaciens [*f.* 63 *v*] tanquam pater providens singulis cum mansuetudine et patientia, iuxta singulorum oportunitates *sine personarum acceptione* (*d*) [2], minorum et simplicium equaliter ut maiorum (*e*) et sapientium curam gerens. Qui divinarum scripturarum (*f*) scientiam habeat, in moribus pie simplicitatis et sancte humilitatis ymaginem ferens, domine paupertatis virtutem amet et foveat. Execretur pecuniam ut nostre perfectionis (*g*) precipuam corruptelam, ita ut nullis unquam loculis abutatur, *omnibus* sanctitatis et regularis (*h*) observantie *se ipsum prebens exemplum* [3]. Cui sufficiat habitus et breviarium pro se, pen-

(*a*) E *regula,* in marg. cor. *legenda.* — (*b*) B in marg. manu post.: *qualis debet esse generalis vel prelatus.* — (*c*) A videtur habere *devotionem.* — (*d*) E *acceptatione.* — (*e*) E *sapientium et maiorum.* — (*f*) E *scientiam habeat scripturarum.* — (*g*) E *professionis.* — (*h*) E *regularitatis exemplum seipsum prebens cui.*

[1] Clarenus hic prae oculis habet 2 Cel. 2, 139, p. 307-309, quod capitulum fere integrum affert. Quod autem *primam* legendam vocaverit Thomae Cel. vitam alteram, monstrat ipsum aut Legendam primam eiusdem non cognovisse, aut utramque eodem nomine Legendae *primae,* in oppositione ad Legendam posteriorem S. Bonaventurae, comprehendisse. Quod vero hoc nomine *Speculum perfectionis,* ubi, ed. Sabatier, c. 80, p. 154-58, idem exhibetur textus, designare voluisset, hoc plane excludendum esse nemo est quin videat. — Clareni textus ab utroque in aliquibus discrepat, sed magis ad textum Celani accedere mihi videtur. Idem textus ap. *Spec. Vitae,* Venetiis 1504, f. 67r-68v; *Legg. ant.* c. 46, p. 90-92.

[2] 1 Pet. I, 17.

[3] Cf. Tit. II, 7.

narium vero et sigillum pro fratribus. Non sit aggregator librorum, nec lectioni multum intentus, ne sanctitati et officio subtrahat quod prerogat studio, qui consoletur temptatos et afflictos et sit refugium tribulatis et medicus remedia sanitatis prestans cum benignitate infirmis, sua mansuetudine et mititate protervos (*a*) et elatos docens humilia sapere, et sua non querens, animas Christo (*b*) lucretur. Peccantibus et apostatantibus viscera pietatis gerens, ut *bonus pastor*[1] *oves, que perierant*[2], ad ovile reducat, sciens validas esse temptationes, que ad tantum possunt inpellere casum.

Ab omnibus vellem eum honorari vice Christi et in omnibus cum omni benivolentia ipsi (*c*) in necessarijs provideri. Verum oportet eum non arridere honoribus, neque (*d*) favoribus plusquam oneribus delectari. Si quandoque propter labores indigeret propensiori cibo, non in abditis set in publicis locis assumet, ut alijs tollatur verecundia debilibus providendi (*e*) corporibus. Ad eum maxime pertinet distinguere ea, que in conscientijs latent subditorum, et de occultis et secretis eorum cordium invenire veritatem, multiloquiis (*f*) non prebere aures, et diligentium iustitiam et sanctitatem sit sollicitus audire consilia. Qui cupiditate retinendi honoris virilem formam iustitie non obscuret, et tantum pondus officii plus sibi sentiat esse oneris quam honoris. Non tamen ex superflua mansuetudine torpor nascatur in subditis, nec relaxatio indulgentie dissolutionem generet discipline, ut, cum amori sit omnibus, non tamen minus sit terrori hijs qui operantur malum. Vellem autem eum habere socios, qui se cum omnibus omnium *bonorum* (*g*) *operum* [*f.* 64 *r*] *preberent exemplum*[3], rigidos adversus voluptates, fortes contra angustias, et ita convenienter affabiles, ut omnes qui convenirent (*h*), cum sancta iocunditate reciperent. Ecce, inquid, talis generalis minister debet (*i*) esse istius fraternitatis ».

Et quoniam qui talis (*k*) et tantus semper (*l*) Christi, qui in ipso manet, opere et sermone docet et annuntiat Domini voluntatem[4],

(*a*) E *docens protervos et elatos.* — (*b*) E *Domino.* — (*c*) B *ipsis.* — (*d*) B add. *in.* — (*e*) E *corporibus prouidendi.* — (*f*) B videtur legendum *multiloqueriis* vel *multiloquariis.* — (*g*) E *prebent operum bonorum exemplum.* — (*h*) B in marg. add. alia manu: *ad eos.* — (*i*) E *esse debet.* — (*k*) E add. *est.* — (*l*) B in marg. add. *ea que sunt.*

[1] Cf. Ioh. X, 11; 14; 16.
[2] Matth. X, 6; XV, 24.
[3] Cf. Tit. II, 7.
[4] Constructio est: *qui... docet... Christi Domini voluntatem.*

ideo omnes tanquam Dei dispensatori et ministro [1] *tenentur firmiter obedire. Qui* enim eum *audit,* Christum *audit, et qui* eum *spernit,* Christum *spernit* [2].

Quo decedente, electio, successoris fiat a ministris provincialibus et custodibus in capitulo Pentecostes, in quo provinciales ministri etcetera. *Tenentur* omnes *fratres habere* unum *generalem et servum totius fraternitatis,* cuius *electio* debet fieri *a ministris provincialibus et custodibus,* nec possunt eligere nisi eiusdem ordinis fratrem et professorem, cui est ab omnibus *firmiter* et inmobiliter obediendum. Sicut enim omnes fideles summam obedientiam et reverentiam exibere tenentur summo pontifici, ita omnes fratres *tenentur obedire* suo generali. Et sicut ad cardinales spectat summi pontificis electio, ita ex regula ad solos ministros et custodes electio generalis. Set quando cardinales ab aliquo tyramno occiderentur vel inpedirentur alio modo, ita quod eligere non valerent, episcopi et ceteri principes christiani et omnis clerus debent efficaciter, quam (*a*) possunt, operam dare, ut electio fiat et ecclesia non sit absque pastore, sic omnes fratres tenentur, quando a ministris et custodibus propter aliquod scandalum non posset electio fieri, procurare totis viribus habere generalem.

Quod autem nunc unus solus custos (*b*) vadit ad capitulum generale de (*c*) provinciis singulis, ex auctoritate (*d*) inpetrati fit privilegij [3] ab ecclesia propter aliquas convenientias et utilitates spirituales (*e*) apparentes. Set cum Christus dixerit sancto Francisco quod volebat [4] quod regula, quam ipse sibi revelaverat, servaretur ad literam, ad literam, ad literam, et (*f*) sine glosa, idest fideliter, veraciter et ex caritate ad Christi gloriam; et in *Testamento* (*g*) suo literas ab ecclesia inpetrari prohibuerit [5], et regulam *simpliciter et sine glosa* servari mandaverit [6]: non debemus hesitare, quin melius et utilius et coram Deo magis gra-

(*a*) B cor. *quantum.* — (*b*) E om. — (*c*) A add. *omnibus,* sed postea delevit, BE om. — (*d*) E *ratione.* — (*e*) E om. — (*f*) E om. — (*g*) E *suo testamento.*

[1] Cf. 1 Cor. IV, 1; Tit. I, 7; 1 Pet. IV, 10.
[2] Cf. Luc. X, 16.
[3] Scl. Bulla Greg. IX, *Quo elongati,* Sbaralea, *Bull. Franc.* I, p. 70.
[4] Cf. supra, p. 128.
[5] *Opusc.* p. 80.
[6] Test. *Opusc.* p. 82.

tum et meritorium fuisset in hoc et in alijs regulam simpliciter et literaliter observare quam sub specie spiritualis profectus dispensationes tales contra intentionem fundatoris et testamentalem suam (*a*) [*f.* 64 *v*] prohibitionem (*b*) per privilegia procurare. Nam frequenter custodes plures erunt in provincia, qui discretione et prudentia et spiritus virtute, ministros non solum equiparant, set quandoque excedunt, et facta ordinis non minus intelligunt. Et si ministri et custodes pro illo tempore se mutuo sociassent et noluissent (*c*) secum obsequentes ducere socios [1], non propter hoc fuisset numerus fratrum excessive multiplicatus in capitulo generali. Nam tempore sancti (*d*) Francisci convenerunt apud Asisium in capitulo generali quinque milia [2] fratres. Ex debita vero custodum aggregatione in capitulo pentecostes, cum plures provincie sint que tres habent custodes et (*e*) alie que quatuor habent, triginta [3] ministri associati custodibus quadringentorum fratrum non excederent numerum et cum maiori utilitate et merito ex labore (*f*), regula secundum quod determinat (*g*), simpliciter (*h*) servaretur.

Intentio regule est quod celebretur capitulum generale. Ad capitulum vero pertinet ordinare ea, per que possint religionis puritas et sanctitas perfectius custodiri. Ea vero que cum tali gene-

(*a*) A repetit *suam.* — (*b*) E om. — (*c*) E *uoluissent.* — (*d*) E *beati.* — (*e*) E *aliȩ quatuor, triginta.* — (*f*) E om. *ex labore.* — (*g*) Ita BE, A *determinant.* — (*h*) E *seruaretur simpliciter.*

[1] Cf. querelam Ubertini a Casali, *Rotulus iste* (a. 1310-11), ed. Ehrle, ALKG, III, 121: *Item fratres prelati, qui veniunt ad capitula quasi semper ducunt bursarios et plurimi vadunt equitando pompose....* Capitulum Assisii a. 1295 habitum speciale statutum hac de re edidit: *Vetitum etiam, ne supernumerarii fratres accederent ad Comitia generalia, neque ad urbem, in qua erant celebranda, praeter solos Patres ad hanc functionem ex Regula conscriptos: neque hi auderent alios secum ducere absque licentia Primicerii.* Wadd. ad a. 1295, n. 12, ed. 2, V, 336-37; Ehrle, ALKG, VI, 65.

[2] Cf. S. Bonav. *Leg. mai.* IV, 10, p. 41; Eccleston, *De adventu Min. in Angliam*, n. 6 (5), *Anal. Franc.* I, 232; Little, *Tractatus Fr. Thomae vulgo dicti de Eccleston,* Paris 1909, p. 66; *Spec. perf.* c. 68, p. 131; Glassberger, *Anal. Franc.* II, 18; cf. ALKG, III, 169 et supra, p. 82. Iordanus vero a Iano, *Chronica,* 16, tria milia indicat, *Anal. Franc.* I, 6; ed. Boehmer, 16.

[3] Tempore Clareni numerus Provinciarum maior erat quam triginta. Anno scl. 1239 numerus stabilitus est 32, et a. 1272, 34. Cf. Golubovich, *Series Provinciarum* ap. *Arch. Franc. Hist.* I, 1908, 1 ss; Idem, *Le Provincie dell' Ordine Minoritico nei secoli XIII e XIV, in Europa e nell' Oriente Francescano* ap. *Luce e Amore,* VIII, Firenze 1911, 377-429.

rali diffinitione fiunt, ab omnibus superioribus et inferioribus debent servari et suscipi [1]; et tanto melius a superioribus, quanto obligatiores sunt ex susceptis a Deo donis et dispensatione officij sue providentie, bonarum operationum (*a*) multiplicem fructum ferre et exemplis virtuosis illuminare (*b*) subditos. Auctoritas autem loci et temporis (*c*) celebrandi capitulum generale residet apud ministrum generalem, potestas vero successorem vel *alium* assumendi, si ille qui preest, *non* esset utilis *ad servitium et communem utilitatem fratrum*, penes capitulum generale, idest ministros et custodes residet. Unde possunt et debent quando generalis (*d*) incurabilem incurrisset infirmitatem, vel alias ipse rationes inpossibilitatis assignaret, propter quas fratribus servire non posset, aut causas alias iustas et congruas nossent, propter quas et ministro et ordini utilius esset officio cedere, tunc *in nomine Domini tenentur sibi* (*e*) *alium eligere in custodem* [2]. Custodem *ministrum* appellat (*f*) *et servum* regula, quoniam humilitatis nomina Christi operibus et doctrine conveniunt et amabilia esse noscuntur.

(*a*) B add. *et*. — (*b*) E *subditos illuminare*. — (*c*) E *tempus*. — (*d*) BE add. *in*. — (*e*) E *alium sibi*. — (*f*) BE *et seruum appellat*.

---

[1] Praedicta fere ad verbum desumpta sunt ex *Expositione Quatt. Mag.*, c. 8, *Firm.* Paris. 1512, IV, 20 va (ed. Venet. 1513, III, 18 va): *Sed cum ex intentione regule sit quod celebretur capitulum generale; ad capitulum vero generale pertinet ordinare ea, per que potest religio̅nis puritas et perfectio custodiri, ita quod a nemine superiorum vel inferiorum possit aliquatenus violari.....*

[2] Hugo de Digna, *Expos. Reg.*, c. 8, *Firm.* Paris. 1512, IV, 50 rb-va (ed. Venet. 1513, III, 48 va) ad hunc locum Regulae observat: *Nomen custodis extendit se ad generalem et provinciales ministros. Unde hoc loco minister generalis custos vocatur, et inferius ministri provinciales custodes nuncupantur, sicut nomen ministri ad generalem, provincialem et secundum antiquam, ut dicitur, nominationem, etiam ad localem ministrum extenditur. Antiquitus enim, ut pretactum est,* [cf. supra, p. 105, nota 2] *qui singulis preerant locis, dicebantur ministri; licet etiam ad pleniorem forte distinctionem officii dicti sint gardiani. Sed nomen proprium magis regule competit, sepeque ad intelligentiam facit eius. Proprietas autem officii propter varietatem vocabuli non mutatur, nisi dicas localium ministrorum officium nequaquam per regulam institui; sed istud totaliter ministrorum provincialium et custodum dispositioni relinquitur, qui antiquitus singuli per seipsos singulis, prout videbatur, locis de rectoribus providebant. Sed eodem modo provinciales a generali ministro et custodes a provincialibus ponebantur.* — Contra haec videtur scripsisse P. I. Olivi, *Expositio Reg.*, c. 8, *Firm.* Venet. 1513, III, 121 ra-b.

Unde in prima regula [1] erat scriptum: « *Et nullus in vita ista vocetur prior, set generaliter omnes vocentur Fratres Minores et alter alterius lavet pedes* ». Sanctus Franciscus, sicut Fratres Minores suos fratres vocari voluit [*f.* 65 *r*] propter humilitatis Christi imitationem et reverentiam, ita omnium regularium (*a*) dispensatorum (*b*) nomina (*c*) et officiorum assumpsit humilia, ut guardiani, custodis, ministri et fratris et servi, ut omnem fastum (*d*) et preminentiam et (*e*) elationem et iactantiam et ambitionem et superbiam veritati nominis et vite promisse summe et singulariter omnes fratres sentirent et cognoscerent esse contraria, et omnia fratrum officia, non ut dignitates et prelationes volebat a fratribus estimari, set ut abiectionis et humilitatis et servitutis obsequia suscipi, et ex eorum executione (*f*) sibi ipsis vilescere et profundius humiliari [2].

(*a*) Ita E, A *regularius.* — (*b*) BE *dispensationum.* — (*c*) E *et officiorum nomina.* — (*d*) A *faustum.* — (*e*) E om. — (*f*) E *executionibus.*

[1] Cap. 6, *Opusc.* p. 32.

[2] Similia ap. Petrum Iohannis Olivi, *Expositio Regulae,* c. 8, *Firm.,* Venet. 1513, III, 121 rb: *Nota etiam quomodo sequendo nomina evangelica a Christo sumpta cunctis prelatis ordinis assignat nomina humilima et nomina servilia et obsequiosi operis, non ociose quietis.... Superiores etiam sui status noluit* [Editio: *voluit*] *esse dominos, nec adulatorie vocari beneficos, sed potius esse et dici esse ministratores.*

[Nonum Capitulum] (*a*).

Fratres non predicent in episcopatu alicuius episcopi [1] etcetera. In hoc capitulo ostendit sanctus Franciscus quod Christus eum docuit auctoritatem ecclesie et omnes prelatos et omnes sacerdotes in summa debere veneratione et reverentia haberi (*b*) et quod (*c*) illi qui predicatoris officium in sua haberent (*d*) religione, quanto (*e*) sapientiores alijs fratribus (*f*) essent, tanto plenius et efficacius prelatis et clericis omnibus quantumcunque simplicibus cum humilitate omnem honorem et subiectionem exiberent.

Et de hoc sic dicit in suo *Testamento* [2]: *Quoniam Dominus dedit michi et dat tantam fidem in sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sancte Romane ecclesie, propter ordinem ipsorum, quod si facerent michi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam quantam habuit* (*g*) *Salomon et invenirem pauperculos sacerdotes huius seculi, in parrochijs* (*h*) *quibus ipsi morantur, nolo predicare ultra voluntatem ipsorum. Et ipsos et omnes alios volo timere et amare et honorare sicut meos dominos.*

Nam episcopi et rectores ecclesiarum ex debito sui officij melius nosse debent ex sua continua cura et sufficientia et scientia, quando et qualiter et per quos sint ammonendi qui sub ipsis sunt, quam quicunque extranei, nec debet quisquam falcem suam mictere in messem alienam [3]. Hinc in prima regula [4] dicit sic:

(*a*) A add. manu post., B *De predicatoribus*, item E (rubr.) et add. *cap. IX*. — (*b*) Ita BE, A *habere*. — (*c*) B om. — (*d*) E *religione haberent*. — (*e*) Ita E, A *quam*. — (*f*) E *essent fratribus*. — (*g*) E *Salomon habuit*. — (*h*) B add. *suis*, E *ecclesiis suis*, in marg. *parrochiis*.

[1] *Opusc.* p. 71.
[2] *Opusc.* p. 78.
[3] De modo se habendi ad episcopos cf. supra, p. 129.
[4] Cap. 17, *Opusc.* p. 46-48.

Nullus fratrum predicet contra formam et institutionem ecclesie, et nisi sibi concessum fuerit a ministro suo. Caveant vero sibi ministri, ne alicui indiscrete concedant (*a*). *Omnes tamen fratres operibus predicent. Et nullus minister vel predicator appropriet sibi ministerium fratrum vel officium predicationis, set quacunque hora ei* (*b*) *iniunctum fuerit sine* (*c*) *omni condictione dimictat* (*d*) *officium suum. Unde deprecor in* caritate, *que* Deus est [1], *omnes fratres meos, predicatores, oratores, laboratores, tam clericos quam laycos, ut studeant se humiliare in omnibus, non gloriari nec in se gaudere, nec interius se exaltare* [*f.* 65 *v*] *de bonis verbis et operibus, immo de nullo bono quod aliquando Deus facit, dicit* (*e*) *et operatur in eis et per ipsos, secundum quod dicit Dominus* [2]: Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis (*f*) subiciuntur.

Et firmiter sciamus quia non pertinent ad nos nisi vitia et peccata. Et magis debemus gaudere cum in temptationes varias inciderimus [3], *et cum substineamus* (*g*) *quascunque anime vel corporis angustias et tribulationes in hoc mundo propter vitam eternam. Omnes ergo fratres caveamus ab omni superbia* (*h*) *et vana gloria, et custodiamus nos a sapientia huius mundi et prudentia carnis. Spiritus enim carnis vult et studet multum ad verba habenda, set parum ad operationem, et querit non religionem et sanctitatem in* (*i*) *interiorem spiritum, set desiderat et habere vult religionem et sanctitatem foris hominibus apparentem. Et isti sunt de quibus dicit* (*k*) *Dominus* [4]: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Spiritus autem Domini vult mortificatam et* (*l*) *despectam, vilem et abiectam esse carnem nostram, et studet ad humilitatem et patientiam et puram et simplicem et veram pacem spiritus, et semper super omnia desiderat divinum timorem et divinam sapientiam et divinum amorem Patris et Filij et Spiritus Sancti.*

(*a*) Ita recte BE, A *concedat.* — (*b*) E *illi.* — (*c*) E *dimittat sine condictione officium suum.* — (*d*) B cor. *admictat.* — (*e*) E om. — (*f*) E *subiciuntur uobis.* — (*g*) B *sustineremus,* E *sustinuerimus.* — (*h*) E *uana gloria et superbia.* — (*i*) B om. — (*k*) E *dominus dicit.* — (*l*) E om.

[1] Cf. I Ioh. IV, 8.

[2] Luc. X, 20.

[3] Iac. I, 2.

[4] Matth. VI, 2.

Et (*a*) *omnia bona Domino Deo altissimo et summo reddamus et omnia bona ipsius esse recognoscamus, et de omnibus ei gratias referamus, a quo bona cuncta* (*b*) *procedunt, et ipse altissimus et summus verus* (*c*) *solus Deus habeat ea et ei reddantur, et ipse recipiat omnes honores et reverentias, omnes laudes et benedictiones, omnes gratias et omnem gloriam, cuius est omne bonum, qui* solus *est* bonus [1]. *Et quando audimus homines malum dicere vel facere vel Deum blasphemare, nos benedicamus et benefaciamus et laudemus Deum, qui est benedictus in secula seculorum* (*d*). Hec sanctus Franciscus in prima regula.

Qui futurorum prescius dicebat [2]: Quoniam tot erunt adhuc in religione, qui libenter ascenderent ad scientiam, quod beatus erit, qui se fecerit sterilem amore Dei. Et iterum: Fratres mei, qui scientie curiositate ducuntur, in die tribulationis manus (*e*) invenient vacuas. « Cum enim predicaverint et noverint (*f*) aliquos inde hedificari vel converti ad penitentiam, inflantur et se extollunt de lucro alieno, quoniam quos credunt suis verbis hedificari et ad penitentiam converti, Dominus hedificat et convertit orationibus sanctorum fratrum, licet illud ipsi (*g*) ignorent, quia sic est voluntas Domini (*h*), ne inde superbiant ». Unde vellem eos magis roborari virtutibus, et sanctitatem [*f.* 66 *r*] preferre scientie, ut cum tempora tribulationis advenerint, secum haberent in angustia (*i*) Dominum. Futura est enim tribulatio talis qua libri ad nihilum utiles in fenestris proicientur et latebris.

Receptionem namque pecunie et hedificia sumptuosa et fastum scientie et privilegia et familiaritates monialium et superbiam pestes destructivas et exterminativas sue religionis in posterum previdebat, et ab hijs singulariter omnes (*k*) fratres suos voluit esse non solum longinquos, set penitus alienos. Unde nullo modo voluit, quod aliquis suorum *fratrum*, quantumcunque peritus scientia,

(*a*) E add. *ut.* — (*b*) A *cunta.* — (*c*) E add. *et.* — (*d*) BE add. *amen.* — (*e*) E add. *suas.* — (*f*) B *noluerint*, E *uiderint.* — (*g*) B om., E *licet illi ignorent.* — (*h*) E *dei.* — (*i*) A *agustia.* — (*k*) E *uoluit fratres suos non solum longinquos.*

[1] Cf. Luc. XVIII, 19.

[2] Quae sequuntur usque *proicientur et latebris* desumpta sunt ex *Intent. Reg.* n. 8-9, *Doc. ant. franc.* p. 90-91; *Spec. Perf.* c. 72, p. 142 ss. Cf. etiam Ubert. a Cas., *Arbor Vitae,* V, 3, fol. D II vb; Barth. Pis. *Anal. Franc.* IV, 616; *Legg. ant.* c. 74, p. 170 ss.; *Spec. Vitae,* Venet. 1504, f. 51 r. ss.

populo predicaret, nisi prius *a ministro* (*a*) *examinatus et approbatus* esset, *et ab eo sibi officium* concederetur (*b*) predicandi.

Nam Gregorius Naçaçenus et Iohannes Crisostomus, et breviter omnes doctores, multa scripserunt ad ostendendum innumera mala, que germinaverant iam in ecclesia ex ambitione docere volentium antequam discere, et sanctificare et (*c*) illuminare alios, antequam illuminati et sanctificati a Christi spiritus unctione, que docet de omnibus cum perfectione virtutum. Fratres autem alijs rationibus moti ex vi privilegij inpetrati [1], in provincialibus eorum capitulis examinationem predicatorum faciunt et *officium predicationis* concedunt, que auctoritas omnibus provincialibus ministris auctoritate papali, propter spirituale animarum lucrum dicunt (*d*) pie concessam (*e*). Nam absque spiritus unctione et perfecta possessione virtutum predicatio casta et munda ab omni labe erroris et pura ab omni vanitate et cupiditate questus et turpis lucri et carnalis inpuritatis, et circumspecta et discreta et examinata cum providentia convenienti et utilis et fructuosa ad extirpanda *vitia et* plantandas *virtutes* in cordibus auditorum fieri non potest. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, anime vero sue detrimentum patiatur?* [2]

Exortatur autem legitime accipientes *predicationis officium* quod *sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et hedificationem populi,* nichil vanum aut (*f*) curiosum, aut falsum vel dubium, et (*g*) superfluum et inutile continentia. Quod fit cum annuntiant (*h*) auditoribus *vitia et virtutes,* eo quod mundari a vitijs et rectificari et iustificari virtutibus, sine quibus salus esse non potest, *est omni credenti* necessarium *ad salutem* [3]. Vitiosi enim et peccatis gravati [*f.* 66 *v*] ad debitum eis penarum infernalium eternum supplicium *in momento descendunt* [4]. Quare primo oportet purgari ab omni inquinamento carnis et spiritus, et secundo con-

(*a*) BE add. *generali.* — (*b*) E *officium predicationis concederetur.* — (*c*) E *alios et illuminare antequam illuminati essent.* — (*d*) BE add. *quod sit.* — (*e*) BE *concessa.* — (*f*) B *et.* — (*g*) B *uel,* E *aut.* — (*h*) Codices *annuntiat,* E *auditoribus annunciat.*

[1] Bulla Greg. IX, *Prohibente Regula vestra,* 12 dec. 1240, *Bull. Franc.* I, 287. Cf. Quatt. Mag., c. 9, *Firm.* Paris. 1512, IV, 20 va (Venet. 1513, III, 18 v).

[2] Matth. XVI, 26.

[3] Cf. Rom. I, 16.

[4] Cf. Iob XXI, 13.

sequenter virtutibus sanctis, fide (*a*), humilitate, obedientia, caritate, veritate et pace, sapientia et castitate indui et ornari, ut induti (*b*) *veste nuptiali* [1], non excludamur a regno.

Talem autem predicationis formam, quam exortando commendat et docet, prophetatam ab Ysaia, et assumptam ab apostolis, *ad Romanos,* proponit ut utilem et necessariam, et in qua omnia fidei opera et veritatis spei (*c*) et gratie et caritatis affectus cum omnibus causis dampnationis et salutis et penarum et premij, breviter comprehenduntur: *Verbum* enim *abbreviatum fecit Dominus super terram* [2]. Quia homo factus et inmolatus in cruce pro nobis, morte deglutita, resurrexit, et Spiritum Sanctum discipulis dedit et certos de gloria regni eterni fecit, quam credentibus et diligentibus Christum predicaverunt et promiserunt. Qui enim servat mandatum eius, habet vitam eternam [3]; *hoc est autem mandatum, ut credamus in nomine Filij eius Ihesu Christi, et diligamus alterutrum, sicut mandatum dedit nobis* [4]. Christus Ihesus est nobis resurrectio per fidem, et vita gratie et glorie per caritatem. Et hoc est *verbum* abrevians in veritate, quod *fecit Dominus super terram.*

(*a*) BE add. *et.* — (*b*) E *ornati.* — (*c*) E *et gratię et spei.*

[1] Cf. Matth. XXII, 11.
[2] Reg. 2, c. 9, desumptum ex Rom. IX, 28.
[3] Cf. Matth. XIX, 17.
[4] 1 Ioh. III, 23.

[Decimum Capitulum] (a).

Fratres qui sunt ministri et servi aliorum fratrum (b) [1] etcetera.

De visitatione et correptione et ordinatione fratrum, et de debita et spirituali cura prelatorum super fratres, et quomodo eos *visitent* frequenter (c) et eorum mores diligenter circumspiciant et inquirant et corripiant et moneant benigne *et caritative,* et ad perfectionem sursum consurgere faciant sermonibus et exemplis (d), nichil *eis precipientes, quod sit contra animam suam et regulam* promissam, in prima regula [2] sanctus Franciscus ista (e) dicit:

In nomine Domini omnes fratres, qui constituuntur ministri et servi aliorum fratrum, in provincijs et in locis (f), *in quibus fuerint, collocent fratres suos, quos sepe visitent et spiritualiter moneant et confortent. Et omnes alij fratres mei benedicti diligenter obediant eis in hijs, que spectant ad salutem anime et non sunt contraria vite* (g) *nostre. Et faciant inter se, sicut dicit* (h) *Dominus* [3]: Quodcunque (i) vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis; *et* [4]: Quod non vis tibi fieri, non (k) facias alteri. *Et recordentur ministri et servi quod dicit Dominus* [5]: Non veni ministrari, set ministrare; *et quia commissa est eis cura animarum* [*f.* 67 *r*] *fratrum, de quibus, si aliquis perderetur* (l)

(a) A add. manu post., B *De admonitione et correctione fratrum,* E (rubr.) ut B et add. *C. X.* — (b) BE add. *uisitent et moneant fratres suos.* — (c) E *frequentius.* — (d) BE add. *et.* — (e) B *ita,* E *ista uerba.* — (f) B add. *in.* — (g) E *regulę.* — (h) E *dominus dicit.* — (i) BE *quecunque.* — (k) E *ne.* — (l) E *perdetur.*

[1] *Opusc.* p. 71.

[2] Cap. 4, *Opusc.* p. 29.

[3] Matth. VII, 12.

[4] Tob. IV, 16.

[5] Matth. XX, 28.

propter eorum culpam et malum exemplum, in die iudicij oportebit eos reddere rationem coram Domino Ihesu Christo.

Ideoque[1] *animas vestras et fratrum vestrorum custodite, quia* orrendum est incidere in manus Dei viventis[2]. *Si quis autem ministrorum alicui fratrum aliquid contra vitam nostram et animam suam preciperet, non teneatur ei obedire; quia illa obedientia non est, in qua delictum vel peccatum commictitur. Verumtamen omnes fratres, qui sunt sub ministris et servis, facta ministrorum et servorum considerent rationabiliter et diligenter. Et si viderint aliquem illorum carnaliter et non spiritualiter ambulare pro rectitudine vite nostre, post tertiam ammonitionem, si non se emendaverit, in capitulo pentecostes denuntient* (*a*) *ministro et servo totius fraternitatis, nulla contradictione inpediente. Si vero inter fratres, ubicunque sint* (*b*), *aliquis frater volens carnaliter et non spiritualiter ambulare* (*c*), *fratres, cum quibus est, moneant eum et instruant et corripiant humiliter et diligenter. Quod si ille post tertiam ammonitionem noluerit se emendare, quam citius possunt, mictant eum vel significent suo ministro et servo. Qui minister et servus de eo faciat, sicut sibi secundum Deum melius videbitur expedire.*

Et caveant omnes fratres, tam ministri et servi quam alij, quod propter peccatum alicuius vel malum (*d*) *non turbentur vel irascantur, quia dyabolus propter unius delictum multos* (*e*) *vult corrumpere. Set spiritualiter, sicut melius possunt, adiuvent illum qui peccavit, quia* non est (*f*) sanis opus medicus, set male habentibus[3]. *Similiter omnes fratres non habeant potestatem vel dominationem, maxime inter se. Sicut enim dicit Dominus in evangelio*[4]: Principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. *Non sic erit inter fratres; set* quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit eorum minister[5] *et servus, et* maior inter eos fiat sicut iunior[6] (*g*).

(*a*) Ita BE, A *denuntiet.* — (*b*) Edit. Reg. 1 add. *fuerit.* — (*c*) E add. *inueniatur.* — (*d*) Edit. Reg. 1 add. *exemplum.* — (*e*) E *uult multos.* — (*f*) B om. — (*g*) Edit. Reg. 1 recte *minor.*

[1] Reg. 1, c. 5, *Opusc.* p. 30.
[2] Heb. X, 31.
[3] Matth. IX, 12; cf. Luc. V, 31.
[4] Matth. XX, 25.
[5] Matth. XXIII, 11.
[6] Luc. XXII, 26.

Nec aliquis frater malum dicat vel malum faciat alteri; imo magis per caritatem spiritus voluntarie serviant et obediant invicem. Et hec est vera et sancta obedientia Domini nostri Ihesu Christi. Et omnes fratres, quotiens (*a*) *declinaverint a mandatis Domini, sciant se esse extra obedientiam, quoadusque de tali peccato exierint. Et quando perseverant in mandatis Domini, que promiserunt per sanctum* (*b*) *evangelium et vitam ipsorum, sciant se in vera obedientia stare, et benedicti sint a Domino.*

Fratres[1] *in quibuscunque locis sunt, si non possunt in illis locis vitam nostram servare, quam citius* [*f.* 67 *v*] *possunt, recurrant ad suum ministrum, ipsi* (*c*) *hoc significantes. Minister vero eis studeat taliter providere, sicut vellet ipse sibi fieri, si in consimili casu esset. Et nullus vocetur prior, set generaliter omnes vocentur Fratres Minores, et* alter alterius *lavet* (*d*) pedes[2].

Ex istis prime regule verbis explicatur cum evangelij testificatione intentio sancti Francisci, quam accepit a Christo de altissima et perfectissima obedientie forma, quam (*e*) omnibus fratribus, prelatis et subditis, servandam firmiter mandat, omnem caliginem a conscientijs subditorum et prelatorum procul repellens, diffiniens Christi evangelij et obedientie ipsius (*f*) fines et limites, qui sunt hijs qui presunt: nichil unquam consulere, suggerere vel mandare, quod sit contra regulam et animam, aut (*g*) delictum vel peccatum, aut aliquid incentivum et proxime inductivum ad faciendum quod esset contrarium voto et observantie regulari. Unde non prohibetur eis tantum nichil mandare subditis quod sit contra precepta regule, immo nichil quod simplicem et puram eius observantiam inpediat et corrumpat; eo quod obedientes eis in huiusmodi mandatis, sunt evangelio Christi et regule et summo pontifici et sancto Francisco et ecclesie inobedientes, et obedientie Dei obedientiam hominum anteponunt. In ceteris vero omnibus, quantumcunque arduis, iubet subditis esse cum promptitudine et humilitate *et fide non ficta*[3] obedientes, nec aliquid existimare difficile aut inpossibile, quod caret nocumento et occasione peccati, et est ad plenam promisse perfectionis

(*a*) E *quoties*. — (*b*) E om. — (*c*) E *hoc ipsi*. — (*d*) Ita BE et Edit., A *lauent*. — (*e*) Ita recte BE, A *qua*. — (*f*) E *eius*. — (*g*) E *ut*.

[1] Reg. 1, c. 6, *Opusc* p. 32.
[2] Cf. Ioh. XIII, 14.
[3] 1 Tim. I, 5.

observantiam (*a*) inductivum. Et de hoc divina scriptura et patrum regule et doctrina sanctorum, et presertim sanctus Basilius in sua regula et sanctus Bernardus clarissime et plene (*b*) tractaverunt.

Nam sanctus Basilius in (*c*) sua regula [1] dicit: « Siquidem id, quod a prelato iubetur, secundum mandatum Domini est, aut ad preceptum dirigens, etsi (*d*) mortis minus habet, oportet obedire. Si vero aliquid preter (*e*) aut contra mandatum est (*f*), aut mandatum ledit (*g*), etsi *angelus de celo* aut aliquis apostolorum iniungit (*h*), etsi vite promissionem habeat, etsi mortis minas (*i*), nequaquam oportet, Apostolo dicente [2]: *Etiam si nos aut angelus de celo evangeliçet vobis preter id quod evangeliçavimus vobis, anathema sit* ». *Oves* [3] *enim mee,* dicit Dominus, *vocem meam audiunt et secuntur me,* alienum autem non secuntur, set fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem [*f.* 68 *r*] alienorum.

Dependent enim et fontaliter emanant et auctoritas prelatorum et subiectio et obedientia subditorum (*k*) a Christo, qui est capud ecclesie et *principium et finis* [4] bonorum gratie et glorie. Quare omnis auctoritas et potestas ecclesie et omnium prelatorum est subiecta eius legibus et statutis, nec se extendere potest ad illa (*l*), que sunt supra vel contra Christum, et ideo in talibus credere obedientiam esse, ubi antichristiana perversitas est, maxima insipientia et mentis cecitas est [5]. Mensura enim obedientie mors est, ait sanctus Basilius [6], ad Christi exemplum, qui *factus est pro*

(*a*) Ita recte BE, A *obseruantie.* — (*b*) E *plenissime.* — (*c*) E *dicit in sua regula.* — (*d*) BE *etiam si.* — (*e*) E *precipitur quod contra mandatum domini est.* — (*f*) B *preter id quod mandatum domini est, aut mandatum legis ledit etiamsi angelus.* — (*g*) E in marg. *siue: legis.* — (*h*) E *iniungat.* — (*i*) B in marg. add. *sustineri.* — (*k*) E *subiectorum.* — (*l*) BE *alia.*

---

[1] *Brevius tractata,* Resp. 303, Migne, P. G. 31, 1298; cf. ib. Resp. 114, ib. 1159.

[2] Gal. I, 8.

[3] Ioh. X, 27.

[4] Apoc. XXII, 13.

[5] Hic Clarenus recte docet contra Christum legem ferri non posse. Errat autem in applicatione, quam subintendit, quatenus Regula Minorum non esset subiecta Ecclesiae. Cf. supra p. 28, nota 1. Clarenus similia scribit in epistola quadam a P. Ehrle edita, ALKG, I, 563: *Quibus* (fratribus recurrentibus) *ministri ex obedientia regule, que est Christi et Francisci, tenentur obedire, quia obedientia regule maior est obedientia ministrorum et generalis et protectoris, et est et stat et intelligitur super eos,* etc.

[6] *Regula brevius tractata,* c. 116, Migne, P. G. 31, 1162; ad sensum; cf. ib. c. 119, l. c. 1162 s.

nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis[1], per quam opera dyaboli et (*a*) peccati destruxit. Primus igitur (*b*) perfecte obedientie terminus vel mensura est in bonis obedientiam servare usque ad mortem, et propter obedientiam mortem quantumcunque amaram ad honorem Christi letanter substinere; et ne contra Christi mandatum propter cuiuscunque hominis obedientiam et preceptum peccatum evidens et manifestum commictat, penarum aut mortis terrore, nullatenus inclinari.

Unde sanctus Bernardus in *epistola ad Adam monachum*[2], loquens contra (*c*) obedientes abbati suo in malum, ait: « Sic generalis sententia de huiusmodi est, *declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*[3]. An forte ne quis obedientiam abbatis in malo ab hoc maledicto liberam esse contendat, audi alibi apertius: *Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij*[4]. Ex hijs ergo liquido apparet mala inperantibus non esse parendum, presertim dum pravis obtemperans inperijs, in quo homini videris obediens, Deo plane, qui omne, quod perperam agitur, interdicit, inobedientem te exibes; valde autem perversum est profiteri te obedientem in quo nosceris superiorem propter inferiorem solvere obedientiam, idest divinam propter humanam. Quid enim? quod iubet homo, prohibet Deus, et ego audiam hominem surdus Deo? Non sic clamant apostoli dicentes[5]: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Hinc Dominus increpans Phariseos, dicit[6]: *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Et per Ysàiam[7]: *Sine causa autem colunt me, mandata* (*d*) *hominum tenentes*. Et iterum ad prothoplastum (*e*): *Pro eo quod obedisti voci uxoris tue plusquam mee, maledicta terra in opere tuo*[8]. Igitur facere

(*a*) E *destruxit et peccati*. — (*b*) E *ergo terminus perfectę obedientiae uel mensura*. — (*c*) B om. — (*d*) E *tenentes mandata hominum*. — (*e*) Ita E, A *prothoplaustum*.

[1] Philipp. II, 8.
[2] S. Bernardi ep. 7 (76), n. 3, Migne, P. L. 182, 95.
[3] Ps. 124, 5.
[4] Ezech. XVIII, 20.
[5] Act. V, 29.
[6] Matth. XV, 3.
[7] XXIX, 13.
[8] Gen. III, 17.

malum, quolibet etiam iubente prelato, non esse obedientiam set inobedientiam claret». Hoc sanctus Bernardus ad (*a*) ostendendum dicit quod de malis obedientia non est, set de (*b*) [*f.* 68 *v*] bonis, et peccata non debent per obedientiam commicti, set destrui.

Et subdit in eadem epistola[1]: «Sunt quedam pura bona, quedam pura mala, et in hijs nullum debemus hominibus obedientiam, quoniam nec illa vitanda sunt, cum prohibentur, nec ista etiam (*c*) comictenda, cum iubentur. Porro inter hec sunt media quedam, que pro modo, loco et (*d*) tempore vel (*e*) persona, mala possunt esse vel bona, et in hijs lex posita est obedientie tanquam in *ligno scientie boni et mali*[2]». Et iterum infra[3]: «Quomodo ergo abbatis iussio vel pape permissio licitum facere valuit quod purum, sicut inrefragabiliter probatum est, malum fuit, cum superius allegatum sit pura mala nunquam iuste iuberi, sic nec iuste fieri posse?» Cum autem subditus dubitat rationabiliter an quod precipitur, sit peccatum, debet obedire.

Et ubicunque sunt fratres, qui scirent et cognoscerent se non posse regulam (*f*) etcetera. Quando[4] certi sunt fratres et experientia didicerunt, quod in locis, ubi sunt et morantur, regulam non possunt secundum suam puram intentionem et veram rectitudinem, sicut in ipsa precipitur, observare propter malas consuetudines et conditiones contractas (*g*) et annexas locis et diversas occasiones inevitabiles et ad prevaricationes regule et vite promisse inducentes, que multe possunt esse et (*h*) ex parte locorum et personarum quarum (*i*) sunt loca, vel ex (*k*) parte eorum, qui presunt fratribus, qui carnaliter viventes, consuetudines contrarias

(*a*) E *dicit ad ostendendum.* — (*b*) A *de* repetit. — (*c*) E *committenda etiam.* — (*d*) E om. — (*e*) E om. — (*f*) BDE add. *spiritualiter obseruare.* — (*g*) D *concretas.* — (*h*) D om. *et ex parte-manifeste contraria.* — (*i*) BE *quorum,* A *cuius.* — (*k*) E om. *ex parte.*

[1] L. c. n. 4, ib.

[2] Cf. Gen. II, 17.

[3] L. c. n. 8, ib. 98.

[4] Sequens textus et narratio in «Leg. Vet.» *Opusc. de crit.* I, 90-95. Textus vero «Legendae» e Clareno nequaquam exscriptus est, si consideras non paucas apud Angelum ampliationes necnon et verborum discrepantias plurimas; cf. ex. gr. longiorem introductionem, hinc inde adiecta incisa, quae tamquam lectiones variantes minime considerari possunt, et in fine adiunctum quoddam. Eadem narratio de circumstantiis Reg. 2 approbationis habetur etiam in I. Trib. ed. Tocco, p. 58; Döllinger, II, 457; Ehrle, ALKG, III, 601.

voto superinducere non haberent conscientiam, et subditis mandare, quod eis in hijs (*a*) obedirent, que in regula prohibentur, et eorum sunt statui manifeste contraria, tunc fratres debent et possunt ex precepto et auctoritate regule ad suos ministros et (*b*) superiores recurrere. Quibus ministri, sive custodes aut ipse Generalis, qui possunt (*c*) sub hoc (*d*) nomine ministrorum omnes (*e*) intelligi [1], tenentur ex mandato regule, quod est Christi et summi pontificis, caritative et benigne eos recipere (*f*) ita eos audire familiariter et reverenter et facere fideliter et ex debito obedientie promisse in regula ecclesie, summo pontifici et sancto Francisco, sicut debitores sunt servi dominorum (*g*) suorum, ex animo et cum bona voluntate, inplere mandata. *Ita enim debet esse, quod ministri sint servi omnium fratrum.*

Teste fratre Leone, qui cum fratre Boniço [2], quando regulam hanc (*h*) secundam sanctus Franciscus domino pape Honorio, iubente

(*a*) E *eis*. — (*b*) E om. — (*c*) D add. *hic*. — (*d*) D om. — (*e*) B om. *ministrorum omnes*. — (*f*) B (manu posteriori) E add. *et*. — (*g*) E *suorum dominorum*. — (*h*) D om.

[1] Cf. supra, p. 191, nota 2.

[2] Cf. supra, p. 9; p. 127, textus et nota 1 et 2. — Quoad indolem huius narrationis, parum eam conformem credo vero, imo nec vero similem, ob plures rationes. Nam 1) ne in Regula quidem sic dicta prima, c. 6, *Opusc. S. Franc.* p. 32, cuius tamen evolutio naturalis est Reg. a. 1223, illud ius in sensu Clareni invenitur: 2) Vis huius argumenti crescit considerando quae circa medium saec. XIII scribit hac de re Hugo de Digna in *Expositione Regulae*, c. 10, *Firm.* Paris. 1512, IV, f. 52rb (ed. Venet. 1513, III, 50rb-va): *Quidam hanc sententiam ad locum referunt, cum scilicet ratione loci fratribus impedimentum prestatur, ne possint regulam spiritualiter observare, ut quia loco annexa est proprietas vel cura aliqua animarum, pueros aliquos baptizandi et alia parrochialia faciendi, aut quia propter necessariorum penuriam oportet eos in congregationibus vel questibus inhonestis contra regule puritatem et usum ordinis generalem excedere, aut propter societatem inhonestam vel inportabilem fratribus presertim rudibus et infirmis,* **ut contingebat tempore primitivo: pro quo maxime forsitan dictum fuit,** *quando fratres specialia habitacula non habentes, bini et trini, vel ut multum quattuor vel sex fratres, in hospitalibus vel in domibus vel aliis, quibus colligebantur, locis, inter homines passim et mulieres in maxima sepe penuria animeque periculo morabantur, perfectioni regularis observantie intendere non valentes.* **His regula pro remedio concedebat, ut, loco dimisso, recurrerent ad ministros alibi collocandi. Quod ad locum et ad omnes generaliter fratres in loco manentes hec sententia referatur,** *per locale adverbium et pluralem numerum, quo non ad unum, set ad plures sermo dirigitur, videtur ostendi cum dicitur:* Ubicunque

Christo, confirmandam presentavit, adstabat, cum summus pontifex omnia, que continebantur in regula, diligentius conspexisset (*a*), dixit sancto (*b*) Francisco: Beatus ille qui gratia Dei roboratus [*f.* 69 *r*] hanc regulam fideliter et devote servaverit usque in finem, quoniam omnia que in ea scripta sunt, sancta (*c*), catholica et perfecta sunt. Tamen verba illa decimi (*d*) capituli, videlicet (*e*), quod *ubicunque sunt fratres, qui scirent et cognoscerent se non posse regulam pure et simpliciter* (*f*) *ad literam et* (*g*) *sine glosa servare* (*h*), *ad suos ministros debeant et possint recurrere* (*i*); *ministri vero teneantur eisdem* (*k*) *fratribus per obedientiam postulata benigne et liberaliter concedere, quod si facere nollent, ipsi fratres habeant licentiam et obedientiam eam literaliter observandi, quia omnes fratres, tam ministri quam subditi, debent regule* (*l*) *esse subiecti,* possent fratribus non plene

(*a*) A *conspessisset,* E *perspexisset.* — (*b*) DE *beato.* — (*c*) B om., set ut DE add. *et.* — (*d*) D om. *decimi capituli,* deinde continuat *scilicet quod ad suos ministros* etc. — (*e*) B intra lin. manu post. add. *quo dicitur.* — (*f*) E add. *et.* — (*g*) E *observare et sine glossa.* — (*h*) B *obseruare.* — (*i*) D add. *etc.* — (*k*) BE *eis.* — (*l*) D *esse regule.*

sunt fratres, *vel secundum primam, ut dictum est, regulam:* in quibuscumque locis sunt fratres. 3) Ubertinus a Cas., qui frequenter ad fr. Leonis scripta appellat et haud raro ea adhibet, cum ex professo hunc locum Regulae in scripto polemico *Rotulus iste* tractat, ALKG, III, 124-25, non solum de primitivo illo textu nihil innuit, sed disserte attestatur textum hunc sic fuissē positum a S. Francisco. Postquam enim casus recursus iuxta Quattuor Magistros enumeravit, l. c. p. 125 subiungit: *Et sicut aliqui ex nobis audierunt ab antiquis patribus, qui audiverant a beato Francisco et ab eius sociis, qui secum in conditione regule fuerant, una de principalibus causis, quare* **hic articulus sic fuit positus,** *est, quia beatus Franciscus previdit per revelationem divinam et expresse dixit, quod relaxatio transgressoria regule fieret circa articulum paupertatis et quod aliqui prelati transgressionem nutrientes fratribus vellent quoad illa tyrannice imperare illicita, quod ne fieret, voluit prohibere. Et ideo hic dicit, ministros esse servos et subditos, quia de hoc debet prelatus servire subdito, quod ipsum regulam promissam faciat observare.* 4) Haec narratio, et sequelae ex ea provenientes parum congruunt S. Francisci humili erga auctoritatem constitutam subiectioni. — Certe haec non consideravit Sabatier, secus non inductus fuisset *à voir dans ce morceau une des plus précieuses données historiques que nous ayons sur la vie de saint François* (!) *Opusc. de crit.* I, 90[3]. Fateor tamen me non credere Clarenum sibi finxisse hanc narrationem, nam adducit fontem: *teste fratre Leone,* quod saltem indicat Clarenum ex quadam collectione, fr. Leoni tunc adscripta, vel etiam e quadam Spiritualium traditione orali, a fr. Leone repetita, hausisse, ex eodem igitur fonte, ex quo « Leg. Vet. » hausit.

fundatis in amore virtutum occasio esse ruine et religioni materiam divisionis (*a*) et scandali ministrare, quare volo quod verba illa mutentur taliter, quod omnis periculi et divisionis occasio tollatur (*b*) a fratribus et a religione; respondit ei sanctus Franciscus: Ego ista verba in regula non posui, set Christus, qui omnia utilia et necessaria saluti animarum fratrum et bono statui et conservationi religionis melius (*c*) novit, et cui omnia, que ventura sunt in ecclesia et in religione, patent et presentia sunt; nec debeo, nec possum Christi verba mutare. Futurum est enim, ut ministri et qui alijs preerunt in religione, multas et amaras (*d*) tribulationes faciant volentibus regulam literaliter et fideliter observare; quia sicut Christi voluntas et obedientia est, ut regula et vita ista, que sua est, literaliter intelligatur et servetur, ita debet esse (*e*) vestra (*f*) voluntas et obedientia, quod fiat et quod scribatur in regula. Tunc dixit ei summus pontifex (*g*): Frater Francisce, ego ita faciam quod, plene verborum sensu servato, taliter in hoc passu literam regule temperabo, quod ministri se ad faciendum quod Christus vult, et regula precipit, intelligent obligatos, et fratres ad servandum pure et simpliciter regulam se libertatem habere intelligent, et nulla occasio sepe occasionem querentibus sub spetie servandi (*h*) regulam dabitur delinquendi. Mutavit igitur summus pontifex (*i*) clausule illius verba [1] dicens: *Ubicunque sunt fratres* (*k*) etcetera.

Hoc ipsum (*l*) evidenter omnia mandata in suo finali (*m*) *Testamento* universis fratribus data, videlicet (*n*) quod literas ab ecclesia Romana non inpetrent et quod servent (*o*) regulam simpliciter et ad literam, manifestant clare et demonstrant.

Probat [2] hoc (*p*) responsio facta in sancta Maria de Angelis illi fratri de Alamania (*q*), magistro in theologia (*r*), dicenti ad san-

---

(*a*) E *scandali et diuisionis.* — (*b*) D *a fratribus et religione tollatur.* — (*c*) B repetit *melius.* — (*d*) E add. *persecutiones et.* — (*e*) B om. — (*f*) D om. — (*g*) D *papa.* — (*h*) E *obseruandi.* — (*i*) D *papa.* — (*k*) BE add. *qui sciunt.* — (*l*) D add. *probant.* — (*m*) D om. — (*n*) D *scilicet.* — (*o*) D *regulam seruent.* — (*p*) B intra lin. add. *idem.* — (*q*) E *Alemania.* — (*r*) D add. *et.*

---

[1] « Leg. Vet. » adiungit et terminat: *sicut modo iacent in regula,* et statim ib. sequitur cap. 3. quod incipit *Probat illud responsio,* dum Clarenus quaedam de testamento S. Francisci inter narrationem utramque inserit.

[2] Textus in « Leg. vet. » *Opusc. de crit.* I, 96. Differentiae inter utrumque textum modos lectionum variantium praetergrediuntur. Textus « Leg. vet. » simplicior apparet. — Idem textus in Trib. I, ed. Tocco, p. 46; Döllinger, II, 448;

ctum Franciscum cum reverentia multa: Proposui firmiter evangelium et regulam, quam promisi, iuxta puram intentionem, quam Christus per te manifeste locutus est, usque in [*f.* 69 *v*] finem cum adiutorio gratie ipsius, simpliciter et fideliter observare. Set unam gratiam a te postulo, ut si diebus meis fratres tantum a pura regule observantia declinarent, quantum tu per Spiritum Sanctum eos (*a*) declinaturos esse pronuntias, quod de tua obedientia solus vel cum aliquibus fratribus eam (*b*) pure servare volentibus, possim a (*c*) non servantibus recedere et illam perfecte servare. Quibus auditis, vehementer gavisus est beatus Franciscus et benedicens ei, ait: A Christo et a me tibi concessum (*d*) esse scias quod postulasti. Et posuit dexteram super capud ipsius et dixit ei: *Tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech* [1]; ostendens quod omnes promissiones sibi a Christo facte (*e*) de sua religione in illis finaliter complerentur (*f*), qui regulam simpliciter et ad literam sine glosa cum letitia et amore totis viribus servare studerent (*g*).

Quando autem prohibet sanctus Franciscus glosas fieri in regula sua [2], non intelligit quod rationes et exempla et auctoritates sanctorum, spiritualem et verum regule et testamenti sensum declarantes, non debeant induci et scribi ac fieri; set quod distorquentes ad sensum contrarium et inperfectionem vel inpuritates et relaxationes inducentes nullatenus fiant, a spiritu Christi motus firmiter vetat.

Quia (*h*) vero illum qui propter superbiam (*i*) per Christi spiritum previdebat ad inducendum suos fratres finaliter ad *superbiam, vanam gloriam, invidiam et avaritiam et curas et sollicitudines* (*k*) *seculi et* (*l*) *detractiones et murmurationes* et (*m*) totum suum inpetum debere (*n*) convertere, ideo dato et (*o*) expresso modo *caritative*

(*a*) E om. — (*b*) B om. *eam - uolentibus.* — (*c*) B om. *a non seruantibus.* — (*d*) D *scias esse concessum.* — (*e*) A *factas,* quod cor. ex *facte.* — (*f*) D *compleantur,* E *compleretur.* — (*g*) D quae sequuntur om. usque *ait fr. Leo,* infra, p. 209. — (*h*) Sic BE, A *quod.* — (*i*) B add. *de celo ruit.* — (*k*) E add. *huius.* — (*l*) E om. — (*m*) BE om. — (*n*) BE *debebat.* — (*o*) B om.

Legg. ant. c. 21, p. 45; *Spec. Vitae,* Venet. 1504, f. 125 r; Barth. Pis., *Anal. Franc.* IV, 455. — Agi videtur de Caesario a Spira; cf. Lempp, *Frère Elie de Cortone,* Paris 1901, p. 112-13; Sabatier, *Opusc. de crit.,* I, 96².

[1] Ps. 109, 4.

[2] Cf. supra, p. 2, textus, et nota 3.

et benigne visitationis, correptionis et amonitionis ministris et servis fratrum, consequenter exortatur omnes presidentes (*a*) et subditos, et a quibus principaliter cavere debeant (*b*) tangit (*c*) et explicat, quia de illis temptandi erant (*d*) a spiritibus malignis, tribulationis tempore appropinquante. Et intantum (*e*) quod superbia elati et vanitate inflati, omnibus superiores apparere ambirent et operibus et sermonibus (*f*) hoc ipsum ostentare et predicare non erubescerent, ita quod gaudio caritatis perdito, invidere melioribus, et Dei spiritum in suis fratribus et in alijs exterioribus extinguere (*g*) et astute persequi, çelum esse iustitie demonstrarent. Nam qui perdunt caritatis vitam (*h*), de loco solido humilitatis cadunt, et dum per superbiam alijs se preferunt, aut alijs meliores reputari desiderant, per vanitatem mendacio servientes, veritatem negant. [*f.* 70 *r*] Ex hoc agitati invidia, gaudioque caritatis privati, sollicitudinibus et curis vite, per avaritiam et amorem visibilium se insolubiliter inplicant, et paupertatis et pauperum odium inpie ex cupiditate incurrunt et animo irreverenti et infrunito (*i*) ad odibiles Deo *detractiones et murmurationes* linguas (*k*) amare convertunt. Huius rei gratia ammonet et exortatur universaliter omnes et dicit: *Moneo vero et exortor in Domino Ihesu Christo, ut caveant fratres ab omni superbia* (*l*) etcetera.

De hoc etiam in prima regula [1] erat scriptum: *Et clerici libros tantum necessarios ad eorum officium possint habere.* Voluit beatus Franciscus quod fratres (*m*) omnes non essent cupidi de scientia et libris et quod *literas nescientes non* curarent *literas discere, set* quod clerici et layci *actendant* ad id, *quod super omnia habere* et *desiderare debebant* et tenebantur, quod illud est, quod se habentes *Deo* (*n*) *placentes* [2] facit, et gratia et veritate plenos [3], ad regnum glorie absque (*o*) inpedimento perducit, *habere* videlicet *spiritum Domini et sanctam eius operationem, orare semper ad* Dominum *puro corde et habere humilitatem et patientiam in per-*

(*a*) E *profitentes.* — (*b*) E *debent.* — (*c*) A *tagit.* — (*d*) B in marg. add. *singulariter.* — (*e*) B *iterum.* — (*f*) E *sermone.* — (*g*) A *extiguere.* — (*h*) E *iugum.* — (*i*) E *infronito;* italice *infrunito = stultus.* — (*k*) A *ligua.* — (*l*) B cont. *ua. i.*, E *ua. i. cu.* — (*m*) BE *omnes fratres.* — (*n*) E *facit deo placentes.* — (*o*) E *sine.*

[1] Cap. 3, *Opusc.* p. 28.

[2] Cf. Col. I, 10; I Thes. II, 4.

[3] Cf. Ioh. I, 14.

secutione et in infirmitate et diligere eos, qui nos persecuntur et reprehendunt et arguunt etcetera.

Beatus Franciscus previdit quod religionem suam [1] ad similitudinem Eve [2] sub specie mala et bona sciendi [3], et excellentiam habendi deorum, idest sublimium doctorum ecclesie et sapientium magistrorum, antiquus serpens seducendo corrumperet (*a*) et a simplicitatis innocentia, ad quam tenendam et amandam tanquam sue plenitudinis (*b*) et integritatis formam et speciem singulariter creata et condita erat, finaliter elongaret, et miserijs innumeris et erumpnis multiplicibus, proprio decore perdito, obnoxiam faceret. Idcirco protestatus est quamdiu vixit, denuntiando in capitulis et coram prelatis ecclesie, fratribus (*c*), mala et pericula ex invidia demonum et fratrum infidelitate et inpatientia et inobedientia superventura religioni. « Futura (*d*) [4] enim prospiciens cognoscebat per spiritum (*e*), ait fr. Leo, et etiam multotiens (*f*) fratribus dixit, quod fratres sub specie hedificandi alios dimictent vocationem suam, scilicet puram et sanctam simplicitatem, orationem (*g*) sanctam et dominam (*h*) paupertatem (*i*) nostram, et accidet illis quod unde crediderunt inbui (*k*) devotione et (*l*) accendi ad amorem Dei, postea propter hoc occasionaliter (*m*) inde remanebunt intus frigidi et quasi caritate vacui, et ad pristinam suam vocationem reverti non poterunt, maxime quia amiserunt tempus vivendi secundum vocationem [*f.* 70*v*] suam et timeo, ne illud, quod videntur habere, auferatur ab eis, quoniam dimiserunt vocationem suam ». Nam et (*n*) fratribus illis [5], qui (*o*) domino Ugoni (*p*), episcopo Hostiensi, suggesserant, quod suaderet ei,

(*a*) B *corrumpet.* — (*b*) BE *pulchritudinis.* — (*c*) E om. — (*d*) D hic iterum resumit: *Item ut scribit fr. Leo, beatus F. multotiens.* — (*e*) E add. *sanctum.* — (*f*) E *multoties.* — (*g*) D *sanctam orationem.* — (*h*) D om. — (*i*) DE *nostram paupertatem.* — (*k*) D *in breui.* — (*l*) D om. — (*m*) BE *occasionabiliter.* — (*n*) E om. — (*o*) Ita BDE, A *quia.* — (*p*) E add. *Cardinali,* om. *episcopo hostiensi.*

[1] Sequuntur declamationes Clareni contra cultum scientiae in Ordine, in quo congruit cum eloquiis B. Aegidii, Ubertini Casalensis, Iacobi (Iacopone) de Tuderto aliorumque Spiritualium, qui tamen praeter B. Aegidium, viri docti et in libris bene versati erant!

[2] Cf. Gen. III, 1 ss.

[3] Cf. Gen. III, 5.

[4] *Intentio Regulae,* n. 7, *Doc. ant. franc.* I, 89-90; *Spec. perf.* c. 72, p. 142-43; Ubert. a Cas., *Arbor Vitae,* V, 3, fol. D II vb.

[5] Idem supra, p. 128, ubi cf. nota 1.

ut (*a*) tantorum sapientium fratrum consilio, quos dederat sibi Deus, in agendis et disponendis in religione se regeret, apprehensa manu domini cardinalis, respondit coram omnibus dicens: « Fratres mei, fratres mei, Deus vocavit me per viam simplicitatis et (*b*) ostendit michi viam simplicitatis et dixit michi Dominus (*c*), quod volebat quod ego essem unus novellus (*d*) stultus in mundo, et noluit (*e*) vos ducere Dominus (*f*) per aliam viam quam per istam (*g*) scientiam (*h*); set per vestram scientiam et sapientiam Deus vos confundet ».

Nam eo tempore quo fr. Crescentius [1] generalis minister cum multa iniustitia condempnavit illos sanctos fratres, qui pro pura observantia regule laborabant (*i*), et secularium scientiarum in religione introducta sunt studia et « Aristotelis male artes, tanquam male (*k*) pestes Egiptiace », secundum Gregorium Naçaçenum [2], optimi status ecclesiastici corruptiones (*l*) sibi locum vendicaverunt honoris et dignitatis (*m*), in ea compleri ceperunt publice prenuntiata (*n*) per fundatorem. Et *obscuratum est* sapientie et seraphice caritatis *aurum* [3] in fratribus, gustato per inobedientiam de (*o*) ligni vetiti fructu [4], christiane sapientie et caritatis perdito gustu, propter quem *si dederit homo omnem substantiam domus sue*, ad comparationem inventi boni *nichil* se dedisse cognoscet [5]. Et *optimus* humilitatis et amoris evangelice paupertatis *color inmutatus est* [6] et curis et *sollicitudinibus* innumeris (*p*) distrahentibus et suffocantibus [7] a sanctitatis studio recedentes, dispersi sunt *in capite omnium compitorum* [8], causarum et (*q*) inplicationum et affectionum et operationum humanarum et secularium pondere disgregati.

Hinc causa doloris et luctus et lamentationis et exilij et mortis, omnibus sanctificatis in utero sancte Romane ecclesie, Ieremie ha-

(*a*) E *quod.* — (*b*) B om. *et ostendit - simplicitatis.* — (*c*) B om. — (*d*) D add. *paççus sine.* — (*e*) A *voluit,* B *noluit nos,* E *voluit nos.* — (*f*) D *dominus ducere.* — (*g*) D *uestram.* — (*h*) B *sapientiam.* — (*i*) D *laborabant regule.* — (*k*) D *quedam.* — (*l*) BE *corruptrices.* — (*m*) B add. *scilicet inreligionem.* — (*n*) D *per fundatorem prenuntiata.* — (*o*) B delevit *de.* — (*p*) D *innumeras.* — (*q*) B om., E om. *et inplicationum.*

[1] Cf. Trib. 3, ed. Ehrle, ALKG, II, 256 ss.; *Anal. Franc.* III, 263; Cf. supra p. 64, nota 5; Sabatier, *Fr. Crescentius de Iesi et son Généralat,* ap. *Opusc. de crit.* I, 109-34.

[2] Oratio 32, *De moderatione in disputando,* n. 25. Migne, P. G. 36, 202.

[3] Cf. Thren. IV, 1.

[4] Cf. Gen. III, 6.

[5] Cf. Cant. VIII, 7.

[6] Cf. Thren. IV, 1.

[7] Cf. Luc. VIII, 14.

[8] Thren. II, 19.

bentibus spiritum. Nam et ipse Ieremias in Egiptum alterius conversationis ductus et transmigratus de loco suo, propter testimonium veritatis lapidatus occubuit, lapidantibus (*a*) in iudicium et vindictam tempore congruo (*b*) reservatis, quando (*c*) prophetata per ipsum completurus est Dominus (*d*) in parvulis, quos velit nolit mundus, suscitabit spiritus Ihesu Christi. Pretacta (*e*) igitur ratio est inter ceteras principales, propter quam (*f*) Christus voluit (*g*) quod in sua regula poneret quod *nescientes literas, non curent literas discere, set actendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini* et sequentia. Et infert [1] omnis boni et *omnis* [*f.* 71 *r*] *consumationis* perseverantibus in promissis beatissimum *finem* [2] et inenarabile premium a Christo suis promissum discipulis: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* [3].

Erigent (*h*) temptorium [4] illi magne meretrici et filios suos introducent ad eam et de mercede ipsius (*i*) voluptuose vivent, dixit sanctus Franciscus, et erit promissa simplicitas contemptibilis et despecta in oculis eorum, audaciam et presumptionem assument et gloriabuntur in laudibus hominum et nomine scientie (*k*) et de industria sue prudentie confident, et tunc amarissima erit et intollerabilis rectis corde conversatio eorum (*l*), et in tantum « dilecta Dei religio malis exemplis diffamata vilescet, quod bonos in publico (*m*) exire pudebit [5] ».

(*a*) Ita BE, A *lapidibus*. — (*b*) DE *congruo tempore*. — (*c*) BE *quoniam*. — (*d*) D *deus*. — (*e*) D om. *Pretacta - saluus erit*. — (*f*) E *quas*. — (*g*) A *noluit*. — (*h*) D *Supradicti enim sapientes erigent temptoria*. — (*i*) E *eius*. — (*k*) B cor. *sanctorum*. — (*l*) D om. — (*m*) DE *publicum*.

[1] Scl. Franciscus, Reg. 2, c. 10, finis; cf. Matth. X, 22.

[2] Cf. Ps. 118, 96.

[3] Matth. X, 22.

[4] Sequens narratio usque *rectis corde conversatio* est secunda pars cap. 4. « Legendae veteris », *Opusc. de crit.* I, 98; dum prima pars eiusdem cap. l. c. p. 97, est textus a Clareno relatus infra p. 214: *Predixit et previdit s. Franciscus — legem filiis posuit*. Variantes et discrepantiae inter « Leg. Vet. » et Clarenum hic minores sunt, quam in aliis locis citatis. Habetur tamen ap. Clar. uterque textus ordine inverso separatusque locis SS. Patrum, et insuper Clarenus in fine dictorum de Rechab adicit explicationem, quae deest in « Legenda vetere », caeteroquin hac in parte melius forsitan disposita. Clarenus et « Leg. Vet. » e collectione quadam *Dictorum (Verborum) S. Francisci* (cf. *dixit sanctus Franciscus*) videntur hausisse.

[5] Cf. 2 Cel. 2, 116, p. 287-88: *Et dicebat: Veniet tempus, quo malis exemplis dilecta Dei religio diffametur, ita ut pudeat exire in publicum.*

Simile (*a*) et (*b*) ex eadem causa ecclesie Dei suis temporibus evenisse sanctus Gregorius Naçaçenus in *sermone*, quem *de sancto Athanasio* [1] fecit, cum lamentatione refert; ait enim:

« Erant quandoque in quiete nostra et bene habebant, cum superfluum hoc dyalectice industrie et linguosum (*c*) theologie et artificiale neque accessum aut ingressum habebat (*d*) in divinis atriis. Set erat idem quasi calculus illudere visionem suffurantibus vivacitate, transmutationis aspectum, aut quasi saltare et incurvari (*e*) omnimodis inclinationibus coram contemplantibus viris et feminabus, simile erat curiosum aliquid de Deo dicere vel audire. Quod vero simplex atque bene generosum existebat (*f*) pietas putabatur. Ex quo vero Sextij et Pirones (*g*) et opposita contradictionis lingua (*h*), tanquam langor (*i*) aliquis dirus et malignus nostris ecclesijs corrupte sunt introducti, et verbositas, doctrina seu disciplina visa est, et quod ait de Atheniensibus liber *Actuum* [2], *ad nichil aliud* vacamus, *nisi dicere vel audire aliquid magis novum*. O, quis Ieremias lamentationem faciat super nostra confusione (*k*) et tenebrefactione (*l*) solus qui novit passionibus lamentationes exequare! »

Idem in *sermone* suo *XVIII°* [3], qui incipit: « Quoniam convenistis (*m*) promte et multorum frequentia est » etcetera. « Que, inquid (*n*) [4], est hec invidia laudabilis ascensionis et quis talis casus ut elatione extolli et non cognoscere humane ascensionis (*o*) infirmitatem, et quantum adhuc deficit a vera altitudine qui est omnibus suppremus?

Hic autem modicus (*p*) mente, egenus lingua (*q*), et nec novit verborum astutias (*r*), et orationes sapientium et enigmata, et Pyronis instantias, et silogismorum Crisippi (*s*) solutiones, aut artium Aristotelis malam industriam, [*f.* 71 *v*] vel Platonis dulcis eloquentie

---

(*a*) D om. *Simile - Predixit.* — (*b*) E *etiam.* — (*c*) A *liguosum.* — (*d*) BE *habebant.* — (*e*) E *incuruare se.* — (*f*) B *existimat,* E *erat.* — (*g*) Edit. *Phyrrhones,* A(?)BE *pudens.* — (*h*) A *ligua.* — (*i*) BE om. — (*k*) B *nostram confusionem.* — (*l*) B... *factionem.* — (*m*) BE *conuenitis.* — (*n*) E *inquit.* — (*o*) E *infirmitatis ascensionem.* — (*p*) B *hinc autem alius modus.* — (*q*) A *ligua.* — (*r*) A *austutias.* — (*s*) E *Crispi.*

---

[1] Oratio 21, n. 12, Migne, P. G. 35, 1094.

[2] Act. XVII, 21.

[3] Revera in ed. Migne, P. G. 36, 174, Oratio 32: *De moderatione in disputando.*

[4] L. c. n. 24-25, Migne, P. G. 36, 202-03, cum parvis lacunis.

seductionem, qui in ecclesiam nostram male et corrupte introducti sunt, tanquam Egiptiace quedam plage [1]. Habet et iste unde salvetur; et per que verba? Nichil est enim gratia locupletius. Neque enim (*a*) oportet te, ait, *in celum ascendere, ut inde Christum deducas* [2], neque *in abyssum descendere, ut eum inde resuscites* [3], aut primam curiose inquirens naturam, aut finalem dispensationem, *prope* (*b*) *te*, ait, *est* (*c*) *verbum* [4], mens hunc habet thesaurum et lingua (*d*), illa credens et (*e*) ista confitens. Quid hijs divinis brevius? Quid eodem tono levius confiteri Christum Ihesum et credere quia ex mortuis resurrexit *et salvus eris?* [5] Et quidem solum credere iustitia; salus autem perfecta confiteri et addere confessioni (*f*) confidentiam. Tu autem aliquid salute maius inquiris, et ea que illic cum gloria et claritate; michi et salvari maximum, et etiam illic tormentum evadere. Tu autem pergis viam inaccessibilem et non certam, ego autem certam (*g*) et que multos salvavit ».

« Pauper [6] verbo et scientia, in verbis simplicibus confidens, et super hijs, quasi in lembo exiguo, salvatus, super pravum labijs insipientem et confidentem in demonstrationibus verbi et evacuantem crucem Christi [7] re, verbo (*h*) melior propter virtutem in verbis. Ubi infirmum demonstrationis, veritatis est diminutio. Quid ad celum volas, pedibus gradiens super terram? Quid turrim hedificas, que ad complementum existunt non habens? [8] » etcetera. Hec (*i*) Gregorius.

Hijs similia sanctus Athanasius scribit in *epistola* sua *ad monachos* [9] et sanctus Ieronimus *super epistolam ad Colossenses* [10] (*k*)

(*a*) E add. *(ait)*. — (*b*) Codices *propter*. — (*c*) B *enim*. — (*d*) A *ligua*. — (*e*) E om. — (*f*) Ita E, A *cognitioni*. — (*g*) Ita B, A *terram*. — (*h*) E *et uirtute*. — (*i*) B *hoc*. — (*k*) A *Colessenses*.

---

[1] Cf. Exod. VII, 17 ss.
[2] Cf. Rom. X, 6.
[3] Rom. X, 7.
[4] Rom. X, 8.
[5] Cf. Rom. X, 9.
[6] L. c. n. 26-27; ib. col. 203.
[7] Cf. 1 Cor. I, 17.
[8] Cf. Luc. XIV, 28.
[9] In illa edita ap. Migne, P. G. 26, 1185 ss, nihil de scientia habetur. Cf. potius illam editam ib. 25, 691.
[10] Cap. 2-3, Migne P. L. 30, 855-58.

et sanctus Basilius in sua *epistola ad* prefatum *Gregorium Naçaçenum* [1] et ad *Amphiletium* [2].

Predixit (*a*) et previdit (*b*) sanctus Franciscus [3], quod fratrum suorum pervalida temptatio ab amore sciendi quasi *ventus vehemens a regione deserti* debebat insurgere *et quatuor angulos* concutere et funditus evertere *domus* sue primogenite prolis, et omnes *liberos* cum suis filiabus opprimere [4]. Et ut (*c*) talis ruine vitaretur (*d*) periculum, tanquam alter Recab [5] (*e*) mandavit filijs suis peregrinam ducere vitam, non hedificare palatia, non habitare in civitatum medio, non plantare vineas diversorum studiorum, nec bibere vinum scientie secularis et mundane philosophie; et Sancti Spiritus (*f*) calore vivifico actus perfectissime vite (*g*) Christi legem filijs posuit.

Set inter signantem Rechab in veteri testamento et signatum in novo, Franciscum, hoc interest, ut respectum directum et concordiam habeat [*f.* 72 *r*] ad eum, cuius fert vulnera, Christum. Quoniam mandatum Rechab filij eius contra mandatum Domini servaverunt, mandatum vero beati Francisci filij carnis eius, neque propter (*h*) signa, neque propter honorem et reverentiam (*i*) patri debitam, neque desiderio paterne benedictionis hereditande, neque propter Christi amorem et gloriam spiritus eius habitantis in eo, mandato eius obedire vel testamentum (*k*) servare voluerunt, et hoc (*l*) ut (*m*) iusto Dei iudicio hereditas ad exprobatos, maledictos et persecutos transeat, et persequentium facies ignominia repleantur (*n*), et (*o*) eorum *reliquie salve fiant* [6], et cum inflicta vexatio dederit intellectum auditui, super humiles et corde contritos benedictio Domini requiescat. Qui habebunt *spiritum Domini,* qui est omnium virtutum et donorum et luminum fons et origo, *et san-*

(*a*) D add. *etiam.* — (*b*) D om. *et preuidit.* — (*c*) D om. — (*d*) D *uitarent.* — (*e*) E *Rechab.* — (*f*) BE *spiritus sancti.* — (*g*) D *X*[1] *uite.* — (*h*) D om. *propter signa.* — (*i*) D *et patri debitam reuerentiam.* — (*k*) D add. *eius.* — (*l*) Ita DE, A *hic.* — (*m*) B om. — (*n*) DE *repleatur.* — (*o*) B cor. *ut.*

[1] Migne, P. G. 32, 223 ss.

[2] Ep. 233, *Ad Amphilochium,* Migne, P. G. 32, 863 ss; cf. et sequentes epistolas ad eumdem.

[3] Cf. supra, p. 211, nota 3.

[4] Cf. Iob I, 19 s.

[5] Cf. Ier. XXXV, 6-7.

[6] Cf. Rom. IX, 27.

ctam eius operationem per unionem ad Deum et latriam divini cultus, et effectum et affectum sincere dilectionis ad proximum et maledicentes et persequentes, et patientiam et gaudium spiritus in infirmitatibus et temptationibus varijs, provenientibus ex carnis proprie et anime corruptela et demonum invidia et malitia hominum perversorum, et qui in corpore et anima Salvatorem Christum cruciformiter, humiliter et perseveranter portabunt, salutis eterne beata gaudia, perseverantibus *usque in finem* promissa, feliciter consequantur (*a*).

(*a*) E *consequentur*, D *consequentur. Amen.* Quae sequuntur D om. usque locum ex Apocalypsi Ioachim, cap. XII huius Exposit. Regulae, infra, p. 227. Praeponitur tamen narratio de compositione Reg. in Monte Columbo ex cap. VI huius Exp. Reg. cf. supra, p. 127.

[Undecimum Capitulum] (*a*).

Precipio firmiter fratribus universis, ne (*b*) *habeant suspecta consortia vel consilia mulierum et* (*c*) *ne ingrediantur monasteria monacharum* [1] etcetera. Sanctus Franciscus per Spiritum Sanctum fragilitatis et infirmitatis sui corporis et anime sensum habens, et humane corruptibilitatis clarissimam (*d*) notitiam desursum accipiens, exemplo vite et humilis et rigide penitentie continuis exercitijs et firmissime obedientie precepto vallavit, et munivit undique fratres suos, ne purissime munditie candorem utcunque maculari vel inquinari permicterent. Nichil est (*e*) enim quod ita fornicationis spiritum vincat sicut perfecta obedientia et vera ac profunda humilitas, et realis (*f*) et verbalis recognitio et confessio proprie infirmitatis et fragilitatis et crucifixa Christo mens et caro actibus et doloribus penitentie, omni homini per totum tempus (*g*) vite necessarijs ad salutem. Non potest inmunditie spiritus in mente (*h*) veraciter humili et corpore mortificato et Christi morti configurato residere, set comburitur incendio sue malignitatis, affectus christiformes in sanctis prospiciens et in carne eorum mortali Christi [*f.* 72 *v*] passionis societate et vita consecrata, crucis virtute (*i*) suarum malignitatum (*k*) destructionem sentiens. Sciebat enim primum parentem [2], Eva mediante, seductum, in quo unius (*l*) Dei et trini ymago [3] refulgebat; et prophetarum

(*a*) A add. manu post., B *Quod fratres non ingrediantur monasteria monacarum*, item E, sed add. *C. XI*. — (*b*) B *nec*. — (*c*) B pro *et ne*, habet *nec*. — (*d*) E *notitiam clarissimam*. — (*e*) E om. — (*f*) E *uerbalis et realis*. — (*g*) E *uitę tempus*. — (*h*) E *corde*. — (*i*) Ita BE, A *uirtutem*. — (*k*) E *destructionem malignitatum*. — (*l*) B cor. *et trini dei diuina ymago et similitudo*.

[1] Reg. 2, c. 11, *Opusc.* p. 73.

[2] Cf. Gen. III, 1 ss.

[3] Cf. Gen. I, 27.

eximium, Christi patrem [1] promissione (*a*) iam factum, qui Goliam prostraverat [2], prostratum et victum a concupiscentia mulieris [3]; et (*b*) sapientissimum Salomonem [4] post Ade et Samsonis fortissimi et ex utero naçarei [5], et patris sui gratissimi Deo tremendos lapsus, obscuratum et illaqueatum a concupiscentia mulieris.

Propterea in (*c*) XI° capitulo, ne transgressionis excessive maledictionem et culpam incurrant, que sanctitatis et innocentie et fortitudinis et patientie et originalis mundi, quinque civitatum et tantorum patrum lapsum et corruptionem induxit, et firmum et salutare mandatum ponit, ut eorum conversatio coram Deo et hominibus sit sancta, pura et munda et (*d*) ab omni inquinamento carnis et spiritus aliena. Et vult eos circumspecta custodia cautos esse et lingue (*e*) et sensuum ac morum mortificatione secura muniri, ne illaqueentur et submergantur in laqueo et baratro tanti (*f*) mali, ubi corruerunt et perierunt innumerabiles, et sancti et fortes et preclari ac sapientissimi viri. Hinc est quod sanctus Franciscus, ut fratres sui ab ipso exemplum caperent, dixit in morte, quod ex quo ad Christum conversus renuntiaverat mundo, nullius mulieris faciem viderat, excepta (*g*) matris sue et sancte Clare [6].

Et innumera sunt sanctorum exempla, ut sancti Nicolai, Basilij, Antonij, Sysonis (*h*), Paccomij (*i*), Benedicti, Augustini (*k*), Bernardi et aliorum omnium, qui ordines fundaverunt, que nos servos Dei

(*a*) B in marg. add. *diuina.* — (*b*) E om. *et sapientissimum - mulieris.* — (*c*) BE om. — (*d*) E om. — (*e*) A *ligue.* — (*f*) A *tati.* — (*g*) B *exceptam.* — (*h*) E *Sysois.* — (*i*) E *Pathonii.* — (*k*) A *Agustini.*

[1] Scil. David.

[2] 1 Reg. XVII, 49-50.

[3] Cf. 2 Reg. XI, 1 ss.

[4] 3 Reg. XI, 1 ss.

[5] Iudic. XVI, 4 ss.

[6] Nullus fons notus vitae S. Francisci haec refert. Magis accedit 2 Cel. 2, 78, p. 255: *Dixit autem* (Franciscus) *socio semel: Fateor veritatem, carissime, nullam me si aspicerem recogniturum in facie, nisi duas. Illius, inquit, et illius mihi vultus cognitus est, alterius nescio.* Non longe a vero erimus, si Thomae a Celano nomina illa e fonte nota credimus, sed ea omisisse, Clarenum vero ex eodem fonte Thomae nomina desumpsisse. Ex narratione Thomae loco matris potius nomen Iacobae a Septemsoliis in mentem venit, praesertim si consideras ea quae idem Auctor *Tractat. de miraculis B. Franc.* c. 6, p. 363 ss. scribit. Cf. insuper 2 Cel. 2, 79-80, p. 256-57; *Spec. perf.* c. 86, p. 171 s; *Extractiones e Legenda antiqua,* n. 30, ed. Lemmens, *Doc. ant. franc.* III, 35; *Legg. ant.* c. 50, p. 98 ss.

ad vitandum aspectum et familiaritatem et *suspecta* colloquia *mulierum* et ad non ingrediendum *monasteria monacharum* erudiunt et inducunt. Nam omnium sanctorum patrum statuta, traditiones et regule et conciliorum sacri canones et catholicorum doctorum scripta in hoc concordare certissimum (*a*) est. Precipiunt (*b*) enim sacri canones nullum clericum debere accedere vel intrare monialium loca, nisi illi tantum quos episcopi (*c*) ydoneos ad eorum necessariam visitationem esse probaverint et ad eas ammonendas (*d*) episcoporum obedientia ire decreverit [1].

De hoc in prima regula [2] scriptum erat: *Omnes fratres ubicunque sunt vel quocunque vadunt, caveant sibi a malo visu et frequentia mulierum et nullus cum eis consilietur aut* [3] *per viam vadat* [*f.* 73 *r*] *solus, aut ad mensam in una paropside* (*e*) *commedat. Sacerdotes honeste loquantur cum eis, dando penitentiam vel aliquod spirituale consilium. Et nulla penitus mulier ab aliquo fratre recipiatur ad obedientiam, set, dato sibi consilio spirituali, ubi vult agat penitentiam. Et multum omnes* (*f*) *nos custodiamus et omnia membra nostra munda teneamus, quia dicit Dominus:* Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mechatus est eam in corde suo [4]. Et Apostolus [5]: *An ignoratis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti? Itaque* [6] *qui templum Dei* (*g*) *violaverit, disperdet illum Deus.*

Suspecta autem *consortia* et *consilia* facit, sicut scribit sanctus Ieronimus *ad Nepotianum* [7], eum ammonendo de (*h*) hoc: « Caveto, inquid, omnes suspitiones, et quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. Crebra munuscula et fasciolas et vestes ori applicatas et oblatos cibos ac (*i*) degustatos, blandasque ac dulces literas sanctus amor non habet. Omnes delitias et lepores

(*a*) B *certum.* — (*b*) B om. *precipiunt - canones.* — (*c*) BE om. — (*d*) BE *admonendum.* — (*e*) Ita recte E, A *parascide.* — (*f*) E om. — (*g*) Ita BE, A om. — (*h*) E *super.* — (*i*) E *et ante degustatos.*

[1] Cf. Caus. 18, quaest. 2, c. 20; 24.

[2] Reg. 1. c. 12, *Opusc.* p. 41.

[3] *Aut per viam - commedat* deest in editionibus Reg. 1. Cf. supra, p. 102, nota 1.

[4] Matth. V, 28. Hic explicit cap. 12, Reg. 1, in editionibus.

[5] 1 Cor. VI, 19.

[6] 1 Cor. III, 17. Computandine sunt revera hi textus ut pars cap. 12, Reg. 1, ?.

[7] N. 5, Migne, P. L. 22, 532. — Idem textus ap. Pet. Ioh. Olivi, *Expos. Reg.* c. 11, *Firm.* Venet. 1513, IV, 123 v a., unde Clarenus videtur hausisse; alii etiam loci consonantes in utroque auctore in eodem capitulo habentur.

et risui (*a*) dignas, urbanitates et ceteras ineptias amatorum, quas in comedijs erubescimus et in seculi hominibus detestamur, quanto magis in clericis et in monachis? »

Ingressum autem et accessum ad *monasteria* singulariter prohibet, et presertim sororum sancte Clare [1], ne (*b*) sub specie divini amoris, occulte sensuali amore, qui ex subtili demonum operatione inmissus indissolubiliter incautos ligat, seducti, caperentur et submergerentur ex susceptione illusionum et affectionum spiritualium similitudinem fictam habentium sanctitatis, in presumptiones novitatum et erroris baratrum, sicut suo tempore ceciderat Almaricus Parisius (*c*), et eius malignitatis sexus utriusque sectatores [2].

Previdebat enim et predicebat maxima mala suscitari debere et in religiosis precipue, quando nequitie spiritus, sanctitatem Christi vite soluti permicterentur atrociter inpugnare, tribulatione ultima propinquante; ita quod tunc beati erunt vere, qui et (*d*) carnalibus affectionibus et sensualibus colloquiis et *consiliis mulie-*

(*a*) E *risu*. — (*b*) Codices *nec*. — (*c*) E *Parrhisii*. — (*d*) BE *a*.

[1] Notanda maxime sunt quae scribit in hunc locum Hugo de Digna, *Expos. Reg.* c. 11, *Firm.* Paris. 1512, III, 53 r b (ed. Venet. IV, 51 r b-v a): *Quidam hec pro monasteriis tantum monialium inclusarum quas beatus Franciscus instituit, dictum putant, et intellectus huiusmodi tempore date regule in generali capitulo creditur fuisse declaratus. Sed nullum monacharum cenobium prohibitio excipit generalis. Neque* [Editio *nosque*] *ad intentionem beati Francisci, quam nescimus, sed ad litteram, quam vovemus, et communem ac rationalem astringimur intellectum. Omnes autem mulieres communiter viventes et regularem observantiam canonice profitentes monache dici possunt. Monasterium dicunt ecclesiam sive domum ubi regularium congregatio residet personarum.* Hac in re igitur traditio Spiritualium coincidit cum bulla *Quo elongati,* Sbaralea, *Bull. Franc.* I, 70-71, et inde videtur quo iure scribere potuerit Sabatier, *Spec. perf.*, p. 320-21, nota 1: *Il est donc bien évident qu'en défendant à ses frères l'entrée des* monasteria monacharum, *François ne voulait pas désigner les monastères de Clarisses qu'il aurait appelées* Pauperes Dominae, *mais conformément à ses habitudes de langage et à celles de son temps, les couvents de Bénédictines. Ce chapitre interdisait si peu l'entrée des monastères de Clarisses que les frères les plus zélés pour l'observation de la règle sont précisément ceux que nous voyons sans cesse en rapport avec sainte Claire. Grégoire IX, en lisant* moniales *au lieu de* monachae, *semble donc avoir vu dans ce passage ce qu'il voulait y voir* (!) Cf. etiam 2 Cel. 2, 155-57, p. 322-24; Golubovich, *Bibl. bio-bibl. d. T. S.*, I, 127-28. De evolutione posteriore cf. Zeph. Lazzeri, O. F. M., *Documenta controversiam inter Fratres Minores et Clarissas spectantia (1262-1297)* ap. *Arch. Franc. Hist.* III, 1910, 664-79; IV, 1911, 74-94.

[2] Allusio ad sectam spiritus libertatis Amalrici de Bena.

rum et monialium specialiter invenientur moribus et corde remoti, ne malignorum spirituum retibus includantur, set sensualium affectionum ferreos (*a*) compedes sagaciter et caute precavebunt, et vile delitias per amorem dolorum penitentie et defectuum (*b*) paupertatis cordaliter abhominabuntur et renuent.

Inhibuit etiam, ne fierent *compatres virorum aut* (*c*) *mulierum,* que quidem in duobus sacramentis contrahitur (*d*), in baptismo videlicet [*f.* 73 *v*] et confirmatione, et hoc tam tradendo quam suscipiendo sacramentum. Prohibet autem virorum compaternitatem, ne sub hac occasione mulierum familiaritates (*e*) incurrant. Et sicut huiusmodi compaternitates (*f*) viris religiosis a patribus prohibitas, et propter hoc inimici precavendas astutias (*g*) et occasiones scandalorum, quas çelotipia generat, et infamias et scandala (*h*) et turbationes plurimas evitandum (*i*), que inde oriri possunt; sicut enim perfectissima caritas residet in pectore perfectissime (*k*) castitatis, ita perfectissima castitas in perfectissime caritatis corde et corpore requiescit. Et sicut perfecta caritas omne odium et omnem displicentiam a corde Christum veraciter diligentis universaliter excludit, ita perfecta castitas omnem pudicitiam sensuum, cogitationum, locutionum et morum esse in homine perfecte mundo semper et ubique includit. Unde pura et simplex intelligentia (*l*) regule est, quod omnes fratres ab omni ingressu monasteriorum et visu et colloquio et aspectu et familiaritate *suspecta mulierum* et compaternitate penitus abstineant; et quod illi soli (*m*) *ingrediantur* et accedant ad *monasteria monacharum, quibus a sede apostolica concessa est licentia specialis.*

« Si enim, ait sanctus Basilius [1], contingat te secundum aliquem eventum peregrinari a cella tua, circumloricatus timore Dei et collocatam habens in manu caritatem Christi, reluctabis cum omni abstinentia contra delectationum insultus (*n*), et, necessitate facta, resili, ne inmoreris, celeri ala utens ad reditum, tanquam aliqua innocens columba ad emittentem te (*o*) archam (*p*) recurrens,

(*a*) E *compedes ferreos.* — (*b*) E *desyderium.* — (*c*) E *uel.* — (*d*) E *con trahuntur.* — (*e*) E *familiaritas incurratur.* — (*f*) E *familiaritates.* — (*g*) A *austutias.* — (*h*) A *scadala.* — (*i*) B *euitande.* — (*k*) Ita E, A *perfectissimi.* — (*l*) E *regulę intelligentia.* — (*m*) E *solum,* in marg. *soli.* — (*n*) E *influxus.* — (*o*) E *de.* — (*p*) A *archa.*

[1] *Sermo de renuntiatione saeculi et de perfectione spirituali,* Migne, P. G. 31, 638-39, cum lacunis.

in ore misericordias Christi (*a*), sicque persuade cogitationibus tuis, que intus sunt, inaccessibilem esse in omni alio loco quam in archa existenti salutarem (*b*) requiem ». « Nichil enim magis necessarium est, quam animam, pro qua Christus mortuus est, a morte peccati custodire. Ne credas cogitationi dolum operanti, supponenti tibi absque (*c*) scandalo intuitus et colloquia huiusmodi posse fieri, hoc ipsum scandalum esse certificans. Multa quoque (*d*) experientia eorum, qui ceciderunt, te erudiat (*e*), nec eadem (*f*) tibi decertari (*g*) substineas; crede meis eloquiis ex fraterne dilectionis corde prolatis ». « *Omni* igitur *custodia serva cor tuum* [1]. Tanquam enim aurum exploratur [*f.* 74 *r*] quidem (*h*) a furibus indesinenter die ac nocte (*i*), rapitur vero (*k*) inexpectate et quando non cognoscis, ita demones incessanter insidiose conantur rapere a servis Dei munditie et castitatis thesaurum ». Hec (*l*) sanctus Basilius.

(*a*) BE add. *portans.* — (*b*) E *salutem et.* — (*c*) B *ab.* — (*d*) E om. — (*e*) Ita recte BE, A *erudiant.* — (*f*) E *eamdem ad te declinare.* — (*g*) B cor. *declarari,* E ut sub *f,* textus graecus, P. G. 31, 637, monstrat *decertari* = *patefieri.* — (*h*) E om. — (*i*) E add. *et.* — (*k*) E om. — (*l*) B *hoc.*

[1] Prov. IV, 23.

[Duodecimum Capitulum] (*a*).

Quicunque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios infideles, petant inde (*b*) *licentiam* [1] etcetera. Qui per [2] observantiam evangelice paupertatis, humilitatis et obedientie ad veram cordis et corporis munditiam, Christo donante, pervenerunt, revelatis oculis conspiciunt infinite caritatis Patris et Verbi inmolati et Spiritus Sancti latitudinem, altitudinem sublimitatem et profundum [3] circumspecte, revelate et proposite fidelibus (*c*) ad imitandum in adoranda (*d*) cruce et sacratissima morte Christi, cuius virtute et merito humano generi donatum est a morte culpe et gehenne ad vitam gratie et glorie posse resurgere, ad cuius igneam et caritatis inextinguibilis (*e*) et insuperabilis inmissivam considerationem, *mundi corde* [4] oculos convertentes et elevantes, affectus ardentissimi desiderij replentur incendio, et digni effici societate *passionum* [5] sui Redemptoris, igneis affectibus insatiabiliter concupiscunt.

(*a*) A add. manu post., B (rubr.) *De hiis qui volunt ire inter Saracenos et alios infideles,* E (rubr.) *De his qui uoluerint ire inter saracenos c. XII.* — (*b*) B om. — (*c*) E *ad imitandum fidelibus.* — (*d*) A *adorada.* — (*e*) B *inexstimabilis.*

---

[1] Reg. 2, c. 12, *Opusc.* p. 73.

[2] Van Ortroy, *Anal. Boll.* 21, 442, Cap. 6 « Leg. Vet. » *Opusc. de critique,* I, 102-104 credit esse transcriptum ex his, quae sequuntur. Sed duo textus nihil commune habent, nisi quod verba Reg. 1, c. 16, *Opusc.* p. 43, adducunt, ita tamen ut « Leg. Vet. » partim verbis utatur Reg. 1, dum Clarenus textum integrum ponit. Ex quo clarissime apparet hunc textum « Leg. Vet. » non « mot pour mot » ex Clareno extractum esse.

[3] Cf. Eph. III, 18.

[4] Cf. Matth. V, 8.

[5] Cf. 2 Cor. I, 7.

Hac caritate sanctus Franciscus vehementer accensus, *que foras mictit timorem* [1], et quam *extinguere* (*a*) *aque multe, nec obruere flumina possunt* [2], caritatis perfecte capitulum sue regule finem dedit. Nam sicut ipse, Christi (*b*) perfecta caritate succensus, per martyrij flammam se *hostiam* Domino (*c*) offerre *viventem* [3] *ex toto corde et ex omnibus viribus* [4] ardentissime cupiebat, ut vite simul et mortis Domini sui et Magistri consors et particeps effici mereretur [5], ita et (*d*) hoc ipsum suis fratribus pro fine omnis perfectionis ad optandum et imitandum proposuit, ut ipsos ad Christi mortem communicandam, sicut et ad vitam promictendam et inplendam (*e*) vocaverat, animaret. Intellexit enim, Christo docente, quod tunc revelate sibi vite et regule fructus et moralitatis et gratie multiplicarentur in mundo, quando fratres suos perfecta Christi caritas (*f*) accenderet ad moriendum pro Christo. Nam ut eos inpelleret desiderijs, et affectibus ardentibus inretentibiliter traheret et ad eundum *inter Saracenos et alios infideles,* ut vita et moribus et verbis et sanguinis testimonio ad Christum Ihesum, veram vitam, morte peccati [*f.* 74 *v*] detentos et sempiterne dampnationi obnoxios revocarent.

De hoc in prima regula [6], quam ei papa (*g*) Innocentius confirmavit, scriptum est (*h*):

Dicit Dominus [7]: Ecce ego micto vos sicut oves in medio luporum, estote ergo prudentes sicut serpentes et (*i*) simplices sicut columbe. *Unde quicunque fratrum voluerit ire inter Saracenos et alios infideles, vadant de licentia sui ministri et servi. Minister vero det eis licentiam et non contradicat, si viderit eos esse ydoneos ad mictendum. Nam tenebitur Domino reddere rationem, si in hoc vel in alijs indiscrete processerit. Fratres vero*

(*a*) A *extiguere.* — (*b*) E *perfecta christi.* — (*c*) B *deo.* — (*d*) Ita recte BC, A *ut.* — (*e*) E *adimplendam.* — (*f*) E *accenderet charitas.* — (*g*) B om., E *Innocentius papa.* — (*h*) E *erat.* — (*i*) E *etcetera.*

[1] I Ioh. IV, 18.
[2] Cf. Cant. VIII, 7.
[3] Cf. Rom. XII, 1.
[4] Cf. Luc. X, 27.
[5] Verba *Hac caritate - effici mereretur* inspirata sunt a S. Bonav. *Leg. mai.* IX, 5, p. 97, ubi fere eadem habentur.
[6] Reg. 1, c. 16, *Opusc.* p. 43 ss.
[7] Matth. X, 16.

qui vadunt, duobus (*a*) *modis possunt inter eos spiritualiter conversari. Unus modus* (*b*) *est quod non faciant lites neque contemptiones, set sint* subditi omni humane creature propter Deum [1] *et confiteantur se esse Christianos. Alius modus est, quod cum viderint placere Domino, annuntient verbum Dei, ut credant in Deum omnipotentem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Creatorem omnium, Filium* (*c*) *Redemptorem et Salvatorem et* (*d*) *ut bapticentur et fiant Christiani. Quia* nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei [2].

Hec et alia, que Domino (*e*) *placuerint, ipsis et alijs dicere possunt, quia dicit Dominus in* (*f*) *evangelio* [3]: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in celis. *Et* [4] qui erubuerit me et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua et Patris et sanctorum *et* (*g*) angelorum.

Et omnes fratres ubicunque sunt, recordentur quod dederunt se, et corpora sua reliquerunt (*h*) *Domino Ihesu Christo et pro eius amore debeant* (*i*) *illud reponere inimicis tam visibilibus quam invisibilibus, quia dicit Dominus:* Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam in vitam eternam [5]. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum [6]. Et si vos persecuti sunt (*k*) et me persequentur [7]. Cum autem persequentur vos in una civitate (*l*), fugite in aliam [8]. Beati eritis cum vos oderint homines et maledixerint vobis (*m*) et separaverint vos et exprobaverint et eiecerint nomen vestrum tanquam malum, et cum (*n*) dixerint omne malum adversum (*o*) vos

(*a*) E *possunt duobus modis.* — (*b*) E om. — (*c*) E add. *uerbum.* — (*d*) E om. — (*e*) E *placuerint domino.* — (*f*) E om. *in euangelio.* — (*g*) Textus sacer om. — (*h*) Ita E, A *reliquerint.* — (*i*) A *debeat.* — (*k*) E *fuerint.* — (*l*) Ita recte BE, A *unam civitatem.* — (*m*) BE add. *et persecuti uos fuerint.* — (*n*) E om. — (*o*) BE *aduersus.*

[1] I Pet. II, 13.
[2] Ioh. III, 5.
[3] Matth. X, 32.
[4] Luc. IX, 26.
[5] Marc. VIII, 35. Luc. IX, 24.
[6] Matth. V, 10.
[7] Ioh. XV, 20.
[8] Matth. X, 23.

mentientes propter me. Gaudete in illo (*a*) die et exultate, quoniam merces vestra multa (*b*) est in celis [1]. Dico autem vobis amicis meis, non (*c*) terreamini ab hijs et (*d*) nolite timere eos qui occidunt corpus et post hec non habent amplius quid faciant [2]. Videte ne turbemini (*e*) [3]. In patientia *enim* vestra possidebitis animas vestras [4]. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit [5].

Docet enim professores et imitatores perfectionis vite Christi ex perfecta ad exemplum ipsius caritate, pre cunctis (*f*) alijs hominibus [*f.* 75*r*] çelo salutis animarum ardere et orationibus et exemplo sanctitatis vite et predicationis verbo et spontanea mortis substinentia, quando opus est, non solum pro fidelibus set etiam pro infidelibus, ut ad Christum convertantur, totis viribus aspirare, et pro ipsorum conversione et salute debent peregrinationi et laboribus et (*g*) erumpnis et persecutionibus et martyrio se exponere et offerre. Set quia hoc non est omnium, set illorum tantum qui a Christi spiritu inflammati ad hoc (*h*) moventur et ferventer aguntur et sufficientiam et donum talis ministrationis celitus acceperint (*i*), ideo ministri, sine quorum obedientia nulli (*k*) ire ad tam arduum opus licet, examinare et considerare cum summa diligentia debent, ne motus ire volentium ex levitate vel aliqua humana voluntate et non ex *divina inspiratione* proveniat. Sola enim divina inspiratio et electio ydoneam et sufficientem personam efficit et propositum et perfectionem tribuit ad tantum officium. Et sicut nullus ire debet nisi auctoritate missus, ita ministri tenentur primo de persona mictenda, utrum ydonea sit, argumentum certum habere, quia si mictendos et inspiratos ad eundum detinent (*l*), vel ex temptatione ire postulantes (*m*) licentiant, displicentiam et iudicium Dei ex utroque incurrunt.

(*a*) E *illa.* — (*b*) B *copiosa,* om. *est.* — (*c*) E *ne.* — (*d*) E om. *et - eos.* — (*e*) E *conturbemini.* — (*f*) A *cuntis.* — (*g*) E om. *et erumnis.* — (*h*) B om. — (*i*) BE *acceperunt.* — (*k*) E om., subinde: *opus nulli.* — (*l*) E *detinerent.* — (*m*) E *uolentes.*

---

[1] Matth. V, 11; 12; Luc. VI, 22; 23.
[2] Matth. X, 28; Luc. XII, 4.
[3] Matth. XXIV, 6.
[4] Luc. XXI, 19.
[5] Matth. X, 22.

Super hoc sanctus Dei homo ille fr. Petrus Iohannis dicit [1]: « Existimo autem hoc non esse hic positum solum concessive, set etiam consultive (*a*) seu (*b*) incitative, aut etiam prophetice, quia sicut apostoli primo missi sunt inter fideles (*c*) Iudeorum, ex quibus erant nati, et post mortem Christi (*d*) et Iudeorum aliquantam ad Christum actractionem, missi sunt ad nationes gentium infidelium, sic, prout existimo, mictendus est ordo post (*e*) predicationem Latinorum fidelium ad infidelium nationes, ut sicut per personam Christi patientem in carne assumpta circa principium et medium ecclesie conversus est orbis, sic per Christi vitam et regulam in suis membris passuram *plenitudo gentium intret et omnis Israel salvus fiat* [2], prout expresse (*f*) predicitur (*g*) in *Apocalipsi* sub apertione VI signaculi (*h*) et sub VI° angelo tuba canente [3]. Unde et *angelus* VI (*i*) signaculi, Franciscus (*k*) [4] scilicet, *habens* in se *signum* et stigmata *Dei vivi* [5], in huius (*l*) misterium VI° sue conversionis anno [6] transire ad Saracenos disposuit. Et quia forsitan (*m*) hoc inpleri incipiet sub decimo tertio centenario a passione Domini (*n*) Ihesu Christi, iuxta quod et XIII° ortus sui die apparuit magis [7], et XIII° anno a passione sua misit Barnabam et Paulum [*f.* 75 *v*] ad gentes [8], ideo in huius (*o*) misterium (*p*) Franciscus XIII° anno conversionis sue [9] iterato transivit ad Saracenos, ubi multa perpessus et tandem presentatus soldano (*q*) plurimum finaliter fuit honoratus ab illo ». Hec ille.

(*a*) B *consulte.* — (*b*) E *et.* — (*c*) E *in fideles.* — (*d*) E om. — (*e*) E *per.* — (*f*) E *exprimatur in.* — (*g*) B *dicitur.* — (*h*) E *sigilli.* — (*i*) E *sextus.* — (*k*) E *scilicet Franciscus.* — (*l*) E *huiusmodi.* — (*m*) B *forsan,* E *hoc forsan.* — (*n*) BE add. *nostri.* — (*o*) E *huiusmodi.* — (*p*) E add. *scilicet.* — (*q*) E *Sultano.*

---

[1] *Exp. Reg.* c. 12, *Firm.* Venetiis 1513, III, 123 v b.

[2] Rom. XI, 25-26.

[3] Cf. Apoc. IX, 13.

[4] Cf. supra, p. 78, textus et nota 3.

[5] Cf. Apoc. VII, 2.

[6] Cf. I Cel. 1, 20, p. 57; S. Bonav. *Leg. mai.*, IX, 5, p. 97; *Anal. Franc.* III, 9.

[7] Cf. Matth. II, 1 ss.

[8] Cf. Act. XIII, 1 ss.

[9] Cf. supra, p. 7, textus et nota 1.

Verum si secundum Ioachim [1] expositionem super apertione (*a*) VI signaculi in *Apocalipsi* (*b*), *angelus habens signum Dei vivi* [2], summus pontifex erit, tanquam Esdras post illam (*c*) civitatis et templi destructionem, omnia innovaturus; tunc supradicta illius [3] oppinio alium effectum (*d*) habebit quam sonent illa verba, quia quoscunque ex Christi statibus eliget. Innovatio vite Christi respicit per quos illa signandorum (*e*) conversio fiet. Nomen autem ordinis decipiet plurimos et Iudaica quadam carnali (*f*) expectatione obtenebrabit, ut in electis spiritus fundatoris non suscipiant (*g*) veritatem, et (*h*) nomen (*i*) et habitum venerantes, fructum et virtualem perfectionem habitus et nominis (*k*) derelinquent (*l*) et ad eam converti, sui status inhonorationem et contumeliam reputabunt. Hinc est quod angelo Phyladelfie (*m*) dicitur: *Ecce venio cito, tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* [4]; propter autem humanas intelligentias et oppiniones diversas, veritas non mutatur. Set et sancto Francisco facte promissiones non sunt irrite, cum non complentur, secundum quod expectamus. Altiori vero modo in habentibus eundem ex dono divine gratie spiritum iuxta propositum Dei voluntatis accipiunt complementum [5].

Nam secundum Apostolum [6] *non omnes qui sunt ex Israel, hij sunt Israelite, neque qui semen sunt Habree, omnes sunt*

(*a*) E *apocalypsin de apertione sexti signaculi.* — (*b*) D *Ioachim super apocalypsim, super apertione sexti signaculi. Angelus habens.* — (*c*) B om. — (*d*) D *habebit effectum.* — (*e*) D *conuersio signandorum.* — (*f*) E om. — (*g*) D *suscipiat.* — (*h*) E om. — (*i*) E add. *enim.* — (*k*) D om. *et nominis.* — (*l*) D *derelinquant.* — (*m*) B *phyladafie* (!)

[1] *Expositio magni prophete Abbatis Ioachim in Apocalypsim,* Venetiis 1527, fol. 120 v b.

[2] Apoc. VII, 2.

[3] Scl. Olivi.

[4] Apoc. III, 11.

[5] In his verbis Clareni delusionem quamdam de non completis somniis Ioachimiticis cernere licet.

[6] Rom. IX, 6-8. — Quae sequuntur de duobus filiis Abraham libenter a Spiritualibus adhibebantur. Ipse Clarenus alibi hoc exemplum adduxit in prooemio scil. *Sept. Tribulationum,* ed. Tocco, p. 26, ed. Döllinger, II, 433. Longiorem expositionem Ubertinus Casalensis praebet, *Arbor Vitae,* V, 3, in folio proxime sequente D IIII, r a, et iuxta indicationem finalem eius, forsitan haec allegoria iam in traditione fr. Leonis sive scripta sive orali habebatur. Scribit enim Ubertinus l. c.: *Ibi* (in legenda) *nihilominus revelata fuit via ruinosa qua fratres incederent, quam et modis, quibus potuit, inpedivit dum vixit, et dum intraret*

filij, set in Ysaac vocabitur tibi semen, idest non qui (*a*) *filij carnis, hij sunt filij Dei, set qui filij sunt promissionis* (*b*), *existimantur in semine.* Promissionis autem filij sunt omnes qui per Christi spiritum accipiunt (*c*) eiusdem perfectionis donum et gratiam, quam gratis (*d*) a Christo ipse suscepit, et suscepte gratie fideliter (*e*) et humiliter usque in finem cooperari non desinunt. Hoc est autem iudicium, quia sicut is, qui secundum carnem erat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc. *Set quid dicit scriptura? Eice ancillam et filium eius. Non enim erit heres filius ancille cum filio libere* [1] etcetera (*f*).

Ad hoc per obedientiam iniungo ministris, ut petant a domino papa unum de sancte (*g*) *Romane ecclesie cardinalibus*

(*a*) Ita BDE, A om. — (*b*) E *repromissionis.* — (*c*) E add. *per.* — (*d*) E *a christo gratis.* — (*e*) E add. *et deuote.* — (*f*) DE om. Hic explicit D. — (*g*) BE *cardinalibus sancte romane ecclesie.*

intra limina gloriosi Iesu in lecto mortis decubans, in sanctissimo testamento prohibuit, sed frustra quo ad perversos, quia eorum presumptuosa et stulta carnis prudentia et malitia obstinata prevaluit, licet in luce verborum eius et sanctissimi testamenti legitimi filii, quamquam hoc tempore pauci, proficiscantur per vestigia Iesu Christi, multis persecutionibus a carnis filiis molestati. Nam et iste pater sanctissimus, quasi alter Abraham, duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera. Qui autem de ancilla, secundum carnem natus est, et secundum carnis prudentiam plane claret ipsum ut plurimum incessisse. Sed ille, qui de libera per repromissionem, non dubitans quod non est mentitus Christus servo suo Francisco, nec ipse fidelis servus Franciscus mentitus est in his, que scripsit in regula et in sanctissimo testamento. Et ideo per ipsius regule altitudinem et litere observantiam incedentes securi, nil dubitant ibi impossibile vel inobservabile contineri. Sed sicut tunc, qui secundum carnem natus est, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc. Nam non minus modo verum est quam tunc, quod iste Ismael vir sagittarius est, undique filios legitimos et regule persecutionibus, reprehensionibus, preceptis inordinatis et sententiis duris sagittans. Sed quid dicit scriptura? Eiice ancillam et filium eius, quia non erit heres filius ancille cum filio libere. Nam dictum est Abrahe: In Ysaac vocabitur tibi semen, licet et illum faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Hunc ancille filium et in observantia regule illegitimum cum magnis cordis gemitibus eiici postulamus. Non quidem ab hereditate paterna si [Editio *sibi*] *vellet in regule incedere via, sed a sua operatione perversa et ab usurpatione falsi nominis et legitimi persecutione heredis. Nam et pater sanctissimus hec omnia in luce contemplationis et fieri previdit et expressis verbis predixit. Sic et in dictis et in scriptis sancti viri et socii sui fratris Leonis reperitur expresse, et ego audivi a viro virtutis et sanctitatis probato, legitimo patris filio, reverendo toti orbi, ubi cognoscitur, fratre Conrado de Ofida....*

[1] Gal. IV, 30. cf. Gen. XXI, 10.

etcetera. Initium huius regule cum fine concordat. Sicut enim in principio regule *fr. Franciscus promictit obedientiam et reverentiam* [*f.* 76 *r*] *domino pape Honorio et* (*a*) *successoribus eius canonice intrantibus et ecclesie Romane* et omnes presentes et futuri, tanquam sui capitis membra cum ipso et sub ipso (*b*) facere intelliguntur ex debito, ita nunc in fine, ipse, cui ex (*c*) auctoritate papali et ecclesie omnes et singuli sui fratres erant obligati obedire, precipit *per obedientiam ministris,* quod *petant a domino papa unum de sancte Romane ecclesie cardinalibus, qui sit gubernator, protector et correptor* (*d*) huius *fraternitatis, ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem sancte* (*e*) *ecclesie* etcetera.

Mediatorem inter ordinem et summum pontificem vult habere *unum de cardinalibus,* cum ordo ad suum regimen non sufficiat, et summus pontifex semper sit nimium ex *sollicitudine* et regimine *omnium ecclesiarum* [1] occupatus. Qui dominus cardinalis facta ordinis summo pontifici coram ponat, et de sua auctoritate ubi generalis et ordo auxilio et favore ad suum profectum et bonum statum indigeret, aut in aliquo notabiliter deficeret, presertim quoad predicta (*f*) tria [2], que singulariter tangit, videlicet quod non essent *subditi et subiecti sancte* (*g*) *Romane ecclesie* et *pedibus eius,* idest episcopis et clero, et minus ex (*h*) hoc *stabiles,* vel ex aliqua alia particulari vel universali ratione (*i*) et causa *in* aliquo a *fide catholica* errare inventi essent, vel (*k*) apparerent, aut si ab humilitate et paupertate promissa, et sancti evangelij pura et fideli observantia declinarent: tunc debet summam gerere curam, ut talia mala evellantur et citius eradicentur de ordine et gubernationis, protectionis et correptionis affectum et effectum celerem et efficacem, tanquam pater et dominus et magister post summum pontificem, ex assumpto et inposito sibi officio cum diligenti sollicitudine et summa vigilantia teneatur (*l*) inpendere, ita quod sua disciplina rigide et severe puniat et corigat omne, quod in religione a vera

---

(*a*) E *ac.* — (*b*) B in marg. add. *idipsum.* — (*c*) BE om. — (*d*) E *corrector.* — (*e*) E add. *romane.* — (*f*) B *dicta.* — (*g*) E *pedibus eiusdem sanctę ecclesię, idest eius episcopis.* — (*h*) B *ad.* — (*i*) E *causa et ratione.* — (*k*) E *aut.* — (*l*) E *tenetur.*

---

[1] Cf. 2 Cor. XI, 28.

[2] Cf. Olivi, *Exp. Reg.* c. 12. *Firm.*, Venetiis 1513, III, 124 r a, unde Clarenus tria illa puncta desumpsisse videtur.

paupertatis (*a*), humilitatis et evangelij promissi debita et sancta observatione deviat et discordat. *Scuto* [1] *bone voluntatis* (*b*) et auctoritatis susceptos viriliter protegens, ne inficiantur errore aliquo in moribus vel in fide, set exemplo (*c*) vite et predicatione veritatis (*d*) errantes et devios corrigat et reducat, atque sub suo ducatu et gubernatione obedientes et *subditi pedibus sancte* Romane *ecclesie* pre cunctis (*e*) alijs hominibus usque ad diem novissimum perseverent.

(*a*) E add. *et.* — (*b*) Ita BE, A *nobilitatis.* — (*c*) Ita BE, A *exemplum.* — (*d*) B add. *et.* — (*e*) A *cuntis.*

[1] Ps. 5, 13.

[Epilogus] (*a*).

Dono Dei sapiens vir (*b*) ille Petrus Iohannis subsequentia verba in fine [*f.* 76 *v*] eorum, que super regulam (*c*) scripsit, posuit sic (*d*) dicens [1]: « Attende (*e*) autem quod, sicut hec regula tanquam vere spherica (*f*) non tangit planitiem terrenorum nisi in puncto simplicis et necessarij usus, totaque se reflectit circa Christum circulariter et evangelium eius, tanquam circa (*g*) suum intimum centrum, sicut instar circuli, unde exordium sumpsit, in idipsum finit. Inchoavit enim ab evangelio et ab obedientia apostolice sedis et hic terminat in idipsum. Hec XII^cim capitula evangelice regule sunt *XII stelle in capite* mulieris *amicte sole* [2], idest religionis (*h*) evangelice circumamicte solari Christi fulgore et ardore. In hijs consistunt (*i*) XII lumina studij nostri.

Sunt etiam *XII panes* nobis in mensa Domini propositi [3], quia in hiis est solida refectio vite nostre. Sunt etiam *XII* apostolica *fundamenta* [4] *nove Ierusalem* [5], quia iñ iis est fundamentalis

(*a*) Titulus a nobis additus. — (*b*) E om. — (*c*) E *regula.* — (*d*) E om. — (*e*) B *attendite.* — (*f*) A *sperica.* — (*g*) E om. — (*h*) E *euangelicę religionis.* — (*i*) A in margine.

[1] *Expos. Reg.* c. 12 *Firm.*, Venetiis 1513, III, 124 rb-va. Quae sequuntur considerationes Petri Ioh. Olivi mystico-apocalypticae de Regula Frat. Min. partim ideis Ioachimiticis inspiratae videntur, quae de caetero etiam in Olivi *Expos. Apocalypsis* inveniuntur.

[2] Cf. Apoc. XII, 1.

[3] Cf. Lev. XXIV, 5-6.

[4] Cf. Apoc. XXI, 14.

[5] Cf. Apoc. XXI, 2. — Considerationes mysticas his similes et Ubertinus a Cas. de numero XII Regulae capitulorum instituit, *Arbor Vitae,* V, 5, fol. E III r b: *Et in signum quod hec est apostolica regula, ipsam in XII distinxit capitula, quasi in XII fundamenta apostolica, et in XII portas, per quas intratur in evangelica vita, tanquam nova Hierusalem, que descendit a deo de celo, in cuius* [Edit. *quibus*] *portis scripta sunt nomina XII apostolorum et agni, nec dubium quod fluvius aque vive procedit de sede dei et agni in medium platee eius....*

subsistentia ordinis nostri, licet enim seraphyca gubernatio, quasi (*a*) in duo seraphym senas alas habentes[1] admirabiliter sint distincte (*b*)[2]. De quo, ut tibi aliquid breviter (*c*) illucescat, adverte, quod VI (*d*) prima capitula mistice consonant primis operibus VI (*e*) dierum[3].

Nam in primo capitulo oritur *lux* diffinitionis regule. In II° *firmamentum* professionis solidissime et divisio aquarum inferiorum, idest abdicatio et erogatio omnium temporalium, spiritualibus et supernis super (*f*) se retentis. In III° vero, reiectis aquis carnalis humoris per mortificationis ieiunium, fit terra nostra paradysus divini cultus. In IIII° per omnimodam reiectionem pecunie fit solare lumen in celis. In V° vero per opus manuum pisces in aquis natant, sic tamen quod preferendo *spiritum orationis et devotionis* volant sicut aves in celis. In VI° vero fit homo pauper et peregrinus et humilis ad ymaginem (*g*) mendici et pauperis Christi (*h*) hominis, Dei nostri.

Consonant etiam VII^em (*i*) mundi etatibus et sex ecclesiasticis temporibus. Nam sicut in primo ecclesie tempore incepit lex evangelica, explicanda postmodum usque in finem, sic et in primo capitulo regule. Sicut etiam in II° martyres reiciunt vitam carnis propter vitam eternam, sic in II° capitulo reicitur vita secularis propter regularem. Sicut etiam in III° sub Constantino floruit ecclesiasticus cultus, sic et in III° capitulo (*k*) regule (*l*) divinarum laudum et ieiuniorum et perfecte et evangelice vite statuta traduntur et florent. Sicut etiam in IIII° anachorite omnia deserunt, sic et in IIII° capitulo omnino deseritur pecunia, a Petro apostolo propter Symonem (*m*) maledicta (*n*). Sicut autem constituuntur in V° monachi manibus operantes, sic et (*o*) in capitulo V°. In VI° autem intrat sub Francisco [*f.* 77 *r*] Christi mendicitas in mundum.

(*a*) E om. — (*b*) E *distincta*. — (*c*) E om. — (*d*) Ita Edit. et B cor., A *VII*. — (*e*) Codices falso *septem*, quod A repetit. — (*f*) E *in*. — (*g*) E *exemplum*. — (*h*) E om. — (*i*) Edit. et B cor. *VI*. — (*k*) E quae sequuntur valde turbavit omittendo duas lineas: *Sicut etiam in 3° sub Constantino floruit ecclesiasticus cultus, sic, in 3° hic, deseritur omnino pecunia, a Petro apostolo propter Symonem maledicta.* — (*l*) B om. — (*m*) B cor. *symoniam*. — (*n*) Ita recte E, A *maledictam*. — (*o*) E add. *hic* et subinde om. *capitulo*.

[1] Cf. Is. VI, 2.

[2] Textus Olivi ap. Clarenum turbatus videtur. In edit. ap. *Firm.* l. c.: *licet eius seraphyca fundatio et seraphyca gubernatio quasi in duo seraphym senas alas habentes admirabiliter et concorditer sint distincte.*

[3] Pro sequentibus cf. Gen. I.

In VI (*a*) vero ultimis capitulis mistice (*b*) regnum (*c*) ecclesie Dei. Sicut (*d*) enim (*e*) primo per Christi passionem et eius sacramentalem ad nos applicationem a peccatis suis fuit ecclesia (*f*) lota, iniuncta sibi tamen (*g*) penitentiali satisfactione martyriorum usque ad tempora pape (*h*) Silvestri, et ex tunc concilia generalia, ac deinde provincialia sunt (*i*) in Christi ecclesia celebrata sollempniter, inclarescente (*k*) primatu summi (*l*) Romani pontificis et sue apostolice sedis, sic deinde casta clausura claustralium plenius clarescere cepit. Et tandem in fine sub pleniori apertione sexti signaculi expectamus conversionem infidelium nationum et etiam Iudeorum cum renovatione sollempnium (*m*) martyriorum. Tuncque per angelum VI^{ti} signaculi XII^{cim} tribus Israelis signo Tau signate et turba innumerabilis nationum adducentur et statuentur iuxta thronum agni, qui est idem quod eius ecclesiastica et apostolica sedes. Sic per ordinem currunt VI ultima capitula regule, sicut de facili colligere potes ».

Ista ille, super omnes homines huius temporis sui ordinis amator et commendator et in suis (*n*) scriptis defensor [1], quem Christus dilexit et sua sapientia singulariter (*o*) illustravit. Qui fuit inter omnes homines humilimus et virtutibus plenus, innumeris miraculis post mortem claruit. Set omnis homo Deum timens Deumque diligens consideret diligenter et attendat vigilanter *quanta malignatus est inimicus in sancto* [2]. Quoniam fratres sui et ordo *pro bonis mala* et *pro dilectione odium* retribuerunt [3] ei et omnibus diligentibus eum, in vita configentes animam eius et post mortem (*p*) exhumantes ossa ipsius (*q*), igne infamie et materiali, ut fertur,

(*a*) A add. *(sex)*. — (*b*) B in marg. add. *intelligitur*. — (*c*) E *regimen*. — (*d*) E *In primo enim sicut per*. — (*e*) B add. *in*. — (*f*) E *extra*. — (*g*) E om. — (*h*) E *sancti*. — (*i*) BE om. — (*k*) E *clarescente*. — (*l*) E *romani summi*. — (*m*) BE *sollempniorum*. — (*n*) B in marg. et ibid. add. *scilicet Petrus Iohannis*. — (*o*) E om. — (*p*) B add. *et*. — (*q*) E *eius*.

[1] Similis laus Olivi inore Ubertini Casalensis ap. ALKG, III, 88: *Unum tamen assero, qui secum conventualiter steti, quod inter fratres sollempnes ordinis ipse mihi videbatur maioris sanctitatis vite et profunde scientie et magni zeli fidei et morum* etc. Pro sequentibus cf. Ehrle, *Petrus Iohannis Olivi, sein Leben und seine Schriften*, ALKG, III, 409-554; René de Nantes, O. M. Cap., *Histoire des Spirituels dans l'Ordre de Saint François*, Paris - Couvin 1909, 289-342; Balthasar, O. F. M., *Geschichte des Armutsstreites im Franziskanerorden*, Münster, i. W. 1911, 155-174; Oliger, O. F. M. *Descriptio codicis Capistranensis continentis aliquot opuscula Fr. Petri Iohannis Olivi* in *Arch. Franc. Hist.* I, 1908, 617-22.

[2] Ps. 73, 3. [3] Cf. Ps. 34, 12; 108, 5.

combusserunt eum [1]. Et male tractaverunt quoscunque christiana devotione adherentes ei, et expoliatum nomine catholico contra sententiam ecclesie et concilij generalis, proiecerunt *eum in cisternam veterem* [2], tribus vicibus ut hereticum ex invidia et malignitate sathanica in suis generalibus capitulis condempnantes [3].

Expetivit enim a principio religionem istam *sathanas ut cribraret* [4] eam et agitaret temptationibus septemplicibus [5] similibus primis; et aversi sunt per incredulitatem (*a*) et irreverentiam et cordis duritiam a puritate intentionis et fideli obedientia fundatoris et *exacerbaverunt eum in adinventionibus suis* [6]. Et complacuerunt sibimetipsis in prudentia sua. Et pauci numero ex caritate adheserunt ei dum peregrinus et viator pauper fuit. Et post transitum ipsius de hoc mundo ad Christum, in quem dilexit et quem confixus in corpore et anima cruciformiter [*f.* 77 *v*] portavit, *labijs suis* (*b*) laudaverunt eum [7] et lingua operum mentiti sunt ei. Et *testamentum sanctum suum* [8] a regula segregaverunt [9] et non intellexerunt, quoniam regula sine testamento est sicut stel-

(*a*) E *irreuerentiam et incredulitatem.* — (*b*) E om.

[1] Cf. *Chron. 7 Trib.*, Trib. 6, ed. Ehrle, ALKG, II, 129. Factum evenit intra a. 1317-18. Cf. ALKG, III, 443. — Quétif-Echard, *Scriptores Ordinis Praedicatorum*, I, Luletiae Paris. 1721, exemplum simile affert in vita Guidi, O. P., inquisitoris et episcopi Ferrariensis (1304-1332), qui Ferrariae Hermanni Pungilopi haeretici, *qui pro sancto colebatur, ossa conteri ignique devoranda publico curavit.* Cf. etiam Rayn. ad a. 1301, n. 25.

[2] Gen. XXXVII, 24.

[3] Difficile est dictu quaenam tria Capitula generalia Clarenus intendit, cum de Olivi inde a Capit. Argentoratensi a. 1282 habito, in singulis subsequentibus Capit. gen. actum sit. *Expositio in Apocalypsim* Olivi condemnata est ab Ecclesia 8 Feb. a. 1326, Eubel, *Bull. Franc.* V, 297; ALKG, III, 455-56. Quod autem Clarenus hanc condemnationem non commemorat, imo fratrum condemnationes factas esse contra sententiam Ecclesiae et Concilii generalis (scl. Viennensis, cf. textum similem ap. ALKG, III, 449-50, ubi quidem in decreto *Fidei catholicae fundamento* quaedam sententiae doctrinae Olivi condemnatae sunt, sed tacito auctoris nomine) demonstrat terminum *ante quem* certissimum compositionis huius Commentarii Regulae esse a. 1326.

[4] Cf. Luc. XXII, 31.

[5] In sequentibus breviter adumbratur *Historia septem Tribulationum.*

[6] Ps. 105, 29. Allusio ad Trib. 1 sub S. Francisco, ed. Tocco, p. 33 ss.; ed. Döllinger, II, 438 ss.

[7] Cf. Is. XXIX, 13; Matth. XV, 8; Marc. VII, 6. Alluditur ad Trib. 2 sub Elia, ed. Tocco, p. 68 ss.; ed. Döllinger, II, 460 ss.

[8] Cf. Luc. I, 72.

[9] Alluditur ad bullam *Quo elongati,* qua Testamento vis legis abiudicata est.

larum corona sine capite mulieris, et sicut (*a*) sine amictu solis [1], et sicut panes propositionis [2] extra mensam sanctam, et sicut opus bonum sine intentione recta, et tanquam lictera sine expositione catholica (*b*) et fideli, et (*c*) tanquam sponsa absque ornatu proprio et viro legitimo, et tanquam heres per inobedientiam benedictione et hereditate (*d*) paterna se faciens indignum.

Sicut malum, si celeriter non recidatur (*e*), augmentum multum facit, ita incredulitas et inobedientia excrevit in presumptionem et in (*f*) inpatientiam, et primogenitam et dilectam patris prolem afflixerunt; et occisio viri iusti et innocentis [3] cum mendaci diffamatione recte et fideliter gradientis augmentavit peccatum successoris et sotiorum eius. Et non fuit in secunda tribulatione finis, set addidit [4] fr. Crescentius fratris Helye malis, et iuxta nomen suum crevit in detractationem et odium sanctorum, et catholicos ut hereticos diffamavit, dispersit et dampnavit. Dies [5] amaritudinis et meroris nec laude (*g*) digna fuit, quando patrem et gubernatorem celitus eis datum contempserunt et solares ipsius radios operuerunt atris nubibus et caligine condensa (*h*), et amaricaverunt illuminatos per eum. Non destiterunt ab blasphemia eius quousque in camera regis [6] dormitionem accipiens, a rege glorie Christo apostolicis miraculis illustratus [7], ora detrahentium ostruxit. Heu multiplicata sunt post hec diuturna in Ytalia et in Provincia [8] et in alijs locis tyrampnica adversus (*i*) innocentiam et puritatem promisse vite servare studentes prelia, et clamaverunt sub altare Dei semel et secundo et tertio: *Usquequo qui iudicij thronum tenes, non iudicas et vindicas sanguinem nostrum, qui effusus est?* [9] Et in spe certa de stola prima quiescere *dictum est illis* et (*k*) expectare numerum

(*a*) B in marg. add *mulier et* (?) — (*b*) E *recta et fideli atque.* — (*c*) B om. *et tanquam-uiro legitimo.* — (*d*) E *patrum hęreditate.* — (*e*) E *abscidatur.* — (*f*) BE om. — (*g*) BE *digna laude.* — (*h*) A *condempsa.* — (*i*) B *ad.* — (*k*) E *ut expectarent.*

[1] Cf. Apoc. XII, 1. [2] Cf. Lev. XXIV, 5-6.

[3] Allusio ad mortem Caesaris Spirensis; cf. Trib. 2, ed. Tocco, 76-77; ed. Döllinger, II, 463.

[4] Tertia Trib. sub Crescentio ab Oesio. Cf. supra, p. 210, nota 1.

[5] Quarta Trib. ed. Ehrle, ALKG, II, 271 ss.

[6] Allusio ad locum mortis B. Ioh. de Parma, scl. Camerinum, a. 1289, die 19 vel 20 martii; *Anal. Franc.* III, 408-09; II, 105. [7] Cf. *Cat. Friburg. General. Minist.* ed. Delorme, O. F. M., ap. *Arch. Franc. Hist.* II, 1909, 434.

[8] Quinta Trib. ed. Ehrle, ALKG, II, 287 ss. [9] Apoc. VI, 10.

conservorum et fratrum *eorum* (*a*)[1] pertinentium ad perfectionem finis status ipsorum. Post[2] hec, facta concertatione linguarum adversus rebelles lumini et incredulos veritati, apparuit divisio monstruosa. Et *tenebre operuerunt* celum et *terram*[3], et hinc et inde plures illaqueati captivi facti sunt et perierunt.

Virtus enim ipsa Christi regule et apostolice vite sancta est et moleste portat suum nomen a non suis moribus usurpari. Nomen enim divine virtutis est Christi evangelium et secundum ipsius (*b*) perfectionem promissa conversatio, quam voventes et servantes: sathanam, mundum [*f.* 78 *r*] et carnem fortiter (*c*) pugnant (*d*). Quibus omnia, que sub celo sunt, vilescunt et tormenta sunt levia (*e*), quia spe et amore iam ibi sunt, ubi vera et eterna bona sunt, que Christus eis preparavit ab origine mundi, *qui est Alpha* (*f*) *et O, primus et novissimus*[4]. Qui sancto Francisco apparuit et dixit ei: *Sequere me*[5] et meis vestigijs adhere, et ambula in semitis meis, quas calcaverunt apostoli mei omnes, qui mee vite et perfectionis veri fuerunt amatores. Qui humilis et ardentissimus Christi immitator *de laude et exortatione quam possunt omnes fratres facere* circa finem prime regule[6] dicit: *Et hanc vel talem exortationem et laudem* etcetera usque in finem. Postea *de amonitione fratrum*[7] finis prime regule: *Attendamus omnes fratres quod dicit Dominus:* Diligite inimicos vestros[8], etcetera usque in finem prime regule, que sequitur post hec. Cuius (*g*) finis est[9]: Gloria Patri et Benedicamus Domino. Deo gratias. Amen. (*h*).

(*a*) E *suorum.* — (*b*) E *eius.* — (*c*) E om. — (*d*) BE *inpugnant.* — (*e*) B om. — (*f*) E α *et* ω et add. *principium et finis.* — (*g*) E *Gloria patri est, Gloria patri, Et benedicamus Domino. Deo gratias. Amen.* — (*h*) B add.: *Explicit liber declarationis regule sancti F*[rancisci]. Deinde immediate sequitur eadem manu: *Omnipotens senpiterne, iuste et misericors Deus, da nobis miseris propter temetipsum facere quod scimus te uelle, et senper uelle quod tibi placet, ut interius mundati, interius illuminati, sequi possimus uestigia dilectissimi filij tui, et ad te altissime sola tua gratia pervenire, per eundem dominum nostrum Yhm X*^{m} *filium tuum, Qui.*

[1] Cf. Apoc. VI, 11.
[2] Sexta et sept. Trib. ed. Ehrle, ALKG, II, 127.
[3] Cf. Is. LX, 2.
[4] Apoc. XXII, 13.
[5] Cf. Matth. VIII, 22; Luc. XVIII, 22; Marc. II, 14.
[6] Cap. 21, *Opusc.* p. 50.
[7] Cap. 22, *Opusc.* p. 51.
[8] Matth. V, 44.
[9] In editionibus, *Opusc.* c. 23, p. 62, doxologia finalis discrepat ab illa a Clareno indicata.

INDEX

Comprehenduntur hoc Indice ea quae in textu *Expos. Reg.* eiusque notis habentur, non vero in *Introductione* occurrentia, quibus inveniendis *Tabula rerum* p. VII inservit.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

W

Z

FR. PACIFICUS MONZA

MINISTER GENERALIS TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM

ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

Cum opus cui titulus *Expositio Regulae Fratrum Minorum, auctore Fr. Angelo Clareno*, a R. P. Livario Oliger, *Archivi Franciscani Historici* Collaboratore, notis illustratum, duo censores, nostra auctoritate, examinaverint ac plurimum commendaverint, Nos, praesentium vigore ex parte nostra, libenter facultatem facimus, ut typis edatur.

Datum Romae ad S. Antonium d. 5 Iunii 1912.



FR. PACIFICUS MONZA, *Min. Glis.*

Nihil obstat.

Can. FRIDERICUS LAPINI, *Censor.*

IMPRIMATUR.

Florentiae, 13 Iunii 1912.

A. Can. CASSULO, *Vic. Gen.*